Digitized by Google

6
9-e
32
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 A
5
M
6-9, e, 32
Digitized by Google

V
I
16

Digitized by Google

DE ELOCVTIONE ORATORIA

Libri IIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In quibus omnia, quæ ad ornate, concinne, apte, copio-
ſeque dicendum ſunt cognitu neceſſaria ex optimis
quibuſque, tum veteribus, tum nouis dicendi
Magiſtris collecta, octoginta & ſex diſpu
tationibus plene planeq; explicantur:

Opus omnibus bonarum artium ſtudioſis, & præſertim ijs qui in ſcribendo, vel dicendo verſantur, apprime vtile & neceſſarium:

Auctore Ludouico Carbone a Coſtaciaro, Academico
Parthenio, & Sacræ Theologiæ in Almo Gymnaſio
Peruſino olim publico Magiſtro.

CVM TRIPLICI INDICE.

CVM PRIVILEGIO.



Venetijs, Apud Ioannem Baptiſtam Ciottum, Senenſem:
Sub ſigno Mineruæ. 1592.

Digitized by Google

SERENISSIMO FRANCISCO MARIAE II.

Vrbini Duci VI. &cæt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

DVARVM virtutum, quę boni Principis maxime propriæ eſſe cenſentur, clementia atque iuſtitia, altera pro me, altera contra me, Dux Sereniſſime, in hoc tempore facit. Nam, cum elapſo anno meorum ſtudiorum cenſum tibi iure debitum, & literis promiſſum, non perſoluerim; tua mihi intacta iuſtitia timorem incutit; ſingularis vero clementia, quæ magis Principem decet, cum per eam eius Principis, cuius proprium eſt ſemper miſereri & parcere, ſimilior fiat, eundem penitus timorem remouet. Tua itaque clementia nixus, ſupe

rioris anni tributum tardius,quam debebam, hoc tempore perſoluere nihil vereor: nec ullo modo dubito, quin tibi ita gratum ſit futurum, ac ſi ſuo fuiſſet tempore perſolutum. Sed,ne quicquam de tua integra iuſtitia, mea cauſſa, diminuas,vt nullam hic culpam, aut pœnam timeam, tua quoque efficit iuſtitia. Etenim, cum anno præterito ob maximam rerum omnium caritatem, tu qui quadam ſingulari prouidentia tuis deuotis conſuluiſti, prudentiſſime ſancieueris, ne qui alijs debebant, in iudicium vocari poſſent, & æquum, aut etiam, per me, iuſtum, ne dicam neceſſarium ſit, quod vnus e Sapientibus recte pronuntiauit, Eam cuique legem ſeruandam eſſe,quam ipſe tulerit, profecto, ni tuam omnem in partem collucentem iuſtitiam obſcurare vis, ob dilatam cenſus ſolutionem; nullius culpæ,aut pœnæ me reum facies. Addam etiam, & vere quidem, ob eam quam dicebam annonę caritatem,meamque tenuitatem, qua mihi & meis quoti-

dianum

dianum victum varijs lectionibus comparare cogor, factum fuiſſe, ut plures lectiones, quam ſolebam, explicandas ſuſceperim; ac proinde minus in meas lucubrationes incubuerim, & vt quod nunc tibi tribuo opus, hac neceſſitudine coactus, qua qui peccat, nihil peccat, tardius perfecerim. Sed vide, obſecro, iuſtiſſime Princeps, quam velim vt mecum etiam ſummo iure agas: non ſuo tempore quod debebam perſolui, eſto; ſed rei nunc tributæ magnitudo atque præſtantia (vt ego quoque meo iure vtar) tarditatem cumulatiſſime compenſant. Habes enim nunc a me quattuor maximis vigilijs, & pro tēporis ſpatio, ſatis elaboratos de Oratoria Elocutione libros: qui quoniam non paruum tempus, quod ego ad eos conficiendos habui, ſed potius quattuor integros annos requirebant, præteriti temporis vſuram ſatis, ſuperque reſarciunt, atque etiam pro conſequentibus annis, & numero, & pondere ſatisfaciunt. In eis etenim de quattuor ampliſ-

ſimis rebus, quæ ad præcipuam maxime-
que difficilem eloquentię partem cogno
ſcendam pertinent, copioſe diſputatur;
nimirum de omnibus expoliendę oratio
nis figuris & ornamentis, de apte, con-
cinne, numeroſeque dicendi ratione, de
omnium orationum formis atque ideis:
& denique de verborum & rerum copia,
dilatandæque orationis doctrina: quibus
de rebus ſingulis integri ſcribuntur libri.
Hic mihi, Dux Celſiſſ. maximus ſeſe offer
ret ad dicendum campus, in quo fuſe late
que excurrere poſſet oratio, ſi de vtilita
te, neceſſitate, dignitate, atque præſtantia
Elocutionis nobiliſſimę facultatis præci
puæ partis dicere vellem: quod ſane face
rem; ni optime intelligerem, non eſſe pru
dentis hominis, quod offert munus, velle
ornare & exaggerare verbis, apud eum
præſertim, qui multo melius quam ipſe
dicendo exprimere, quid quantumque
valeat, per ſe cognoſcere poteſt, ut tu, ſa
pientiſſime Princips, ſane potes. Tu ita
que ingenij tui perſpicacitate videbis
Elocutionem

Digitized by Google

Elocutionem eſſe eam, quæ artifici omnium præſtantiſſimo magnificum atque illuſtre Eloquentis nomen tribuit; quo qui dignus eſt nomine, tantum cæteris hominibus præſtat, quantum homo muta animalia rationis bono antecellit. Hęc enim eſt illa eloquentię pars, quæ orationem ſelectis ſplendidiſque verbis quaſi floribus exornat, quaſi coloribus pingit, & quaſi ſtellis illuſtrat: hæc obſcura in lucem profert, contracta dilatat, humilia exaggerat, & ſiccis atque aridis carnem, & ſanguinem, coloremque tribuit. Hęc eſt illa Eloquentiæ uis quę animos allicit, allectos detinet, & detentos ſumma uoluptate perfundit. Per hanc oratio in aures ſuauiter influit, & in intimas hominum mentes penetrat, quas inflammat, & inflammatas reſtinguit; vnde vult reuocat, & quo vult impellit, & quaſi tyrannus in varias partes rapit. Per hanc Orator nihil incondite, nihil diſſipate, nihil ieiune, ſed omnia ornate, omnia concinne, omnia ſplendide & copio

ſe dicit. Per hanc non ſolum approbationes, ſed admirationes, clamores, plauſuſque mouet, & quaſi Deus quidam inter homines habetur. Qui vero hac facultate ſunt deſtituti, aut orationem eneruant, concidunt, delumbantque ſententias, & nimia breuitate aures defraudant, dum iufracta & amputata loquuntur; aut quia productiora & immoderate excurrentia non ſentiunt, nimia longitudine obtundunt, & verborum complementis, dum decurtata fugiunt, quaſi rimas explent, & tanquam ἀπαλαίστοι, nihil apte dicunt. Vt non male omnino ſenſiſſe videantur, qui Eloquentiæ hanc vnam tantum partem tribuendam eſſe dixerunt, & Romanæ facundiæ pater, aliquando affirmare non dubitauerit, Non aliud quicquam eſſe, Dicere, niſi omnes, aut certe pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias. Verum, ne, vt eſt in prouerbio, Geſtum ſpectante Roſcio agere velle videar, quæ longa oratione de Elocutionis vtilitate, atque præſtantia dici potuiſſent,

potuiſſent, tuæ Celſitudini cogitanda relinquo. Quare, vt hanc meam nuncupationem concludam, ſi verum eſt id, quod alio loco plane demonſtraui, & poetarum antiſtes Homerus non obſcure docuit, cum illos Heroas, qui ad Troiam ſunt profecti, iridis flores comediſſe finxit, Eloquentiam eſſe eorum, qui alios regunt, maxime propriam, opus a me habebis, te Principe non vulgari facundia prædito, apprime dignum, atque ob rei tractatæ magnitudinem & pręſtantiam, non modo ad elapſi, ſed etiam ad conſequentis temporis debitum perſoluendum ſatis etiam idoneum.

Venetijs kal. Ian. 1592.

Obſequentiſſ. Subditus,

ac Seruus.

Lud. Carbo.

IOANNIS BAPTISTAE

Scagliæ Senenſis,

DISTICHON AD AVCTOREM.

Carbo, taces, tradiſque tacens quod quiſque loquatur.
Id ne tacere vocem, Carbo, docere loqui?

IN LVDOVICI
CA RBONIS VBERRIMOS
De Elocutione Libros,

Cæſaris Ranuccij carmen ad Lectorem.

Dicendi gazas theſauro ex diuite captans.
Carbonis lecto nomine quid refugis?
Num metuis, ne te ueluti Theſaurus in atros
Carbones, ludat uerſus, & in cineres?
Aut quę ſcripta uides, ne ſint Carbone notanda,
Vt mala, nec ſolo à limine digna legi?
Vana times: fruſtra Carbonis nomen abhorres
Deceptus ſenſu nominis ambigui.
Carbo quidem eſt auctor: Carbo ſe limine primo
Offert, ſed non, quem iure cauere queas.
Inter Rhetoricæ ſcriptores clarius omnes
Hic tam quam Carbo fulgida gemma micat.
Quin pretio ſcito, nedum fulgore ualere;
Hinc bene cum fandi copia larga fluat.
Ergo legas, ſperans factum ex Carbonibus ipſis
Theſaurum, quo non ditior ullus adhuc.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM
Singulorum Librorum.

LIBRI PRIMI.

QVAE ſit elocutionis natura, quæ partes. Diſput. I. pag. 1
Qualis, & quanta debeat eſſe elocutio. Diſput. II. 22
De uerbis turpibus, ſordidis, priſcis, & antiquatis. Diſp. III. 41
De uerbis nouis, atquæ nouatis. Diſput. IIII. 57
De uerbis poeticis, duris, raris, & peregrinis. Diſput. V. 68
De uerbis proprijs, ſublimibus, & grauibus. Diſput. VI. 75
De uerbis ſonantibus, grandibus, uolubilibus, aſperis, integris, & horum contrarijs. Diſput. VII. 91
De vocis ornatu, ſiue elegantia. Diſput. VIII. 105
De figurarum, atque troporum natura. Diſput. IX. 116
De metaphoræ natura, cauſſis, partibus, atque uſu. Diſput. X. 130
De Metonymia, & Synecdoche. Diſput. XI. 147
De Catachreſi & Metalepſi. Diſp. XII. 161
De Allegoria, & Aenigmate. Diſput. XIII. 171
De Antipraſi, & Ironia. Diſp. XIIII. 188
De Adagijs, ſiue paremijs, & Sarcaſmis. Diſput. XV. 199
De Antonomaſia, Periphraſi, Hyperbole & Gnomatopeia. Diſput. XVI. 210
Quid, & quotuplex ſit ſchema, quæ eius cauſſæ, effectus, & utilitates. Diſput. XVII. 222
De figuris uerborum, quæ repetitione, & ſimilitudine fiunt. Diſput. XVIII. 244
De figuris ſententiarum, quæ per interrogationem fiunt. Diſput. XIX. 265

De

De figuris ſententiarum, quibus aliqua animi affe-ctio, motuſue expreſſius ſignificatur. Diſput. XX. 275
De quibuſdam ſententiarnm figuris, quæ uim proba-tionis habent. Diſput. XXI. 291
De quibuſdam ſententiarum figuris, quæ ſimilitudi-nem,& comparationem continent. Diſpu. XXII. 313
De quibuſdam ſententiarum figuris, quæ ad oratio-nem dilatandam uim habent. Diſputat. XXIII. 328
De quibuſdam figuris,quæ definitionis,deſcriptioniſ-que uim habent. Diſput. XXIIII. 380
De quibuſdam figuris ad orationis diſpoſitionem pertinentibus. Diſput. XXV. 360
De figuris grammaticis, & Metaplaſmis uniuerſe. Diſput. XXVI. 366
Explicantur omnes Metaplaſmi modi. Diſputatio XXVII. 373
De figuris grammaticis ad conſtructionem pertinen-tibus. Diſput. XXVIII. 380
De figura enallagee,ſintheſi,ſinecdoche, & euocatio-ne. Diſp. XXIX. 393
De hyperbatis,ſiue tranſgreſſionibus. Diſput. XXX. 404
De orationis uitijs,& ſpeciatim de Barbariſmo,& ſo-lęciſmo. Diſput. XXXI. 410
De obſcuræ, & inornatę orationis uitij. Diſputatio. XXXII. 420

LIBRI SECVNDI.

QVæ ſit collationis uerborum natura, & utilitas. Diſput. I. 436
De uerborum iunctura ſeu coagmentatione. Diſput. II. 452
Traduntur aliqui communes loci ad aptam uerbo-

rum collocationem pertinentes. Diſp. III. 470
De quibuſdam ornamentis,quæ ſua ſponte orationem numeroſam faciunt. Diſp. IIII. 475
De commatis,ſiue inciſis. Diſput. V. 490
De colis,ſiue membris. Diſput. VI. 499
Quid ſit Periodus. Diſput. VII. 508
De Periodi quantitate,quibus partibus perfecta conſtare debeat periodus. Diſput. VIII. 520
De periodi diuiſione,& uſu. Diſput. IX. 532
De longiore periodo, ſiue de Spiritu extenſaque oratione. Diſput. X. 544
An ullus ſit numerus oratorius,& quæ ſit eius natura. Diſput XI. 556
An numerus oratorius arte & ſtudio ſit in dicendo quærendus. Diſput. XII. 577
An ulli ſint pedes in ſoluta oratione obſeruandi, & qui. Diſput. XIII. 592
De recto pedum uſu, quo loco,& qui pedes ponendi ſint. Diſput. XIIII. 611
De uſu numeri oratorij,& quo pacto facile comparari queat. Diſput. XV. 625

LIBRI TERTII.

AN ad Rhetorem pertineat agere de ideis,& quę ſit ideæ natura. Diſput. I. 643
De idearum numero. Diſput. II. 656
De quattuor idearum cauſſis. Diſput. III. 668
De claritate, ſeu puritate, quæ eſt prima orationis idea. Diſput. IIII. 680
De perſpicuitate,ſiue elegantia. Diſput. V. 689
De Amplitudine,ſeu magnitudine, & dignitate. Diſput. VI. 698
De Aſperitate,& vehementia. Diſput. VII. 714
De Splendore,atque Vigore. Diſput. VIII. 724
De Circumductione, ſiue comprehenſione. Diſput. IX. 736

De Pulchritudine. Diſput. X. 747
De Toruitate, ſiue uelocitate, atque celeritate. Diſput. XI. 755
De morata & ſimplici oratione. Diſput. XII. 766
De ſuauitate. Diſput. XIII. 780
De acumine, ſiue ſubtilitate. Diſput. XIIII. 790
De modeſtia, ſeu moderatione. Diſput. XV. 796
De graui, ſiue atroci oratione. Diſput. XVI. 802
De veritate, ſeu probabilitate. Diſput. XVII. 810
De apta dicendi figura, ſiue de decoro, grauitate ve. Diſput. XVIII. 821
De ciuili, ſeu populari decoro. Diſput. XIX. 833
De decoro hiſtorico, ſeu de recta ſcribendæ hiſtoriæ methodo. Diſput. XX. 842
De poeticæ orationis decoro. Diſput XXI. 853
De decoro philoſophico. Diſput. XXII. 872

LIBRI QVARTI.

QVid, & quotuplex ſit copia, quæ eius utilitas, & uſus. Diſput. I. 883
Explicantur quidam modi uariandæ orationis per figuras grammaticas, & tropos. Diſput. II. 892
De verborum copia per ſynonymiam conſtructionis. Diſput. III. 904
De ſynonymia, quæ fit per ſchemata orationis. Diſput. IIII. 909
Explicantur aliqui priuati modi, quibus uariatur oratio, & regulæ quædam ad uerborum copiam comparandam traduntur. Diſput. V. 914
De rerum copia per diſtributionem & eius ſpecies. Diſputat. VI. 925
De rerum copia, per hypotypoſin, ſeu deſcriptionem. Diſput. VII. 937
De rerum copia, quæ ex Amplificatione & diminutione naſcitur. Diſput. VIII. 948
Qua ratione a propoſitione probationeque rhetorica

rerum

rerum copia ſumatur. Diſput. IX. 961
De ratione amplificandi per circumſtantias. Diſput. X. 969
De amplificatione ab epithetis ſumpta, deque epithetorum natura. Diſput. XI. 976
De ratione augendæ orationis per exempla, & ſimilitudines. Diſput. XII. 986
De rerum copia, ex rerum contrariarum conflictione. Diſput. XIII. 1001
De gnomarum, ſiue ſententiarum naura, cauſſis, partibus, effectis. Diſput. XIIII. 1014
De ſententiarum uſu, quid Chria, & quomodo tractanda ſit. Diſput. XV. 1031
De rerum copia, quæ à partibus orationis ſumitur. Diſput. XVI. 1039
De rerum copia, quæ à digreſſionibus, apologis, fabulis, expolitionibuſque ſumitur. Diſput. XVII. 1045

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

A Litteræ ſonus. 91
Abominatio 282. Quomodo per eam uarietur oratio. 911
Abrotes 791
Abuſus in arte an admittendus. 161 .166
Accentus unde dictus 566. Quid ſit 566. Quotuplex ſit 566. Vbi locum habeat. 566.& ſeq.
Accidentia partium orationis quomodo mutentur. 896
Acclamatio, 285. eius locus. 287
Acclamationis ſpecies. 286
Acme ideſt uigor quid ſit. 552.731
Acrimoniæ definitio. 720.791. eius formæ, 721. eius methodus, 722. eius dictio. 722. eius figuræ. 722. eius compoſitio, clauſula & numerus. 723
Actiuum paſſiuo, & contra qumodo mutetur. 894.923
Actiua phraſis uſitatior. 894
Acuta oratio. 791
Acutæ ſententiæ per quæ uerba fiant. 792
Acumen ſimplicitati contrarium. 790.791
Acutum dicendi genus neceſſarium. 791. Eius ſententiæ. 791. & ſeq. Dictio, 793. & ſeq. Methodus. 793. Schemata Membra, Iunctura, Clauſula & Numerus. 795
Acyrologia. 422
Acyron. quod uitium ſit. 420
Ab Acyrologia quomodo differat. ibid.
Adagia, & ſarcaſmi. 199
Adagij etymologia. 201
Adfictio. 307

A Ad-

Adhortatio. 283
Adiectiua mera ſubſtantiuis præponenda. 471
Adiuratio. 280. Quomodo per eam uarietur oratio. 911
Admiratio. 279. Quõ per eam uarietur oratio. 910
Admonitio. 283
Aduerbiorum ſpecies quomodo mutentur. 398
Aduerbium pro Nomine. 896
Adynaton. 326
Aenigma. 423
Aenigma an reponatur in figuris orationis. 174.185
Aenigma à quibus locis topicis ducatur. 187
Aenigmatis definitio. 183
Aenigmatis uſus. 185. & ſeq.
Aequale. 320
Aeſchrologia. 434
Aetiologia. 271.310
Affectus mitiores qui ſint. 357
Affectus unde excitentur. 356
Affectuum deſcribendorum obſeruatio. 358
Affectæ orationis duo genera. 780
Aganacteſis. 282
Aggratulatio. 284
Aggreſſio. 309
Agnominatio. 253. eius uis. 255.
Allegoria. & Aenigma cur ſimul tractantur. 172
Allegoria ſit ne Tropus, an Schema. 172.174.175.179
Allegoriæ definitio. 173. Per eam uariatio. 903
Allegoria an ducatur à ſola Metaphora. 177
Allegoriæ nomen latinum. 175
Allegoria non eſt ſpecies tropi ab alijs diſtincta. 176
Allegoriæ diuiſio. 179. & ſeq.
Allegoriæ obſeruatio. 181. eius utilitas, & uſus. 1050
Alliteratio quod uitium ſit. 414. eius ſpecies. ibi. & ſeq.
An poſſit non eſſe uitium. 415
Alloeoſis quæ ſit. 323. 396. 399. Quot modis fiat. 399
Alloeoſis generũ. 399. Numerorum. ibi. Perſonarũ. 400.
Modo-

Modorum.ibid.Temporum. ibid.
Amebęos. 840
Ampheteriſoſis. 423
Amphibolia. 423
Amphibrachys. 598.600
Amplificationis loci topici. 935. eius definitio. 948. Quibus figuris fiat.948. Per Incrementum.949.Per Hyperbolen.951.Per perſonarũ deſcriptiones. 941. Per Chronographiam. 946
Amplitudo quibus alijs nominibus appelletur. 699. eius partes ſex. 699
Amphimacrus. 598.600
Anaphora. 249
Anangęon. 311
Anacephaleoſis. 365
Anacoluthon. 409
Anadiploſis.247.248.374.Ad quid valeat ibid.
Anaſceue. 308
Anaſtrophe quid ſit. 404.eius modi quinque. ibid.
Anapæſtus. 597.600
Anacænoſis. 274.302
Analogia. 998
Animalium ſcriptor. 843
Annalium ſcriptores. 843
Anœconometon. 425
Antanaclaſir.253.eius uis. ibid.
Antapodoſis. 364
Anteoccupatio,vel Antepræmunitio. 292
Anticipatio. 292
Anti metabole. 324
Antimeria quæ ſit.394.890. eius formæ quatuor,ibid. Quot ſingularum formarum ſint modi. ibid.
Antiphraſis ad Analogiam pertinere videtur. 189
Antiphraſis videtur in vitijs ponendæ. 189
Antiphraſis & Ironia cur ſimul tractentur. 171
Antiphraſis & Ironia an differant 188.189.Ad tropoſne,an ad ſententiarum figuras pertineant. 189.193

Antiphraſis quomodo latine dicatur. 192
Antiphraſis definitio. 192
Antiphraſis quot modis fiat. 193
Antiphraſis unde ducatur. 193. Ad quid ualeat. ibid.
Antimetabole. 257
Antidactylus. 597. 600
Antipophora. 269. 296
Antiquatis uerbis nullus in oratione locus. 55
Antiquata uerba quædam. 55
Antiquatis uerbis utentium error duplex. 55
Antiſagoge. 296. 297
Antibacchius. 598. 600
Antiſtaſis. 253
Antiſpaſtus. 598. 600
Antiſtœchon. 377
Antiſtrophe. 250
Antitheſis. 376
Antitheſis, uel Antitheton. 321. eius uſus. 322. 484. & ſeq.
Antitheti uis quæ, & quanta ſit. 1011
Antonomaſia quid ſit, & quomodo latine dicatur. 211
Antonomaſia quot modis fiat. 211. 212. Per eam uaria tio. 902
Antonomaſia an ſit tropus ab alijs diſtinctus. 212
Antonomaſiæ obſeruatio. 212
Antonomaſiæ utilitas. 213
Antitypia quid ſit. 455. 456
Aparithmeſis. 695
Aphelia. 771
Aphæreſis. 375
Aphoriſmos. 326
Apocope. 376
Apodoſis. 257
Apodoxis. 306. eius ab Apoplaneſi differentia. ibid.
Apologi definitio, utilitas, & tractatio. 1047
Apophaſis. 271. 298. eius utilitas. 272
Apoplaneſis 306. eius ab Apodoxi differentia. ibi.

Apro-

Aporeſis, uel Aporia. 272
Apoſiopeſis. 287. 912. Quibus de cauſſis fiat. ibid.
Apoſiopeſis male in figuris grammaticis numeratur. 388
Apoſiopeſis, Eclipſis, & Synecdoches diſcrimen. 287.
Apoſtrophe. 288. eius uſus. 291
Appoſitio. 373
Appoſitio figura quæ ſit, 390. Quomodo græce dicatur ibid.
Aptum dicendi genus. 823
Archaiſmos. 433
Archeologia. 433
Aria. 282
Ariſtotelis dictum de Membro exponitur. 507
Arithmon. 425
Ars latere debet in oratione. 23
Articulus. 259. 260. 492. 497
Artifices quattuor orationis. 648
Aſaphes quod uitium ſit. 420
Aſcenſus 333
Aſchematon. 431
Aſchematiſton, uel Aſchematon. 431
Aſiatiſmus. 433
Aſperitas & Vehementia ad quod dicendi genus referantur. 714. 723. earum differentia. 721
Aſperitatis definitio. 715. eius formę. 715. eius ſententiæ. 716. eius tractatio. 717. eius dictio. 717. eius ſchemata. 718. eius membra. 718. eius compoſitio. 719 eius clauſula 719. eius contraria, Suauitas. 720.
Aſſonantia. 255
Aſtyſmus, vel Aſteiſmus. 204. 208
Aſyndeton. 259. 338. eius uis. ibid.
Atacton. 425
Auctores, qui de Eloeutione ſcripſere. 4
Auerſio. 283
Augmentum. 336. An ab Incremento differat. 336
Aurium iudicium ſuperbiſſimum 572. Ad numeroſam

orationem confert. 641
Auxeſis. 336
Axiomaticon. 725

B

BAcchius. 598.600
Barbari qui ſint. 411
Barbarus ſermo opponitur latino. 28.411
Barbari ſermonis quattuor genera. 411
Barbara vox quæ ſit. 72
Barbarum vnde dicatur. 411
Barbariſmus tribus modis capitur. 412
Barbariſmi quattuor genera à Fabio ponuntur. 413
Barbariſmi definitio.412.eius à ſolœciſmo differentia ibid.Quot modis fiat. 413
Barbaralexis quomodo fiat. 417
Barbarophonia quæ ſit. 413. Vnde oriatur. ibid. Quo modo fiat.ibid.& ſeq.
Barbarophoniæ genera nouem. 415
Barytes. 802
Barytete quomodo latine dicatur. 802
Battologia vnde dicatur.417.Quę ſit. ibid.
Bomphiologia,vel Bombiologia. 431
Brachyepia, vel Brachylogia.338. An differat ab Epitrochaſmo. ibid.
Brachylogia. 434
Breuitas ſermonis quotuplex ſit,1054. Quot eius partes.ibid.Quomodo comparetur.1055.& ſeq. Vbi adhibeatur.1056.Quid in ea obſeruandum. 1057

C

CAcophaton quod fugiendum. 468
Cacophaton. 434.& ſeq.
Cacophonia ubi fiat. 423
Cacoſyntheton. 424

Cacozelia. 434
Caligulæ dictum de Senecæ oratione. 449
Callopiſmós. 426
Calononoma. 434
Catachreſis. 420
Catachreſis an ſit ſpecies Tropi. 162.163
Catachreſis etymon.163. eius nomen latinum. ibid.
Catachreſis diuiſio. 164
Catachreſis obſeruatio. 165
Catachreſis utilitas. 166
Catachreſis an a Metaphora diſtinguatur. 161.164 166.
Cathacreſis deſcriptio.162.163.Per eam uariatio. 902
Cateſtramene quid ſit. 545
Catalogus. 360
Cauilli diuiſio.204.eiuſdem definitio. 207
Cauilli & ſcommatis differentia. 204
Cauſſa. 310
Catharotes. 682
Celeritatis membra,dictio,cōpoſitio. 764. eius pedes, Numerus.765. eius contraria,oratio, tarda & remiſſa. 765
Characteriſmos.354.Quot modis latine dicatur. ibi.
Charientiſmi notatio. 208
Chiaſmos. 264
Chiazomene periodus. 542
Chleuc,ſeu Chleuaſmos.quid ſit. 209
Choreus. 597.600
Choriambus. 598.600
Chria quid ſit, & vnde dicatur. 1034.Quid à ſententia differat.1035.Quotuplex ſit.1035.Quomodo tractetur. 1037
Chroma. 312
Chronographia,359.939.944. Quibus de cauſſis adhibeatur. 944.& ſeq.
Cic.ad ſcribendam hiſtoriam an fuerit aptus. 852
Cicero non eſt locutus de omnibus rebus. 59

Ciceronis opera omnia non extant. 59
Cinnus. 325
Circuitione vtendum in verborum defectu. 67
Circumductio vtilis, ac neceſſaria.736.eius definitio, ſpecies, ſententię.737.eius tractatio.739.Dictio 740 Figuræ.741.Membra.744. eius contraria puritas. 745
Circunſtantiæ græce Periſtaſes. 969. Quæ ſint. 969. Quot ſint. 970. Earum vſus in quo genere valeat, 974.earum vtilitates. 975
Circunſtantiæ perſonarum.971. Vnde ſumantur. 971. Naturales. ibid.& 972
Circunſtantiæ loci,973.locorum differenriæ.ibi.Temporis partes. 974
Circunſtantię rerum quæ ſint. 973
Claritas,orationis Idea prima. 680,681
Clatitatis duæ formæ. 682
Clauſula. 365
Climax 333.eius uſus. ibid.& 335
Correctio. 325
Correctioni inſeruientes particulæ. 326
Corruptis verbis vbi,& quando vtendum. 103
Coſmographia. 359
Coaceruatio 337.Ad quid ualeat. ibid.
Coagmentatio quid ſit. 452
Coagmentatio quæ ſit. 441
Cęloſtomia quæ ſit. 416
Cœnote. 251
Cogitatio. 346
Cohabitatio cur ſic dicta. 325
Cola,uel Membra. 490
Cola longa ubi adhibeantur.506.Vbi longiora. ibid. & ſeq.Vbi.breuiora.ibid.& ſeq.Quot modis poſſint longa fieri. 507
Collatio. 317
Collectio fig.quæ ſit. 338
A Coaceruatione quid differat. ibid.

Collocatio uerborum Rhetoris differt à Grammatica, 445
Collocandorum uerborum regulæ quædam. 470. & ſeq.uſque ad 475
Colon cur Membrum dicatur.499.eius definitio. 499. Quo modo ſignetur,500. An ſit Periodi pars. ibid. An contineat abſolutam ſententiam.501.An ex Inciſis conſtet. ibi.An certis ſyllabis, uel temporibus terminetur, 501. eius natura explicatur, 502. 503. eius diuiſio, 505
Color. 312
Colouotiſmus qui ſit, 416
Comędiæ decorum. 863
Comma,& Colon an differant, 491.496.498
Commata,uel Inciſa. 490. & ſeq. eorum ſpecies.493. 497
Commemoratio, 302
Commentatio. 310
Comminatio. 282
Commiſeratio. 284
Commiſtio,uel Confuſio. 325
Commoratio.332.eius uſus, 332
Communicatio, 274.325
Commutatio, 324
Compar. 262
Comparata quomodo augeantur, & minuantur. 917. & ſeq.Quomodo uarientur, 918
Comparatorum uariatio, 907
Comparatiuum,& ſuperlatiuum pro Poſitiuo. 898
Comparatio.340.952.Quot modis ſiat, ibid.953
Compenſatio. 296
Complexio. 310
Compoſitum pro ſimplici. 899.924
Compoſita eleganter diuidenda. 472
Compoſitis uocabulis an oratores utantur. 69
Compoſitio differt à numero,& figura, 446
Compoſitio conſtat ordine,& iunctura.438.443. Nu-

merus etiam additur à Fab. 439
Compoſitio uerborum poteſt arte doceri. 445
Compoſitionis definitio. 446
Compoſitionis effectus.447.eius utilitas,& neceſſitas. ibid.
Compoſitorum uerborum maior uis. 66
Compoſitio, Elocutionis uirtus. 24
Compoſitionis uariatio. 908
Compoſitionem ſine arte nullus aſſequitur. 443.449
Conceſſio. 301
Concinnitas quæ ſit. 441
Concionatorum quorundam error. 40
Concluſio. 365
Conduplicatio. 247.251
Confeſſio. 301
Confirmatio. 365
Confirmatio quibus modis amplificetur. 1043
Confuſus ſermo quomodo fiat. 697
Confutatio. 365
Congeries.337.957.eius a ſynonymia diſcrimen. 337
Congruitas an ſit propria Elocutionis uirtus. 23.40
Coniunctionum ſpecies quomodo mutentur. 398
Coniugationis commutatio. 899
Conſecutio. 380
Conſenſio. 302
Conſolatio. 284
Conſonantes quæ ſint fugiendæ. 454
Conſonantium uis. 96.101.102
Conſonantium ſonus. 462.& ſeqq.
Conſonantium aſperitas an uitanda. 453
Conſonantium duplicatio ubi ſubdurior. 101
Conſtructio. 380
Conſtructionis figuratæ uariatio. 908
Conſtructionis ſimplicis uariatio. 907.& ſeq.
Conſtructionis ſchema quid ſit.381.Quibus de cauſſis fiat.ibid.Quot ſint genera. ibi.
Cõſtructionis ſynonymia quę.904.eius partes tres.ibi.

Con-

Conſtructionis Iſodynamia. 907. Quotuplex ſit. 908
Contentio. 321
Contentio quam obſeruationem requirat. 1012. Quomodo fiat illuſtrior. 1012. eius utilitates in dilatando. 1013
Continuatio. 339
Contradicentia quę ſint. 904
Contrapoſitum. 321
Contrariorum uariatio. 907
Contrarium. 310.321.322
Contraria, ſeu Aduerſa quæ ſint. 904. 1002. Per ea uariatio. 906.924
Copia quid, & quotuplex ſit. 883
Copia orationis quando ſit utendum. 1057
Copia uerborum an a Grammatico ſit petenda. 884. 888. An a Dialectico. ibid. Vnde eliciatur. ibid. Oratori neceſſaria, & cur. 885. A Rethoribus ex cogitata. 886. eius utilitates. 887. eius definitio, & diuiſio. 887. Ad eam comparandam quid præcognoſcendum ſit. 888
Craſis. 377
Creticus. 598.660
Cynici philoſophi cur ita dicti. 43
Cynicorum imprudentia. 44

D

DActylus. 597.600
Declinationis commutatio. 899
Decorum. 821.823
Decorum in oratione quomodo ſeruetur. 30. & 31
Decorum quomodo in orationis partibus ſeruetur. 830.
Decorum in quibus orationis generibus ſeruandum. 832.
Decorum in explicandis alienis orationibus. 833
Decorum ciuile, quod ſit, & cur ita dictum. 833

Decore quomodo dicatur. 830
Decuſſata periodus. 542
Decuſſatio. 264
Deductio. 375
Deeſis. 279
Definitio 350. eius modi decem. ibid. & ſeq.
Definitionis, & Deſcriptionis, figuræ. 350
Dehortatio. 283
Deliberatiui generis Ideæ quæ ſint. 837
Deliciæ orationis. 791
Demouſtratio. 352. 937
Demonſtrationis nomiue quid intelligatur. 873
Demonſtratiuum genus triplex. 839
Denominatio. 253
Deprecatio. 279. 280
Deſcriptio. 352. 937. eius vſus. 352. 938. Quot ad eam faciendam requirantur. 938
Deſtructio. 308
Diabole. 282
Diacope. 248. eius uis. 249
Diacope quomodo latine dicatur. 405. Quæ ſit. ibid. Vbi fiat. 406
Diæreſis. 377
Diagoge. 338
Dialecticus quomodo orationem conſideret. 648
Dialogorum materia. 878. Tractatio. 878. & ſeq.
Dialogiſmus. 347
Dialyſis, uel Dialyton. 259. 338. 344. 377. 404.
Dianæa. 311
Diaphoreſis. 323
Diaſtole. 377
Diaſyrmus. 207
Dicæologia. 311
Dicendi genera tria. 658. 661
Didacticæ orationis genera. 873
Diezeuxis. 377
Dignitas Magnitudinis pars prima quomodo græce dicatur.

dicatur.700.eius definitio. 701. eius ſententiæ 701. & ſeqq.eius tractationis partes.703. & ſeqq.eius dictio qualis.708.eius figuræ,709.eius membra. 711. eius compoſitio. 711. eius pedes.712. eius clauſula qualis. 712
Dignitas,elocutionis uirtus. 24
Dignus & indignus quomodo conferant ad variandã orationem 915
Digreſſio.362.1045.eius obſeruatio. 363
Digreſſiones vnde ſumantur.1045.Quo orationis loco adhibeantur. 1046
Digreſſionibus cur vtamur.1045.Quæ ſint in eis obſeruanda. 1046
Diiambus. 598.600
Dilatandæ orationis exempla per diuiſionem. 931. per partitiouem 932.Per enumerationẽ.932.& ſeq. Per propoſitionumcopiam.965.& ſeq.Per ipſius orationis partes. 1040.
Dilemma. 310
Diminutio.348.959.Per eã Amplificatio.959.eius utilitates. 960
Diminutiuum pro ſimplici. 898
Dinos poeta qui dicatur. 826
Dinotes.802.823.825.An latine poſſit reddi. 823.824
Dinotetis etymon. 824
Dinotes duo requirit.825.In quo ſita ſit. 825
Dinumeratio. 339
Diomedis opinio de orationis uirtutibus. 410
Dionyma quæ ſint.8.89.An frequentanda in oratione. 891
Diphtongorum ſonus. 456
Diſcriminatio. 323
Diſpondeus. 598.600
Diſſolutum. 425
Diſyllabæ dictionis accentus. 566
Diſyllabę dictionis locus. 613
Diſtributio.342.An ab enumeratione differat. 343

Diſtributionis Rhetoricæ ſpecies tres. 926. eius ratio qualis ſit. 929. eius ordo duplex. 930. eius uſus ibi. Quid in ea obſeruandum. 931
Dithyrambi. 545
Dithyrambicum poema. 868
Ditrochęus. 598.600
Dittologia. 423
Diuiſio quid ſit.926.eius modi quattuor. 927
Docendi methodus. 873
Dochimus. 599
Drimytes. 791
Dubitatio,uel Addubitatio.272.eius uſus. 273.911
Dura uerba quæ ſint. 69.70
E literæ ſonus. 93
Eclipſis.388.eius utilitas.ibid.An ſit eadem cum Apoſiopeſi.ibid.In quibus orationis partibus fiat. 389
Ecloga unde dicta.865.eius decorum. 865
Ecthlipſis. 378
Ecphoneſis. 277
Ectaſis. 377
Elegantia ſecunda Claritatis ſpecies. 689
An ſit pure dicenti neceſſaria.690.eius definitio. 691. eius partes. 692
Elegantia uocis quomodo comparanda. 109.111
Elegantia uocis non peruenit integra ad noſtra tempora. 107
Elegantia an ulla in uoce. 105.& ſeq.
Elegantiæ quæ figuræ inſeruiant.694.& ſeq.eius membra 696.eius contraria,Confuſio. 696
Elegantia uocis an Pronuntiatione diſtinguatur.106. 112.113.114.
Elegantiæ effectus,& partes. 24
Ellipſis. 375.421
Elocutio naturalis & artificioſa. 11.& 13
Elocutio ad Rhetorem,præcipue an pertineat. 21
Elocutio alia oratoria,alia poetica 14
Elocutio oratoria inuocis etiã elegantia conſiſtit.109
Elo-

Elocutio debet eſſe popularis. 23.40
Elocutio in duas partes diuiditur. 6
Elocutionis partes. 11
Elocutionis natura,& uis. 5.&6
Elocutionis prima pars ſimplicia uerba conſiderat. 41
Elocutionis naturalis uerba,& ſententiæ. 11
Elocutionis artificioſæ uerba. 11
Elocutionis uirtutes quæ ſint difficiliores, & uehementiores. 32.&33
Elocutionis latinitas qualis eſſe debet. 24.&25
Elocutionis uirtutes quot ſint,& quæ. 22.24.32.39
Elocutionis præcepta fruſtra tradita uidentur. 23
Elocutionis oratoriæ,& poeticæ diſcrimen. 15
Elocutionis uis non in uerbis ſolum conſiſtit. 19.109
Elocutionis nomina latina,& græca. 13
Elocutionis definitio 13
Eloquendi ratio duplex. 7
Eloquentes cur pauci ſint his temporibus. 19
Eloquentis nomen cui tribuendum. 33
Embrithe. 302
Emendata oratio in quo conſiſtat. 410
Emendatio. 325
Emphaſis.345.eius partes duæ. ibid.
Enallage. 253
Enallage quomodo latine dicatur.393.893.quæ figura ſit.394.Quot modis fiat. 893
Enallages duæ partes. 394
Energia.353.937.Ad quid ualeat. ibid.
Enthymema. 310
Enumeratio. 310
Enumeratio quid ſit.926.eius modi quot ſint.928.Vnde ſumatur. 929
Epanodos. 257.363
Epanadiploſis.251.eius uis. ibid.
Epanaphora. 249
Epanalepſis.248.250.251.eius uſus. 250.405
Epanaſtrophe. 248
Epa-

Epanarthoſis quid ſit. An rectè Prolepſi ſubijciatur. 325
Epectaſis. 375
Epembole quomodo latine dicatur. 405
Epentheſis. 374
Epexegeſis.328.390.Quomodo fiat. 329
Epexergaſia. 336
Ephexergaſia. 311
Epicertomeſis quomodo latine dicatur. 207. eiuſdem definitio. 207
Epicertomeſis & ſarcaſmi differentia. 207
Epicherema. 309
Epijcia. 796
Epilogus. 365
Epimelia. 725
Epimone. 332
Epiphonema. 285
Epiphora. 250
Epiſinapſis. 740
Epiſtrophe.250.eius uis. 251
Epitheton,latine Adiunctum.976.977.In quot orationis partibus ſit.978. Quot orationis partibus addatur.ibid.Vnde ſumatur.ibid.986.eius vſus uarius 979.980.Quibus figuris illuſtretur.982.Quid in eo conſiderandum. 982. Quibus concedatur liberius. 984. Quando orator utatur ijs. 985
Epitehemeſis 308. An eadem cum Antiſtrophe.ibid.
Epitrechon. 743
Epitriti. 598.599.601
Epitriti an ab uſu oratorio excludendi. 605.618
Epitrochaſmos. 272.338
Epitrope. 283.300
Epiuole. 249
Epizeuſis. 247
Epopœia quæ ſit.866. eius obſeruatio. 866
Erotema,uel Eroteſis. 266.271
Ethopæia,uel Ethologia.357.eius ſpecies tres. ibid.

Etio-

Etiologia. 329
Etymologię uſus. 190
Etymologia quid ſit. 190
Euchariſtia. 284
Euche 279
Eucrinia.689.An eadem ſit cum puritate. 690
Euidentia. 353
Euocatio diuerſorum numerorum. 403
Euocatio perfecta.403.Quot de cauſſis fiat. ibid.
Euocatio imperfecta. 403
Euocatio quomodo græce dicatur.403. Quid ſit. ibid.
eius partes duæ.ibid.Duæ etiam formæ. ibid.
Euocatio ſimplex 403
Exclamatio an ſit figura.276.An ſit tropus. ibid.
Exclamatio per Parentheſim. 278
Exclamatio quæ figura ſit.276.eius uſus.277.278.911
Exclamationis figuræ. 265
Exclamationis particulæ.277.cur interdum reticean-
tur. ibid.
Exclamationis obſeruatio. 278
Execratio. 282
Excuſatio. 311
Exegeſis.330.Quid differat ab epexegeſi. ibid.
Exemplum. 318.986
Exemplorum uſus quid ualeat.986. Eorum ratio tri-
plex.987.Vnde ſumantur.ibid.Quibus modis dila-
tentur.989.& ſeq. Quæ potius ſumenda.988. Quot
modis tractentur. 988
Exergaſia.330.eius uſus. ibid.
Exetaſmos. 271
Exordium. 364
Exordij dilatandi ratio. 1040
Expeditio.310.ubi locum habeat. ibid.
Expolitio,græce Ergaſia quid ſit.1051.Quotuplex ſit.
ibid.& 330.in quot partes diuidatur.1051. & ſeq.
Vnde ſumatur. 1053
Exultatio. 285

Exutheniſmus. 207
Excurſus. 362.1045
Extenuatio. 348

F

Fabij opinio de licentia refellitur. 303
Fabij opinio de compoſitione. 442
Fabij opinio de Epanorthoſi refutatur. 326
Fabuloſæ narrationes quæ ſint uſurpandæ,& ad quid conferant. 1049
Figura pro alia figura. 898
Figura ſententię quid ſit. 228
Figuræ ad orationem augendam. 328
Figuræ ad uariandam orationem quot conferant. 909
Figuræ cur quædam numerantur, quæ figuræ uim nõ habent. 312
Figuræ deſcriptio. 116.366
Figuræ deſcriptio oppugnatur 118. eadem defenditur 119.126
Figura dictionis quid ſit. 228
Figuræ dictionis. 121
Figuræ dictionis, an ſententiarum ſint prius tractandæ. 224.225.232
Figuræ dictionis,& ſententiæ quomodo differant. 229
Figuræ Grammaticæ. 366.369. An ſint ullæ. ibi.& ſeq.
Figuræ oratoriæ. 121
Figuræ plures in eadem ſententia. 409
Figurę nomen quot modis ſumatur. 368.& ſeq.
Figuræ poeticæ. 121
Figurę ſententiarum. 120
Figurę uis in quo conſiſtat. 116.120
Figuræ uerborum. 120
Figuræ uerborum, repetitione, & ſimilitudine fiunt. 244. Earum numerus. 245
Figurę ſententiarum cur ſchemata dicantur. 225
Figurarum doctrina difficilis. 222. Eadẽ incerta. ibid.

Figurarum diuiſio. 120.126
Figurarum faciendarum cauſſæ. 124.125
Figurarum genera tria. 228
Figurarum notitia neceſſaria. 222.234
Figurarum numerus an certus. 223.224
Figurarum ratio incerta. 223.231.243
Figurarum uſus moderatus. 129
Figurarum uſus quid requirat. 236
Figurata locutio eſt à natura. 118.123
Figuratus ſermo à natura ſit, an ab arte. 230
Fio uerbum quomodo uariandæ orationi inſeruiat. 896.915.
Frequentatio.339. Vbi adhibenda. ibid.
Frequentatiuum,& Inchoatiuum pro Primitiuo.

G

GEnealogia. 359
Generalis propoſitionis variatio. 915
Genitiuus ante caſum regentem. 472
Genus nominis pro alio genere. 896
Genus uerbi quomodo mutetur. 897
Geographi. 843
Geographia. 359
Gerundium ſupino,Gerundiuo,& participio quomodo mutetur. 895
Gnomarum finis. 1018. Earum uſus. 1018.1032. Earũ diuiſio. 1019.& ſeq. Earum utilitas. 1028. Quid eis auctoritatem addat. 1033
Gorgotes cur Toruitas dicatur. 756
Græca uerba quando,& ubi uſurpanda. 67.73.74
Græci,quàm latini feliciores in componendis uocabulis. 65
Græcolatina uerba quibuſdam non probari. 66
Gradatio.333. cur rarius adhibenda. 335
Grammaticæ figuræ an ſint à Rhetoricis diſtinctæ. 368

Grammaticus quomodo orationem conſideret. 648
Grammaticorum error in Heteroclitis. 71
Grammaticarum figurarum genera duo. 370
Grandia uerba,& ſonantia differunt. 96.97
Grandium & paruorum uerborum ſpecies. 97
Gratiarum actio. 284
Gratulatio. 284
Grauis orationis genera quattuor. 828
Grauitas quot modis alijs uocetur. 802
Grauitas à quibus Ideis,& quantum differat.810.821 & ſeq.
Grauitatis nomine quot orationis formæ intelligantur. 802
Grauitatis definitio.803.821.eius genera duo.803.821 Sententiæ.804.806.822.Dictio.807.822. Schemata. 808.822.Membra,& Compoſitio. 808. Partes tres. 836

H

HAeteroſis caſuum. 398
Harmoge,& Haphe quid ſit. 452
Harmoniam quid efficiat. 487
Hedone. 791
Hemiſtichia inſoluta oratione. 625.631
Hendiadys,latine Diſſolutio.408.eius contraria,ibid.
Hermenia. 330
Hermogenis doctrina de Ideis à quo ſumpta. 677
Heteronyma quæ ſint. 889
Heteroſis quę ſit. 890. Quomodo aliter uocetur.ibid.
Heteroſis quæ ſit.396.Quot modis fiat. ibid.
Hiſtoriæ definitio.843.Materia. 843
Hiſtoriæ,& Annalium differentia. 843
Hiſtoriæ methodus. 844. obſeruatio. 846. Virtutes. 849.Dictio,Membra,Compoſitio, & Numerus.851
Hiulca oratione ſæpius utuntur Græci, quàm latini. 461

Homœon. 319
Homœo teleuton. 261.478
Homœoptoton. 260.480.481
Homonymia.421.In quo ſiat. 422
Homonyma quæ ſint. 889
Homonymiæ effectus. 76
Honeſte, & obſcæne res eadem aliquando nominari poteſt. 46
Hoxytes. 791
Humilia uerba quæ ſint.86.Vbi uſurpanda. 87
Hypallage,latine ſubmutatio.408.Quomodo fiat. ibi.
Hyperbaſes. 408
Hyperbata quomodo latine dicantur.404.eorum ſpecies ſeptem. ibi.
Hyperbaton. 421.422
Hyperbole à quibus locis ducatur. 217
Hyperbole ad quid ualeat. 219
Hyperbole non eſt Ironiæ ſpecies. 219
Hyperbole modum requirit. 218
Hyperbole in tropis an in figuris ponenda ſit.215.216
Hyperbole quomodo latine dicatur.215.Quid ſit.ibi. Quomodo per eam uarietur oratio. 910
Hyperboles duæ ſpecies. 216
Hyperboles ab Auxeſi,& Meioſi differentia. 216
Hyperbole quot modis fiat. 218
Hyperbole quomodo mitigetur. 219
Hyperbolica locutio non mentitur. 218
Hyperenteſis.346.An eadem ſit cum Hyperbole.ibid.
Hypertheſis. 421
Hyphæreſis. 375
Hypocoriſmos.348.Ad quid ualeat. 349
Hypophora. 269.296
Hypoſtale. 376
Hypoſtas. 742
Hypoſtrophe. 763
Hypotypoſis.352.937.Quot modis latine dicatur. ibi. 937

Irónia non in uitijs locanda. 198
Ironia non ſemper continet irriſionem. 195
Ironiæ nomen Latinum. 193
Ironia tropi ſpecies. 193. Per eam variatio. 909
Ironiæ definitio. 194. 195. eiuſdem uis. ibid.
Ironiæ, ſimulatio, an diſſimulatio dicatur. 161
Ironia differt ab Allegoria. 191. 194. & ab Antiphraſi. ibid. & 192
Ironiæ diuiſio. 195. 204
Ironiæ obſeruatio. 196. Vtilitas. 197
Ironię uerba. 197
Iſchnotes quomodo fiat 416. & ſeq.
Iſocolon, uel Iſocolia. 262. 483
Iſodynamia per negationem. 906. Per relationem. 906
Iſodynamia quæ ſit. 890
Iſon. 320
Iucundarum ſententiarum genera. 781
Iudicialis generis forma. 837
Iunctura áſpera quæ ſit. 468
Iunctura debet eſſe concinna, & elegans. 457. Quomodo id fiat. 457
Iuncturæ definitio. 446

L

LAconiſmus. 434
Laconiſmus quæ Idea uocetur. 757
Lamentatio. 283
Lambrotes. 726
Latinæ linguæ pronuntiatio corrupta. 579
Latine loqui non eſt latinis verbis tantum uti. 84. 107
Latini ſermonis urbanitas corrupta eſt. 110
Latini ſermonis corruptela. 27. & 28
Latinitas duplex. 113
Latinitas quid ſit. 25
Latinitas quo modo comparetur. 25. & 32. 39

Latinitas non videtur eſſe propria Elocutionis uirtus 22
Latinitas perfecta decetur à Rhetore. 39
Latinitatis initia traduntur a Grammatico. 39
Leptologia. 426.433
Lexis. 685
Licentia.303.eius vſus. 304
Licentiæ utilitas. 305
Lingua Italica quid ſit.
Liquidæ cur ita dictæ. 456
Literæ quomodo pronuncientur. 455.459
Literarum concurſus qui ſit. 437
Literarum diuerſa natura. 457
Litote.349. Quomodo latine dicatur.ibid.
Liptote non recte dicitur. 349
Loci Dialectici qui ſint. 968
Loci Rhetorici,dialectici,ſophiſtici. 967
Loci Rhetorici,forenſes.967.Artificioſi. 968
Loci Sophiſtici. 968
Locupletandæ orationis modi quot ſint. 926
Lycimnij philoſophi opinio de Nominis honeſtate reprehenſa. 45
Lyricum poema. 868.eius genera. 869

M

MAcrologia. 426
Magi Apud Perſas qui. 8
Maiora minora, & paria quomodo ad dilatandam adhibeantur. 1010
Megethos. 698
Melos quomodo latine dicatur. 563
Membratim dicere. 635
Membra numeris an carere debeant. 635
Membra,vel Cola. 490.503
Membrum, 262
Mentre io leggeua quot modis varietur. 914

Me-

Meſotes. 745
Meſo zeugma. 382
Metabaſis.361.Ad quid valeat. ibid.
Metabole. 255
Metalepſis quomodo latine dicatur. 167
Metalepſis vſus. 167
Metalepſi rarius vtuntur oratores, quam Poetæ. 170
Metalepſis an inter tropos annumeretur. 166.167.170
Metalepſis definitio. 167.168
Metaphora a quo loco topico ſumatur. 146
Metaphora an ſimilitudine, & tranſlatione conſiſtat. 131
Metaphora cur delectet. 144.& ſeq.
Methaporæ definitio. 132.& ſeq.Per eam uariatio.901
Metaphora differt a ſimilitudine. 134
Metaphora in quibus orationis partibus fiat.
Metaphora quomodo latine dicatur. 132
Metaphora tria ſpectat. 133
Metaphora troporum præſtantiſſima. 130.144
Metaphoræ diuiſio an bona. 131.134.135.146. & ſeq.
Metaphoræ etymologia. 132
Metaphoræ inueniendæ quot cauſſæ. 135.136
Metaphoræ qualitates. 140.141
Metaphoræ vſus quid requirat. 143
Metaphoræ unde ſumantur.131.136.137.138.139.146
Metaphoræ vtilitates. 142.& ſeq.
Metaplaſmi quot de cauſſis fiant. 379
Metaplaſmi tribus modis fiunt. 371. Quot ſint ibid.In quot ordines diſtribuantur. ibid.
Metaplaſmi.366.371.Poetis quando permittantur.371 eorum genera duo. ibid.
Metaſtaſis. 309. 361. An eadem ſit cum Tranſitione. 309.
Metaſtaſis.361.309.eius modi octo. ibid.
Metatheſis. 257 324.376. An ſit ſententiæ figura. ibid.
Metatheſis. 376
Methodus quæ probetur in artibus. 442
Me-

Metonymia an differat à ſynecdoche. 148.155.157
Metonymia cur prior ſynecdoche. 147.154
Metonymia prius quàm Metaphora tractanda. 147. 154.
Metonymia quomodo latine dicatur. 149. Quomodo apud Rhetores. ibid.
Metonymia definitio. 148.149.154
Metonymia ex cauſſis efficientibus potiſſimum ſumitur: 147
Metonymię obſeruatio. 153
Metonymiæ genera. 149 eiuſdem modi. 152
Metonymiæ à quibus locis ſumantur 149.150.151.154
Metonymiæ vtilitas. 154. Per eam variatio. 901
Metriaſmos. 350
Metrum quid ſit. 569
Mimeſis quid ſit, & quomodo latine dicatur. 210
Minæ. 282
Mioſis. 423
Modeſtia an ſit ſplendori contraria. 797. eius ſententiarum genera quattuor. 798. Tractatio triplex. 799. Dictio. 800. Schemata, Compoſitio. 801
Modeſtia, ſeu Moderatio. 796
Modeſtiæ Idea vnde oriatur. 797. eius vis in quo ſita ſit. ibid. & 801
Modi quidam priuati orationis variandę. 914
Modulatio quomodo græce dicatur. 563
Modulatio ſolutæ orationis vnde fiat. 565
Mogilalia quæ ſit. 416
Moloſſus. 598.600
Monoſyllabæ dictionis accentus. 566
Monoſyllabæ dictionis locus. 612
Moratæ orationis cognitio neceſſaria. 767. eius genera duo. 768. eius definitio. 769
Moratum dicendi genus duplex. 769. eius partes.
Mutæ cum ſemiuocalibus miſcendæ. 156
Mutarum conſonantium ſonus. 95
Micteriſmi etymon. 206. eiuſdem definitio. ibid.

Mu-

N

N Mutatur in M.102. Et in alias certas litteras. 102
Narratio. 364
Narrationis dilat ndæmodi. 1041
Naſuti homines. 206
Natura in homine fabricando quid ſpectarit. 47
Naturalium rerum ſcriptor. 843
Negatio una pro duabus. 905
Negationes plures pro una. 905
Negatiuæ particulæ. 905
Noema. 346
Nomen pro Gerundio. 895
Nomen verbo quomodo mutetur. 894.923
Nomina ſunt rerum notæ. 45
Nominis honeſtas, aut turpitudo in duabus ſpectatur reb. 45
Nominum ſpecies quomodo mutentur. 396
Noua nomina formare an liceat. 57.58.61
Noua verba quæ dicantur. 58
Noua verba cur introducta. 57.58
Noua uerba quæ ſint vitanda. 59. Quæ vſurpanda. 60
Noua verba differunt, a nouaris. 61
Nouari verba quot modis poſſint. 64.65
Nouata verba quæ ſint. 61
Nouatis verbis an utendum. 57
Noui auctores qui ſint. 58
Numerus orationis variandus. 630
Numerus in media periodo obſeruandus. 622. & ſeq.
Numerus, & numeroſa concinnitas differunt. 477
Numerus in oratione qui ſit. 442.450
Numerus maior minori poſt ponitur. 472
Numerus oratorius an ſit arte quærendus. 577. & ſeqq. & ad quem finem. 579
Numerus oratorius eſt rebus aptandus. 736
Numerus oratorius in duobus potiſſimum ſpectatur pedibus. 607

Nu-

Numerus quid ſit.556.559.562.580.Vnde oriatur. ibi. 596.636.An ſemper fuerit obſeruatus. 557. 577. An ullus ſit in oratione ſoluta.556.& ſeq.eius ſignificationis uariæ.558. An ſit, aut eſſe poſſit in ſermone. 561.Quotuplex ſit.562.In quo conſiſtat. 604
Numerus poeticus qui ſit. 562.573
Numerus oratorius qui ſit. 562.574
Numerus pro Numero. 897
Numerus ubi præcipue ſpectandus. 835
Numeri diſputatio eſt perplexa & obſcura. 451
Numeri frequentatio quot incommoda pariat. 630
Numeri oratorij obſeruatio difficilior quàm poetici. 587.eius etiam uſus difficilior. 588.Quo pacto fiat facilior. 638.& ſeqq.
Numeri oratorij inuentores. 575
Numeri oratorij uſus.625.Quo pacto cõparetur.ibid.
Numeri uis maxima. 584. eius neceſſitas, & utilitas. 585.eius effectus. 585
Numero delectantur homines. 582
Numeroſa oratio quæ ſit.563.588.629.Quid requirat. 603.637
Numeroſa oratione quibus in generibus ſit utendũ. 634
Numeroſe dicere,an ſententia ſe ſit melius. 641
Numeroſa ſententia quæ ſit. 476.478

O

O Literæ ſonus. 93
Obiurgatio. 283
Obiurgatio.308.An eadem cum Inuerſione. ibid.
Obſcœnis de rebus quomodo loquendum. 49
Obſcœnitatem Natura refugit. 47.48
Obſcœnitas eſt in uerbis.47.56.& in rebus. 56
Obſcœna uerba in elocutione oratoria non adhibenda. 48
Obſcuritas perſpicuitati opponitur. 29.411

Ob-

Obſcuritatis modi nouem. 420
Obſcurus ſermo in quo fiat.411.eius ſpecies. 420
Obteſtatio,ſeu Obſecratio. 280
Obticentia. 287
Occupatio 292.298.Vbi locum habeat. 295
Occupatio an eadem ſit cum Præteritione. 292
Occupatio uim inſinuationis habet. 63.293
Ominatio.282. Quomodo per eam uarietur oratio. 911
Omœologia. 432
Omœoſis. 313
Ongos. 424
Onomatopœia à quibus locis ſumatur. 220
Onomatopœia non eſt tropi ſpecies. 222
Onomatopœia quomodo latine dicatur, & quid ſit. 219
Onomatopęiæ uſus, & obſeruatio. 221
Oppoſitio. 322.296
Oppoſitorum genera quattuor.904.1002.eorum tractatio.1003.& ſeq.Per ea amplificatio. 1008
Optatio,ſeu Votum. 279
Oratio aſſimilatur ædificio. 436
Oratio colligata tribus rebus conſtat. 441
Oratio cur uarie definiatur,& diuidatur. 649
Oratio duplex,ſoluta uel colligata. 441
Oratio eſt quoddã oratoris op⁹.646.vnde dicitur.647 eius deſcriptio. ibid.
Oratio quæ proprie dicatur. 121
Orationis ornatus differentia. 17
Orationis ornatus in rebus,& in uerbis. 16.& 30
Orationis ſolutæ primi auctores. 10
Orationis ſolutæ ſcriptores primi qui fuerint. 575
Orationis uirtus prima eſt diluciditas. 665
Orationis uirtutes.121.410.eiuſdem uitia. 121
Orationis uitia. 410
Orator bonus qui dicatur. 40
Orationis uitia tria.410.411.In quo conſiſtant. ibid.

Oratoria uis in quo eluceat. 12
Oratoris munera duo. 883
Oratores ridiculi qui. 10
Ordo quot modis capiatur in rhetoricis. 440
Ordo uerborum duplex. 440
Ordinis tractatio ad diſpoſitionem pertinet. 437
Oris inſtrumenta ad loquelam quæ ſint. 455
Oriſmos. 350
Ornatæ orationis utilitates. 36.37
Ornatus debet cauſſarum generi accommodari. 35.36
Ornatus in oratione debet eſſe modicus. 23. 33. & 34.
Ornatus non uidetur eſſe propria elocutionis uirtus. 23
Ornatus orationis in figuris. 411
Ornatus orationis qualis eſſe debeat. 34.35
Ορθοέπεια quid ſit, & quomodo fiat. 112
Orthrotes. 686
Oxymoron. 327.428

P

PAEones. 598.599.601
Palilogia. 247.248
Palimbacchius. 598.600
Parabole cur ſic dicta. 317.997. Quid ſit. ibid.
Paradiaſtole. 323
Paradigma. 318. eius à ſimilitudine differentia. 318
Paradoxon. 327. eius uſus. ibid.
Paragoge. 375
Paragramma. 253
Paralepſis. 298. 375. eius ſpecies. ibid.
Parallela quæ ſint. 486. Et quot ſint. 487
Paranomaſia. 253. Quattuor fit modis. 254
Paraploce. 428
Paraſceue. 363
Pareclaſis. 362. Quot modis latine dicatur. ibid.
Parecheſis. 254

Pa-

Paregmenon. 255
Parecon.392.Quot ſint eius modi. ibid.& ſeq.
Pareilepſis. 376
Paremptoſis. 375
Parentheſis quomodo latine dicatur.404.Quid ſit.405
Pariſon.263.310.An differat ab Iſocolo. ibid.
Pariſoſis. 751
Paręmiæ nomen latinum.200.eiuſdem etymon. ibid.
Paręmiæ definitio. 200.201
Paromœoſis. 260
Paromologia. 301
Paronymia. 253
Paranomaſię,& Antanaclaſis differentia. 255
Parrheſia.303.Quomodo mitigetur. 305
Pars orationis declinabilis pro declinabili ponitur. 394.Declinabilis pro Indeclinabili.ibid.Indeclinabilis pro Declinabili.ibid.Indeclinabilis pro Indeclinabili. ibi.
Pars orationis una quomodo alia commutetur. 894. 915
Participij ſpecies quomodo mutentur. 398
Partitio. 342.364
Partitio quid ſit.926.eius ſpecies tres. 927
Paruorum uerborum uis. 98
Patauinitas in Liuio. 26
Patheticæ orationis exempla. 356
Pathopœia.355.eius partes duæ. 356
Patronymicum pro primogenio. 898
Pedes celeres.603.Tardi ibid.Temperati. ibid.
Pedes diſyllabi qui ſint.597.600. Triſyllabi. ibid.600. Quadtriſyllabi.698.600.Pentaſyllabi. 606
Pedes duplices. 602
Pedes, ex quorum frequentatione extant uerſus, qui ſint. 631
Pedes in oratione ſoluta an ſint obſeruandi. 592
Pedes in principijs aptandi. 620
Pedes pares qui dicantur. 601.602

Pedes priores, & poſteriores. 601
Pedes qui dicantur meliores. 608. Qui magis obſer-uentur, ibid. Qui quo loco ſint collocande. 612
Pedes quos admittat numerus oratorius. 593
pedes ſeſquimaiores. 602
pedes ſimiles arſi, & theſi. 601
pedis nullius uſus in ſoluta oratione interdictus. 609
pedum collocatio tres locos reſpicit. 606
pedum dimenſio uaria apud oratores. 592
pedum diſyllaborum collocatio. 613
pedum diuiſio. 597
pedum doctrina incerta. 593. Eorum numerus. 594 Eorum bonitas, & electio. 594. Tria in pedibus conſideranda. 601 Eorum bonus uſus. 611
pedũ obſeruatio neceſſaria ad numeroſã orationẽ. 603
pentasyllabi an periodos claudant. 619
percunctatio. 270
percurſio. 272. 338
peregrina uerba. 72. 73. Cur uſurpentur. ibid.
peribole. 426. 736. Quomodo fiat. 427
peribole a Periodo diſtinguitur. 544
periergia. 426
periphraſis quid ſit, & quomodo latine dicatur. 213
periphraſis an ſit tropus ab alijs diſtinctus. 213
periphraſi quibus de cauſſis utamur. 214
periphraſis q̃uot modis fiat. 213
per eam uariatio. 903
periodus quid ſit. 490. 509. & ſeq. eius diuiſio. 526. 533. 535. 536. eius partes. 490. 520. 521. eius notatio. 509. eius uſus. 539
periodus q̃uo latine dicatur. 509. Quot in ea requirantur. 510. 515. cur Clauis dicatur. 511. Quotmodis accipiatur. 514. An ſit idem quod enthymema. 518
period⁹ quot mẽbris cõſtet. 520. & ſeq. An poſſit eẽ monocolos. 525. An dicolos. 526. An eius mẽbra deant eſſe æqualia. 529. An nimis lõga, nimiſue curta. 529
periodi definitio ab Ariſtotile tradita an ſit bona. 513

517.519.ei⁹ uirtutes.523.531.eius gn̄a tria.533.539
periodi tres modi. 546
Periſſologia.425. vbi uſurpetur. ibid.
Perimos logos. 745
Permiſſio.300. An a Conceſſione differat. 301.302
Perorationis amplificandæ modi. 1044
Perſeuerantia. 250
Perſij dictum de malo poeta. 450
Perſonæ uariatio.699.per Apoſtrophen qūo fiat. 900
Perſonarum attributa. 813
Perſpicuitas nō uī eſſe propria Elocutionis uirtus. 22
Perſpicuitas orationis quibus rebus conſtet. 411
Perſpicuitas quomodo retineatur. 28.& 29
Perſpicuitatis effectus, 28
Pes quid ſit. 596
Pes unus alio continetur. 593
Peuſis. 266.270
Philoſophicæ orationis Idea,& tractatio. 874
Philoſophicum decorum. 872
Phoneon. 802
Plagiaſmos. 686.743
Plautarum ſcriptor. 843
Platiaſmos qui ſit,& quomodo fiat. 41
Plenitudinis definitio. 745
Pleonaſmos.344 Ad quid ualeat. ibid.
Pleonaſmus.424.Quando non ſit uitium. ibid.
Pleonaſmus quid ſit.392.Quibus de cauſſis fiat. ibid.
Ploce.257.An ſit ſchema. 258
Pneuma ideſt ſpiritus quid ſit.546.eius colligatio quomodo fiat. 547. eius ornatus in quo conſiſtat. 548. eius uirtutes.548.An dēat eſſe monoſchematō.548. Quæ figuræ ei inſeruiat.549.Vbi plura reqrant.551
Pœkilogia. 432
Poematis decori methodus. 871
Poeſis genera tria. 854
Poeta quomodo orationem conſideret. 648
Poetarum licentia in uerbis. 103

Poetæ ante oratores fuerunt. 10.& 15
Poetæ laus quibus in rebus extet. 870
Poetæ obſcæni damnantur. 48
Poetæ qui dicerentur antiquis. 648
Poetica phraſis ab oratoria diuerſa. 9.& 15
Poetica verba quę dicantur. 69
Poetica uerba an Oratori permittantur.68.69.75. An dura.ibid.75.An peregrina. ibid.
Poeticæ orationis decorum. 853
Poeticæ definitio.853.eius genera tria.853.Sententię. 855.Methodus.856.Dictio,ſchemata, Membra,Cōpoſitio. 857.& ſeq.
Poeticæ phraſes oratori uitandæ. 69
Politica oratio,quæ,& qualis ſit.834.eius partes tres. 835.ex quibus formis fiat. 835
polyonyma quæ ſint. 888
polyonymia quæ ſit.890.& quotuplex. ibid.
polyptoton.256.Vbi fiat. 257
polyſchematiſton. 428
polyſyllabæ dictionis accentus. 566
polyſyndeton.258.eius uſus. ibid.
pomphologia. 431
poſitiua qūo augeātur.916.Qūo minuanť.916.& ſeq.
poſſeſſiuum pro Primitiuo. 898
pragmatographia. 353.938.939
præcepti definitio.879.Qualitas,& quantitas. 879
preceptio. 292
præciſio. 363
præpoſitionum ſpecies quomodo mutentur. 398
præſagium. 282
præſumptio. 292.386
præteritio.298.An Ironiæ ſubijcienda ſit.ibi.eius uſus 299.911.Quibus uerbis fiat. ibid.
principia an numeris carere debeant. 620
priſca uerba & antiquata non ſunt eadem. 52
priſci ſcriptores qui ſint. 52.53
priſcis uerbis ubi utendum. 54

priſcorum uerborum duo genera. 53
priſcorum uerborum uis. 54
priuantia quæ ſint.904.1002.Per ea uariatio. 906.924
probatio quid ſit. 967
probationum copia unde ſumatur. 967
pro cataleptice. 737
procataſceue. 297
proceleuſmaticus. 598.600
prolepſis & Procatalepſis. 292.293.365.386
prolepſis ab Inuentionis locis dependet. 293
prolepſis uſus.294.386.eius genera. ibid.
pronomen pronomini præponendum. 471
Pronominum ſpecies quomodo mutentur. 397
Prolepſis conſtructionis. 386
Prolepſis locutionis duplex. 386. De ea regulæ quædam. ibi. Duæ eius partes.387.Duæ itē ſpecies.ibi.
Propoſitio quot modis dilatetur. 1042
Propoſitio Rhetorica.961. eius diuiſio.962.& ſeq. Vnde ſumatur.963.eius quantitas. 963
Propoſitionum copia quomodo comparetur. 964
Propria verba quæ ſint.79 80.81.Qñ vſurpanda.83 84
propriorũ verborũ vſus laudat̃.82.Qũo cõparet̃.82.83
Propriorum verborum an vlla ſit virtus. 103
Proſapodoſis 311. Quot modis fiat. ibid.
Proſopographia.354.938.940.Vnde ſumatur. 941
Proſopopœia. 355.939
Proſtheſis.373.Quot modis fiat. 374
Protaſis. 363
Protheſis quomodo latine dicatur.390. Quid ſit. ibid. Quot de cauſſis fiat. 390. Eius partes duæ. ibid. Quot modis fiat.ibid. Quotuplex ſit. 391
Prothyſteron. 407
Protozeugma. 382
Pſellotes quomodo fiat. 416.& ſeq.
Pulchritudinis definitio. 747.749.Quot ad eam requirãtur.ibi.eius genera.749.Dictio.750. Figuræ.751.& ſeq.Mẽbra,& Cõpoſitio.753.Clauſula, & Numerus 574.

754. Eius contraria diſſipata & neglecta oratio. 755
Puritas, prima orationis Idea. 680. eius contraria circunductio. 681. 688. Vnde oriatur. 682. eius methodus ſimplex. 683. eius verba qualia. 685
Puritatis mēbra. 687. pedes qui. 687. eius effectus. 691
Pyrrhichius. 597 600
Pyſma. 271. 272

Q

QVæſitum, quæſtio. 271
Quantitas duplex in vocibus. 97
Querela. 283
Quinctiliani opinio de Exclamatione refellitur. 276
Quinctiliani opinio de Comparatione refellitur. 340

R

R Literæ ſonus. 101. 102. 464
Ratiocinatio. 342 954
Redditio. 364
Reduplicatio. 248. eius vis. ibid
Reiectio. 306.
Relata quæ ſint. 904. Per ea variatio. 906. 924
Relatiuum antecedenti præponitur. 472
Repetitionū figuræ variæ. 245. earūdē vis in orone. ibi.
Repetitionum figuræ in quo conſiſtant. 246
Res eadem poteſt eſſe honeſta. & obſcœna. 46
Reticentia. 287
Reuocatio. 325
Rhetor an poſſit de figuris Grammaticis, & Poeticis tractare. 372
Rhetor quomodo orationem conſideret. 648
Rhetoricæ præſtantia, & difficultas. 1
Rhythmus an ſoluta in oratione reperiatur. 570.
Rhythmus muſicus. 568
Rhythmus quid ſit. 559. 568. 580. Quibus ſenſibus percipiatur. 560. Vnde pendeat. ibi. Quotuplex ſit. 561

S

S literæ ſibilus quibus diſpliceat. 1
S cur ita formetur. 454. A quibus fugiatur. ibid.

Sacras literas interpretandi, docendique rationem pollicetur Auctor. 41
Sapientes & eloquentes ijdem. 8
Sapientes qui ſint apud Græcos. 647
Sapientiæ, & eloquentiæ diuortium. 8. & 20
Sapientum officium. 8
Sarcaſmi notatio. 205. eiuſdem definitio. ibid.
Satyræ decorum. 865. Materia. 864
Shema quid ſignificet. 225. quid ſit. 226. 227
Schemata. 120
Schemata ſyntactica. 379
Schemata tactica quæ ſint. 404
Schematum duo genera. 227
Schematum origo. 237
Shematum varietates. 242
Scheſis. 307
Scleroſtomia quomodo fiat. 417
Scommatis ſubdiuiſio. 204
Scotinon quod uitium ſit. 420
Scribæ apud Hebræos qui. 8
Scribæ qui dicantur Hæbreis. 647
Scriptores emendati in Dialecticis. 61. In Phyſicis 61
Semiuocalium ſonus.
Semnotes quæ ſit. 802
Senarij uerſus uix fugiendi. 632
Sententia. 347. 1014. & ſeq. eius forma in quo ſita ſit. 1018. Ad quid ualeat. 1030.
Sententiarum ornatus potior, quã uerborum. 17. & 18
Sentẽtiæ morales quot ſint. 1027. Vnde ſumatur. 1031
Sermocinatio 347. A quibus uſurpetur. ibid.
Sermonis lepor in quibus rebus conſiſtat. 111. & ſeq.
Signa quæ ſint Dialecticis. 905
Signorum tria genera. 342
Significandi modus etiam ſpectatur in nominib. 45
Similiter cadens. 260. 480. 482
Similiter deſinens. 261. 478
Similitudo an a Tranſlatione diſtinguatur. 66. 67

Simi-

Similitudo quid ſit.313 993.Quotuplex ſit. 314
Similitudo.993.Quot modis ſumitur.993.& ſeq. Qualis eſſe debeat.995.Quot modis tractari poſſit. 996
Similitudinis & Comparationis figuræ. 313. An uim argumenti habeant.313.An tantum ad exornādum conferant. ibid.
Similitudinis obſeruatio.315.eius utilitates. ibi.
Simplex pro compoſito. 898
Simplicitatis definitio.771.eius ſententiæ.771.& ſeqq. Methodus 774.& ſeqq.Dictio.778.Membra,Compoſitio, 779. eius cōtraria eſt oratio calida & acuta. 780
Simulo & diſſimulo an,& quomodo differant. 191
Socratis dictum de Lyſiæ oratione. 30.& 31
Sophi apud Græcos qui. 8
Solœciſmus an una tantum in uoce fiat.418.Quot modis fiat. 419
Solœciſmi definitio.418.eius notatio. 419
Somatopœia. 355
Somnia an ſint in oratione uſurpanda, & ad quid ualeant. 1049
Sonus clarior in uocibus unde fiat. 92
Soraïſmos. 427
Sordida uerba quæ ſint. 46
Sordida uerba & humilia differunt. 50.51
Sordida uerba oratori non permittuntur. 52
Sordida uerba periphraſi deſcribenda. 52
Sordidis uerbis qui utantur. 51
Species pro ſpecie. 898
Splendoris partes tres.724.earum differētia.725. eius definitio. 726
Splendoris ſententiæ 726.727.Methodus. 728. Dictio 729.ſchemata,Membra,Compoſitio, Clauſula, & Numerus 730.& ſeq.eius contraria, Ieiuna,& ſqualida oratio. 731
Spondeus. 597 600
Stribligo. 419

Suauitas duplex.781.eius ſententiç. 781. & ſeqq.Methodus.785.Dictio.786. Schemata. 788. Compoſitio.788 Clauſula. 789
ſubiectio 269.Quomodo per eam uarietur oratio.913
Sublimia uerba quæ ſint.84.85.Vbi uſurpanda. 87.88
Subāſtiua pronominibus adiectiuis p̄ponéda,470. & cōparatiuis.ibi.& ſuplatiuis.ibi.& numeralib. 470
ſubſtātiuū nomē adiectiuo qūo cōmutet 893.898 924
Subtilitas duplex. 792
Suffiguratio. 330
Superabundantia. 344
Superlatiua quomodo augeantur,uel minuantur, uel uarientur. 919.& ſeqq.
Supinum quot modis uarietur. 914
Supplicatio. 279
Suſpendere naſo. 206
Syllaba quæ indifferens habeatur. 604
Syllaba quid ſit. 595
Syllabarum quantitas. 595
Syllabariſmus qui ſit.415 Vbi fiat, & quomodo. ibid.
Syllabæ definitiuo à grāmaticis tradita reprobat 595.
Sylleplis. 383. eius à Zeugmate differentia. 384. eius partes duæ.384.Duæ etiam ſpecies. ibid. & ſeq.
Syllogiſmus. 342
Symploce. 251
Synœcioſis.325.eius uis. ibid.
Synereſis. 377
Synalępha cur iuuenta. 453
Synalephe.378.ab oratorib. latinis nō uſurpatur.378
Synathręſmos. 337. Qūo ab Incremento differat. 337
Synchorema,uel Synchoreſis. 300
Synchyſis,latine Confuſio. 406
Syncope. 376
Syncriſis. 320
Syncyceoſis. 325
Syndicaſmos. 322
Synecdoches genera. 157

Synec-

Synecdoches locus topicus. 160
Synecdoches modi. 156.158
Synecdoches obſeruatio. 160
Synecdoche à loco Totius ſumitur. 147
Synecdoche definitio 155.156. Per eam uariatio. 902
Synecdoche quomodo latinè dicatur. 156
Synecdoche quomodo latine dicatur.402. Quæ figura ſit.ibid.eius partes duæ ibi. Duæ etiã formæ ibi.
Synechia à Periodo differt. 544
Synonyma quæ ſint. 889
Synonyma per figuras. 909
Synonymia quæ ſit. 329.890.893. Et quotuplex.ibid. Quõ compareτur. 891.eiuſdem uſus.ibi,& 912.923
Synonymię effectus. 76
Synonymię uerborum ſpecies nouem, 892
Syntaxis quid ſit.380.eius duplex ratio. ibid.
Synthеſis quæ ſit. 401. eius partes duæ.ibid. Duę item formę. ibid.
Syntheſi qui auctores cerebrius utantur. 402
Syntomia. 427
Syſtema quid ſit. 499.510
Syſtole. 378

T

TAm & Quam in uariãda oratione quomodo uſurpentur. 915
Tarda oratio quæ dicatur. 98
Tarda uerba quæ ſint. 98.99
Tardis uerbis quando utendum. 100
Taſis ideſt extenſio quid ſit.552.eius genera duo.553. eius modi duo. 554
Tapinoſis. 424
Tapinoſis.348.eius genera duo ibid.Per eam uariandi modus. 910
Tautologia. 247.329.426
Tempus in ſyllaba quid ſit. 595
Tempus pro tempore. 899
Tetraſyllabi pedes an ſententiam claudant. 616.617

Obſcuritatis modi nouem. 420
Obſcurus ſermo in quo fiat.411.eius ſpecies. 420
Obteſtatio,ſeu Obſecratio. 280
Obticentia. 287
Occupatio 292.298.Vbi locum habeat. 295
Occupatio an eadem ſit cum Præteritione. 292
Occupatio uim inſinuationis habet. 63.293
Ominatio.282. Quomodo per eam uarietur oratio. 911
Omœologia. 432
Omœoſis. 313
Ongos. 424
Onomatopœia à quibus locis ſumatur. 220
Onomatopœia non eſt tropi ſpecies. 222
Onomatopœia quomodo latine dicatur, & quid ſit. 219
Onomatopęiæ uſus, & obſeruatio. 221
Oppoſitio. 322.296
Oppoſitorum genera quattuor.904.1002.eorum tractatio.1003.& ſeq.Per ea amplificatio. 1008
Optatio,ſeu Votum. 279
Oratio aſſimilatur ædificio. 436
Oratio colligata tribus rebus conſtat. 441
Oratio cur uarie definiatur,& diuidatur. 649
Oratio duplex,ſoluta uel colligata. 441
Oratio eſt quoddã oratoris op⁹.646.vnde dicitur.647 eius deſcriptio. ibid.
Oratio quæ proprie dicatur. 121
Orationis ornatus differentia. 17
Orationis ornatus in rebus,& in uerbis. 16.& 30
Orationis ſolutæ primi auctores. 10
Orationis ſolutæ ſcriptores primi qui fuerint. 575
Orationis uirtus prima eſt diluciditas. 665
Orationis uirtutes.121.410.eiuſdem uitia. 121
Orationis uitia. 410
Orator bonus qui dicatur. 40
Orationis uitia tria.410.411.In quo conſiſtant. ibid.

Oratoria uis in quo eluceat. 12
Oratoris munera duo. 883
Oratores ridiculi qui. 10
Ordo quot modis capiatur in rhetoricis. 440
Ordo uerborum duplex. 440
Ordinis tractatio ad diſpoſitionem pertinet. 437
Oris inſtrumenta ad loquelam quæ ſint. 455
Oriſmos. 350
Ornatæ orationis utilitates. 36.37
Ornatus debet cauſſarum generi accommodari. 35.36
Ornatus in oratione debet eſſe modicus. 23. 33. & 34.
Ornatus non uidetur eſſe propria elocutionis uirtus. 23
Ornatus orationis in figuris. 411
Ornatus orationis qualis eſſe debeat. 34.35
Ὀρθοέπεια quid ſit, & quomodo fiat. 112
Orthrotes. 686
Oxymoron. 327.428

P

PAEones. 598.599.601
Palilogia. 247.248
Palimbacchius. 598.600
Parabole cur ſic dicta. 317.997. Quid ſit. ibid.
Paradiaſtole. 323
Paradigma. 318. eius à ſimilitudine differentia. 318
Paradoxon. 327. eius uſus. ibid.
Paragoge. 375
Paragramma. 253
Paralepſis. 298.375. eius ſpecies. ibid.
Parallela quæ ſint. 486. Et quot ſint. 487
Paranomaſia. 253. Quatuor ſit modis. 254
Paraploce. 428
Paraſceue. 363
Pareclaſis. 362. Quot modis latine dicatur. ibid.
Parecheſis. 254

Paregmenon. 255
Parectcon. 392. Quot ſint eius modi. ibid. & ſeq.
Pareilepſis. 376
Paremptoſis. 375
Parentheſis quomodo latine dicatur. 404. Quid ſit. 405
Pariſon. 263. 310. An differat ab Iſocolo. ibid.
Pariſoſis. 751
Parœmiæ nomen latinum. 200. eiuſdem etymon. ibid.
Parœmiæ definitio. 200. 201
Paromœoſis. 260
Paromologia. 301
Paronymia. 253
Paranomaſię, & Antanaclaſis differentia. 255
Parrheſia. 303. Quomodo mitigetur. 305
Pars orationis declinabilis pro declinabili ponitur. 394. Declinabilis pro Indeclinabili. ibid. Indeclinabilis pro Declinabili. ibid. Indeclinabilis pro Indeclinabili. ibi.
Pars orationis una quomodo alia commutetur. 894. 915
Participij ſpecies quomodo mutentur. 398
Partitio. 342. 364
Partitio quid ſit. 926. eius ſpecies tres. 927
Paruorum uerborum uis. 98
Patauinitas in Liuio. 26
Patheticæ orationis exempla. 356
Pathopœia. 355. eius partes duæ. 356
Patronymicum pro primogenio. 898
Pedes celeres. 603. Tardi ibid. Temperati. ibid.
Pedes diſyllabi qui ſint. 597. 600. Triſyllabi. ibid. 600. Quadriſyllabi. 698. 600. Pentaſyllabi. 606
Pedes duplices. 602
Pedes, ex quorum frequentatione extant uerſus, qui ſint. 631
Pedes in oratione ſoluta an ſint obſeruandi. 592
Pedes in principijs aptandi. 620
Pedes pares qui dicantur. 601. 602

Pedes priores, & poſteriores. 601
Pedes qui dicantur meliores. 608. Qui magis obſeruentur, ibid. Qui quo loco ſint collocande. 612
Pedes quos admittat numerus oratorius. 593
pedes ſeſquimaiores. 602
pedes ſimiles arſi, & theſi. 601
pedis nullius uſus in ſoluta oratione interdictus. 609
pedum collocatio tres locos reſpicit. 606
pedum dimenſio uaria apud oratores. 592
pedum diſyllaborum collocatio. 613
pedum diuiſio. 597
pedum doctrina incerta. 593. Eorum numerus. 594 Eorum bonitas, & electio. 594. Tria in pedibus conſideranda. 601 Eorum bonus uſus. 611
pedũ obſeruatio neceſſaria ad numeroſã orationẽ. 603
pentasyllabi an periodos claudant. 619
percunctatio. 270
percurſio. 272. 338
peregrina uerba. 72. 73. Cur uſurpentur. ibid.
peribole. 426. 736. Quomodo fiat. 427
peribole a Periodo diſtinguitur. 544
periergia. 426
periphraſis quid ſit, & quomodo latine dicatur. 213
periphraſis an ſit tropus ab alijs diſtinctus. 213
periphraſi quibus de cauſſis utamur. 214
periphraſis quot modis fiat. 213
per eam uariatio. 903
periodus quid ſit. 490. 509. & ſeq. eius diuiſio. 526. 533. 535. 536. eius partes. 490. 520. 522. eius notatio. 509. eius uſus. 539
periodus quo latine dicatur. 509. Quot in ea requirantur. 510. 515. cur Clauis dicatur. 511. Quotmodis accipiatur. 514. An ſit idem quod enthymema. 518
period⁹ quot mẽbris cõſtet. 520. & ſeq. An poſſit eẽ monocolos. 525. An dicolos. 526. An eius mẽbra deant eſſe æqualia. 529. An nimis lõga, nimiſue curta. 529
periodi definitio ab Ariſtotile tradita an ſit bona. 513

517.519.ei⁹ uirtutes.523.531.eius gña tria.533.539
periodi tres modi. 546
Periſſologia.425. vbi uſurpetur. ibid.
Perittos logos. 745
Permiſſio.300. An a Conceſſione differat. 301.302
Perorationis amplificandæ modi. 1044
Perſeuerantia. 250
Perſij dictum de malo poeta. 450
Perſonæ uariatio.699 per Apoſtrophen qūo fiat. 900
Perſonarum attributa. 813
Perſpicuitas nó uř eſſe propria Elocutionis uirtus. 22
Perſpicuitas orationis quibus rebus conſtet. 411
Perſpicuitas quomodo retineatur. 28.& 29
Perſpicuitatis effectus. 28
Pes quid ſit. 596
Pes unus alio continetur. 593
Peuſis. 266.270
Philoſophicæ orationis Idea,& tractatio. 874
Philoſophicum decorum. 872
Phormicon. 802
Plagiaſmos. 686.743
Plautarum ſcriptor. 843
Plataſmos qui ſit,& quomodo fiat. 41
Plenitudinis definitio. 745
Pleonaſmos.344 Ad quid ualeat. ibid.
Pleonaſmus.424.Quando non ſit uitium. ibid.
Pleonaſmus quid ſit.392.Quibus de cauſſis fiat. ibid.
Ploce.257.An ſit ſchema. 258
Pneuma ideſt ſpiritus quid ſit.546 eius colligatio quo modo fiat. 547. eius ornatus in quo conſiſtat. 548. eius uirtutes.548. An déat eſſe monoſchematō.548. Quæ figuræ ei inſeruiat.549.Vbi plura reqrant.551
Pœkilogia. 432
Poematis decori methodus. 871
Poeſis genera tria. 854
Poeta quomodo orationem conſideret. 648
Poetarum licentia in uerbis. 103

Poetæ ante oratores fuerunt. io.& 15
Poetæ laus quibus in rebus extet. 870
Poetæ obſcæni damnantur. 48
Poetæ qui dicerentur antiquis. 648
Poetica phraſis ab oratoria diuerſa. 9.& 15
Poetica verba quę dicantur. 69
Poetica uerba an Oratori permittantur.68.69.75. An dura.ibid.75.An peregrina. ibid.
Poeticæ orationis decorum. 853
Poeticæ definitio.853.eius genera tria.853.Sententię. 855.Methodus.856.Dictio,ſchemata, Membra,Cõpoſitio. 857.& ſeq.
Poeticæ phraſes oratori uitandæ. 69
Politica oratio,quæ,& qualis ſit.834.eius partes tres. 835.ex quibus formis fiat. 835
polyonyma quæ ſint. 888
polyonymia quæ ſit.890.& quotuplex. ibid.
polyptoton.256.Vbi fiat. 257
polyſchematiſton. 428
polyſyllabæ dictionis accentus. 566
polyſyndeton.258.eius uſus. ibid.
pomphologia. 431
poſitiua qũo augeãtur.916.Qũo minuanť.916.& ſeq.
poſſeſſiuum pro Primitiuo. 898
pragmatographia. 353.938.939
præcepti definitio.879.Qualitas,& quantitas. 879
preceptio. 292
præciſio. 363
præpoſitionum ſpecies quomodo mutentur. 398
præſagium. 282
præſumptio. 292.386
præteritio.298.An Ironiæ ſubijcienda ſit.ibi.eius uſus 299.911.Quibus uerbis fiat. ibid.
principia an numeris carere debeant. 620
priſca uerba & antiquata non ſunt eadem. 52
priſci ſcriptores qui ſint. 52.53
priſcis uerbis ubi utendum. 54

priſcorum uerborum duo genera. 53
priſcorum uerborum uis. 54
priuantia quæ ſint.904.1002.Per ea uariatio. 906.924
probatio quid ſit. 967
probationum copia unde ſumatur. 967
pro cataleptice. 737
procataſceue. 297
procceleuſmaticus. 598.600
prolepſis & Procatalepſis. 292.293.365.386
prolepſis ab Inuentionis locis dependet. 293
prolepſis uſus.294.386.eius genera. ibid.
pronomen pronomini præponendum. 471
Pronominum ſpecies quomodo mutentur. 397
Prolepſis conſtructionis. 386
Prolepſis locutionis duplex. 386. De ea regulæ quædam. ibi. Duæ eius partes.387.Duæ itē ſpecies.ibi.
Propoſitio quot modis dilatetur. 1042
Propoſitio Rhetorica.961. eius diuiſio.962.& ſeq. Unde ſumatur.963.eius quantitas. 963
Propoſitionum copia quomodo comparetur. 964
Propria verba quæ ſint.79 80.81.Qñ vſurpanda.83 84
propriorū verborū vſus laudat̄.82.Qūo cōparet̄.82.83
Propriorum verborum an vlla ſit virtus. 103
Proſapodoſis 311. Quot modis fiat. ibid.
Proſopographia.354.938.940.Vnde ſumatur. 941
Proſopopœia. 355.939
Prosthesis.373.Quot modis fiat. 374
Protaſis. 363
Prothesis quomodo latine dicatur.390. Quid ſit. ibid. Quot de cauſſis fiat. 390. Eius partes duæ. ibid. Quot modis fiat.ibid. Quotuplex ſit. 391
Prothyſteron. 407
Protozeugma. 382
Pſellotes quomodo fiat. 416.& ſeq.
Pulchritudinis definitio. 747.749.Quot ad eam requirātur.ibi.eius genera.749.Dictio.750.Figuræ.751.& ſeq.Mēbra,& Cōpoſitio.753.Clauſula, & Numerus 574.

954. Eius contraria diſſipata & neglecta oratio. 955
Puritas, prima orationis Idea. 680. eius contraria circunductio. 681. 688. Vnde oriatur. 682. eius methodus ſimplex. 683. eius verba qualia. 685
Puritatis mẽbra. 687. pedes qui. 687. eius effectus. 691
Pyrrhichius. 597 600
Pyſma. 271. 272

Q

Quæſitum, quæſtio. 271
Quantitas duplex in vocibus. 97
Querela. 283
Quinctiliani opinio de Exclamatione refellitur. 276
Quinctiliani opinio de Comparatione refellitur. 340

R

R Literæ ſonus. 101. 102. 464
Ratiocinatio. 342. 954
Redditio. 364
Reduplicatio. 248. eius vis. ibid
Reiectio. 306.
Relata quæ ſint. 904. Per ea variatio. 906. 924
Relatiuum antecedenti præponitur. 472
Repetitionũ figuræ variæ. 245. earũdẽ vis in orone. ibi.
Repetitionum figuræ in quo conſiſtant. 246
Res eadem poteſt eſſe honeſta. & obſcœna. 46
Reticentia. 285
Reuocatio. 325
Rhetor an poſſit de figuris Grammaticis, & Poeticis tractare. 372
Rhetor quomodo orationem conſideret. 648
Rhetoricæ præſtantia, & difficultas. 1
Rhythmus an ſoluta in oratione reperiatur. 570.
Rhythmus muſicus. 568
Rhythmus quid ſit. 559. 568. 580. Quibus ſenſibus percipiatur. 560. Vnde pendeat. ibi. Quotuplex ſit. 561

S

S literæ ſibilus quibus diſpliceat. 1
S cur ita formetur. 454. A quibus fugiatur. ibid

Sacras literas interpretandi,docendique rationem pollicetur Auctor. 41
Sapientes & eloquentes ijdem. 8
Sapientes qui ſint apud Græcos. 647
Sapientiæ,& eloquentiæ diuortium. 8.& 20
Sapientum officium. 8
Sarcaſmi notatio. 205. eiuſdem definitio. ibid.
Satyræ decorum. 865. Mateтia. 864
Shema quid ſignificet. 225. quid ſit. 226. 227
Schemata. 120
Schemata ſyntactica. 379
Schemata tactica quæ ſint. 404
Schematum duo genera. 227
Schematum origo. 237
Shematum varietates. 242
Scheſis. 307
Scleroſtomia quomodo fiat. 417
Scommatis ſubdiuiſio. 204
Scotinon quod uitium ſit. 420
Scribæ apud Hebræos qui. 8
Scribæ qui dicantur Hæbreis. 647
Scriptores emendati in Dialecticis. 61. In Phyſicis 61
Semiuocalium ſonus.
Semnotes quæ ſit. 802
Senarij uerſus uix ſugiendi. 632
Sententia. 347. 1014. & ſeq. eius forma in quo ſita ſit. 1018. Ad quid ualeat. 1030.
Sententiarum ornatus potior,quã uerborum. 17.& 18
Sentẽtiæ morales quot ſint. 1027. Vnde ſumatur. 1031
Sermocinatio 347. A quibus uſurpetur. ibid.
Sermonis lepor in quibus rebus conſiſtat. 111.& ſeq.
Signa quæ ſint Dialecticis. 905
Signorum tria genera. 342
Significandi modus etiam ſpectatur in nominib. 45
Similiter cadens. 260. 480. 482
Similiter deſinens. 261. 478.
Similitudo an a Tranſlatione diſtinguatur. 66. 67.

Simi-

Similitudo quid ſit.313 993.Quotuplex ſit. 314
Similitudo.993.Quot modis ſumitur.993.& ſeq.Qualis eſſe debeat.995.Quot modis tractari poſſit. 996
Similitudinis & Comparationis figuræ. 313. An uim argumenti habeant.313.An tantum ad exornādum conferant. ibid.
Similitudinis obſeruatio.315.eius utilitates. ibi.
Simplex pro compoſito. 898
Simplicitatis definitio.771.eius ſententiæ.771.& ſeqq. Methodus 774.& ſeqq.Dictio.778.Membra,Compoſitio, 779. eius cōtraria eſt oratio calida & acuta. 780
Simulo & diſſimulo an,& quomodo differant. 191
Socratis dictum de Lyſiæ oratione. 30.& 31
Sophi apud Græcos qui. 8
Solœciſmus an una tantum in uoce fiat.418.Quot modis fiat. 419
Solœciſmi definitio.418.eius notatio. 419
Somatopœia. 355
Somnia an ſint in oratione uſurpanda, & ad quid ualeant. 1049
Sonus clarior in uocibus unde fiat. 92
Soraiſmos. 427
Sordida uerba quæ ſint. 46
Sordida uerba & humilia differunt. 50.51
Sordida uerba oratori non permittuntur. 52
Sordida uerba periphraſi deſcribenda. 52
Sordidis uerbis qui utantur. 51
Species pro ſpecie. 898
Splendoris partes tres.724.earum differētia.725. eius definitio. 726
Splendoris ſententiæ 726.727.Methodus. 728. Dictio 729.ſchemata,Membra,Compoſitio, Clauſula, & Numerus 730.& ſeq.eius contraria, Ieiuna,& ſqualida oratio. 731
Spondeus. 597 600
Stribligo. 419

Suauitas duplex.781.eius ſententię. 781. & ſeqq.Methodus.785.Dictio.786. Schemata. 788. Compoſitio.788 Clauſula. 789
ſubiectio 269.Quomodo per eam uarietur oratio.914
Sublimia uerba quæ ſint.84.85.Vbi uſurpanda. 87.88
Subſtātiua pronominibus adiectiuis ꝓponēda,470. & cōparatiuis.ibi.& ſuplatiuis.ibi.& numeralib. 470
ſubſtātiuū nomē adiectiuo qūo cōmutet̄ 893.898 924
Subtilitas duplex. 792
Suffiguratio. 330
Superabundantia. 344
Superlatiua quomodo augeantur,uel minuantur, uel uarientur. 919.& ſeqq.
Supinum quot modis uarietur. 914
Supplicatio. 279
Suſpendere naſo. 206
Syllaba quæ indifferens habeatur. 604
Syllaba quid ſit. 595
Syllabarum quantitas. 595
Syllabariſmus qui ſit.415 Vbi fiat, & quomodo. ibid.
Syllabæ definitiuo à grāmaticis tradita reprobat̄ 595.
Syllepſis. 383. eius à Zeugmate differentia. 384. eius partes duæ.384.Duæ etiam ſpecies. ibid. & ſeq.
Syllogiſmus. 342
Symploce. 258
Synœcioſis.325.eius uis. ibid.
Synereſis. 377
Synalępha cur iuuenta. 453
Synalephe.378.ab oratorib. latinis nō uſurpatur.378
Synathręſmos. 337.Qūo ab Incremento differat. 337
Synchorema,uel Synchoreſis. 300
Synchyſis,latine Confuſio. 406
Syncope. 376
Syncriſis. 320
Syncyceoſis. 325
Syndicaſmos. 322
Synecdoches genera. 158

Synec-

Synecdoches locus topicus. 160
Synecdoches modi. 156.158
Synecdoches obſeruatio. 160
Synecdoche à loco Totius ſumitur. 147
Synecdoche definitio 155.156. Per eam uariatio. 902
Synecdoche quomodo latine dicatur. 156
Synecdoche quomodo latine dicatur. 402. Quæ figura ſit. ibid. eius partes duæ ibi. Duæ etiã formæ ibi.
Synechia à Periodo differt. 544
Synonyma quæ ſint. 889
Synonyma per figuras. 909
Synonymia quæ ſit. 329.890.893. Et quotuplex. ibid. Quõ comparetur. 891. eiuſdem uſus. ibi, & 912.923
Synonymię effectus. 76
Synonymię uerborum ſpecies nouem. 892
Syntaxis quid ſit. 380. eius duplex ratio. ibid.
Syntheſis quæ ſit. 401. eius partes duæ. ibid. Duę item formę. ibid.
Syntheſi qui auctores cerebrius utantur. 402
Syntomia. 427
Syſtema quid ſit. 499.510
Syſtole. 378

T

TAm & Quam in uariãda oratione quomodo uſurpentur. 915
Tarda oratio quæ dicatur. 98
Tarda uerba quæ ſint. 98.99
Tardis uerbis quando utendum. 100
Taſis ideſt extenſio quid ſit. 552. eius genera duo. 553. eius modi duo. 554
Tapinoſis. 424
Tapinoſis. 348. eius genera duo ibid. Per eam uariandi modus. 910
Tautologia. 247.329.426
Tempus in ſyllaba quid ſit. 595
Tempus pro tempore. 899
Tetraſyllabi pedes an ſententiam claudant. 616.617

Tmeſis eadem quæ Diacope. 405
Topographia. 359.939.946
Topotheſia. 359.946
Toruitas & Magnitudo quomodo differant. 758
Toruitas neceſſaria. 760. eius methodus. 760. ſchemata 761
Toruitas quomodo aliter dicatur. 756
Toruitatis & Aſperitatis cognatio. 759
Tractatio. 330
Traductio. 255
Tragœdiæ decorum. 862. eius uis in quo ſita ſit. 863
Traiectio. 255
Tranſiectio eadem quæ ſynchyſis. 406
Tranſlatio. 132.309
Tranſlatorum vſus. 923
Tranſitio. 361. eius ſpecies duæ. ibid.
Traulotes unde dicatur. 416. Quomodo fiat. 416
Trybrachys. 597.600
Triſyllabi pedes qui clauſulam terminent. 614
Trochæus. 597.600
Tropus unde dicatur. 122
Tropi. 120
Tropi definitiones oppugnātur. 118. Eædem defendun tur. 122.123.127
Tropi deſcriptio. 117.122.123.127
Tropi, & ſchematis differentia. 127
Troporum cauſſæ. 128
Troporum ordinatio. 129
Troporum ſimplicium ſpecies. 117
Troporum ſpecies. 117.123.127.128
Theologorum maior eſt licentia in uerbis. 60
Turpia figuris quibuſdam conteguntur. 49

V

V literæ ſonus. 95
Variandæ orationis modi tres. 891
Variandæ orationis Regulæ quædam. 922
Vehementiam cur ſequitur ſplendor. 725

Venu-

Venuſta oratio. 791
Verbum & Infinitum quomodo ſupino mutetur. 895
Verbum participio mutatur. 895
Verba delecta quomodo uarientur. 76
Verba duplicis præteriti. 895
Verba exilia ubi adhibenda. 96
Verba integra quæ ſint. 103. Quando uſurpanda. 103
Verba lenia 100. 101. Aſpera. 100
Verba leuia quæ ſint. 90. Quomodo deprehēdātur. 90
Verba quæ ſint uitanda. 42
Verba quædam Ciceroniana, parum uſitata. 63. 69
Verba rara quæ ſint. 71
Verba ſonantia quæ ſint. 91. Quo modo fiant. 91
Verba ſonantiora quando eligenda. 96
Verba grauia quæ ſint. 88. 89. Vbi uſurpanda. 90
Verba grauia, & ſublimia diſtinguuntur. 90
Verba quomodo examinanda. 76
Verba quomodo deligenda. 76. cur deligenda. 78
Verba quæ ſint potiora. 78
Verba turpia, & obſcœna num ſint, & quæ. 42. 43 46
Verborum acerbitas quomodo tollatur. 70
Verborum alia propria, alia tranſlata. 41
Verborum aſperitas quomodo uitanda. 71
Verborum genera quot ſint. 104
Verborum longitudo ad quid ualeat, & ubi adhibenda. 98
Verborumne collocatio, an numerus ſit prius tractandus. 437
Verborum proprietas ſeruanda. 43. 56
Verborum propriorum duę ſpecies. 41
Verborum propriorum genera. 79. 81
Verborum ſpecies quomodo mutentur. 397
Verborum tarditas unde naſcatur. 98
Verborum turpium & ſordidorum diſcrimen. 46
Veriſimilis dictio quot rebus fiat. 811
Veritas, ſeu probabilitas. 810
Vigor quot alijs modis latine dicatur. 731. eius uis, & natura.

natura.732.eius forma, Compoſitio, Methodus, dictio, Membra. 732. & ſeq. eius contraria, languida oratio. 735
Violentum. 308
Virgilius cur Parthenias dictus. 50
Vitia quæ in numero oratorio ſint fugienda. 612
Vocalis eiuſdem repetitio an fugienda. 454
Vocales locutionis matres. 91
Vocales omnes ſuaues. 100
Vocalium concurſus an uitandus. 452.& ſeq.
Vocalium hiatum qui uitarunt.453.& qua ratione.459
Vocalium longarum concurſus. 458
Vocalium tenuium frequentia fugienda. 460
Vocis elegantia quando pueris tradenda. 114
Vocis ornatus uerba ſolum ſpectat. 114
Voculatio quid ſit. 565
Vocum proportio qualis ſit. 487
Voluptas orationis. 791
Vox humana duplex. 564
Vrbanitatis deſcriptio. 108
Veritatis Ideæ uis in quo ſita.814.eius ſententiæ. 815. Methodus.816.ſeq. Dictio.818. Schemata.819. Membra, & Iunctura. 820
Verſus quid ſit. 569

X

X Literæ ſonus. 102

Y

Y græcum quomodo ſonet. 95

Z

Zeugma duplex.381.Quot in eo ſpectentur partes. 382.eius definitio.ibi.eius formæ ſeptem.ibid.
Zeugma temporum. 383
Zeugma caſus. 383

FINIS.

INDEX AVCTORVM, qui in hoc opere citantur.

AChilles Bocchius.
Adrianus Cardinalis.
Adrianus Imp.
Aegidius Romanus.
Aelius Spartianus.
Aeſopus.
Agapetus Diaconus.
Aldus.
Alexander Rhetor.
Alexan. Piccolom.
Alexan. ab Alexan.
S. Ambroſius.
Anacreon.
Andreas Eborac.
Angelus Rocca.
Aniſius Capito.
Antiſthenes.
Antonius Bonfin.
Antonius Mirandul.
Antonius Lullus.
Antonius Riccobonus.
Aphtonius.
Apuleius.
Aquila Romanus.
Aratus.
Archidamus.
Ariſtoteles.
Ariſtophanes.
Aſcenſius.
Atheneus.
Auctor Heren.
Audom. Tale.
S. Auguſtinus.
Auguſtinus Niphus.
Bartholomæus Maranta.
S. Baſilius.
Beda.
S. Bernardus.
Bernardinus Parthen.
Bias.
Boethius.
S. Bonauentura.
Budeus.
C. Cæſar.
Calentius.
Catullus.
Cæſar Scaliger.
Cœlius Aug.
Celſus.
Caſſiodorus.
Chariſius.
Chilon.
Claudius Min.
Clemens Alexandrin.
Cleobulus.
Conſultus Chirius.
Cornelius Tacit.
Cornelius Vltraiect.
S. Cyprianus.
S. Damaſcenus.
Daniel Barbarus.
Danthes.
Dauid.
Demetrius Phaler.

Demo-

Demoſthenes.
Diogenes Phil.
Diogenes Laert.
Diomedes Grammat.
Dion.
Dionyſius Halicar.
Dionyſius Carthuſ.
Donatus.
Durandus.
Emanuel Aluarus.
Empedocles.
Emporius.
Ennius.
S.Ephren.
Epicurus.
Erythreus.
Eucherius Lugd.Epiſ.
Euſtathius.
Euſtratius.
Fabius Quinctil.
Franciſcus Vat.
Franciſcus Toled.
Franc.Priſcian.
Franc.Mauroc.
Franc.Robort.
Franc.Titelm.
Franco Abbas.
Fruſius.
Fulgentius.
Galenus.
Gellius.
Geral.Buc.
Gregor.Nyſen.
Georg.Fabr.
Georg.Trapez.
Gorgias.
Gulielmus Inſul.
Henricus Farnes.
Hermagoras.
Heſiodus.
S.Hieronymus.
Hieronymus Regius.
Hieron.Caphar.
Hieron.Peripat.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.
Hugo.
Hunnæus.
D.Iacobus.
Iacobon.
Iacobus Publicius.
Iac.Maz.
Iacobus Ledes.
S.Ioan.Euang.
Ioan Climac.
Ioan.Linocer.
Ioan.Suſſemb.
Ioan.Scottus.
Ioan.Bapt.Man.
Ioan.Dadre.
Ioan.Cam.
Ioan.Mercl.
Ioan. Riu.
Ioan.Rauiſ.
Iobus.
Iodocus Vuil.
Iouita Rapic.
Iouius.
Iphicrates.
Iſidorus.
Iſocrates.
S.Iudas.
Iulius Camil.

Iuſti-

INDEX.

Iuſtinus Martyr.
Iuuencus Hipan.
Iuuenalis.
Lactantius Firmian.
Laurentius Valla.
Laurentius Palmiren.
Liuius.
LouanienſesDoctores.
Longinus Rhetor.
Longol.
S.Lucas.
Lucanus.
Lucianus.
Lucilius.
Lucretius.
Luc.Craſſus.
Luc.Florus.
Ludou.Caſtel.
Ludouic.Viues.
Ludou.Arioſtus.
Ludou.Granat.
Macrobius.
Mancinellus.
M.Cato.
M.Varro.
M.Tullius.
M.Antonius.
M.Anton.Miorag.
M.Marulus.
Marius Victorin.
M.Nicol.Roman.
Marius Victoria.
Marius Nizol.
Martialis.
Martianus Cap.
S.Matthęus.
Moyſes.
Muſonius.
Natales comes.
Nicephorus.
Nicolaus Bieſius.
Origenes.
Orius Apollo.
Ouidius.
Pantaleon.
Parmenides.
S.Paulus.
Paulus Manut.
Periander.
Pericles.
Petionius.
Perſius.
S.Petrus:
Petrus Victor.
Petrus Sain.
Petrus Ram.
Petrus Ioan.Perpia.
Pittacus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Pollux.
Polydorus Verg.
Polyanthea.
Pomponius Mela.
Propertius.
Pythagoras.
Rutilius Lupus.
Salluſtius.
Salomon.
Sanctes Pagnin.
Sebaſt.Regul.
Seneca.

Seruius.

Seruius.
Sillius.
Simon. Verep.
Socrates.
Solon.
Satius.
Strabo.
Strebeus.
Strotia.
Stobeus.
Suetonius.
Suidas.
Sulpitius.
Sybillæ.
Terentius.
Terentianus.
Tertullianus.
Theocritus.
Theophraſtus.
S. Thomas Aquiro.
Thomas Linac.
Thomas Cor.
Theodorus Gaza.
Theod. Zuin.
Tibullus.
Valèrius Flaccus.
Valerius Max.
Vegetius.
Velius Longus.
Vincentius magius.
Virgilius.

FINIS.

Quę irrepſere maiora menda ſic emendato.

Pagina.18.uerſu.18.is.p.19.u.11. eſſe debere.p.33.u.15.nominẽ.p.38.u.5.quique.p.42.u.17.erunt.p.47.u.17.uẽtre.p.47.u.28.ab honeſtate.p.57 u.21.nomina p.77.u.25.adynatõ.p.86.u. 18. uſitatiora.p.209.u.19. chleue.368.u.1.eſſe.p.346.u.6.hiperthesis.p.384.u.17.Mulcib.p.391.u.17.genus.p.392.u.7.quicquàm.p.415.u.28.blaſos p. 417.u.18.barbaralexin.p.458.u.20. anxie.p.501.u.25.fuſe.p.598.u.28. Ionicus.p.632.u. 20. uix.p. 642. u. 14. utendum.p.709.u. 25.eadem.p 758.u.25.tenuis.p.853.u. 20.poeſis. p. 976. u. 28.appoſitum.p.1055.u.30 abſorpſit.

Compoſitoris incuria factum eſt, ut p. 1009. u. 24. ſint uerba quadam tranſpoſita; unde hęc uerba, Seu Antimetabole, &c. vſque ad, Sententia, poſtponenda ſunt uerbo, A commutatione.

Quędam alia Lectoris iudicio emendãda relinquuntur.

DE ELOCVTIONE ORATORIA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Liber Primus:

IN QVO DE VERBORVM & ſententiarum ornatu agitur.

Quæ ſit elocutionis natura, quæ partes. Diſputatio I.

C*VM multa ſunt, quæ artis bene dicendi præſtantiam atque difficultatem maximam eſſe demonſtrant; tum illud in primis, quod e quinque quaſi magnis conficitur artibus: quibus in ſingulis elaborare perarduum eße, qui in rhetoricis, vel mediocriter eſſet verſatus, negaret nemo.* Cic.lib.1. orat. In Brut. *De quarum artium dignitate, etſi bene dicendi Magiſtri minime conſentiant, dum alij Inuentionem, alij Diſpoſitionem, alij alias partes præſtare contendunt: tamen, quod ad difficultatem attinet, in eam omnes libenter iuere*

Cic. in orat. Fab.lib.8. *ſententiam, quæ vnam Elocutionem explicationem multo difficiliorem habere, conſtanter affirmat. Itaque, nunquam de hac eloquentiæ parte omnium difficillima ſcribere aggreſſus fuiſſem, ni permulti amici, ſub ſpecie iuuandæ iuuentutis, cui iam editos de rhetorica libros valde vtiles extitiſſe affirmabant, me ad rem tantam, quantam non modo facultate conſequi, ſed etiam cogitatione complecti mihi difficile arbitrabar, me pene inuitum ad hoc pertraxiſſent. Quibus, etſi mihi expeditius fuiſſet, id negare, quod ſæpe rogaſſent, quam id efficere, quod Magiſtros in hac facultate diu multumque verſatos, in quibus numerari, nec poſſum, nec volo, vix pro dignitate præſtare poſſe optime intelligebam: tamen, potius ab alijs meam prudentiam, quam ab amicis beneuolentiam, a ſtudioſis iuuenibus operam, & à præpotenti Deo conceſſi talenti vſuram deſiderari volui. Nihil itaque diſertorum, & prudentium hominum reprehenſionem veritus, eam Rhetoricæ partem, quæ ad ornate copioſeque dicendum eſt maxime neceſſaria, quorundam amicorum, & artis dicendi candidatorũ cauſſa explicandam ſuſcepi. Quibus, quantum in me erit, & alia maioris momenti inchoata opera, varięq; lectiones, quibus multũ a ſcribẽdo diſtrahor, permittent, ſatisfacere conabor.*

Cum

Cum ergo Oratori, non ſolum quid dicendum, quod Inuentione, quo loco; quod Diſpoſitione, quibus de rebus alijs in libris egimus, ſed etiam, quomodo, quod Elocutione fit, uidendum ſit; de ea auſpice Deo, in cuius gloriam hunc laborem priuatim ſuſcepiſſe volo, in hoc opere, qua ſoleo docendi ratione, diſputaturus ſum.

Et quoniam hæc, ad quam explicandam aggredimur materia, varia eſt, latiſſimeque patet; ideo, quæ dicenda nobis erunt, in quattuor diſtribuemus libros. In quorum primo de verborum ſimplicium, tum propriorũ, tum tranſlatorum, deque omnium ſententiarum ornamentis, & orationis vitijs diſtincte copioſeque agemus. In ſecundo de verborum collocatione, hoc eſt, de eorum iunctura, ordine, membris, comprehenſione, numeroque oratorio differemus. In tertio de formis, ſiue generibus orationis: vbi latiſſime Hermogenis de Ideis doctrinam explanabimus. In poſtremo autem de uerborum rerumq. copia plane ac breuiter ſcribemus. His enim, ni fallor, rebus, ea omnia continentur, quę ad ornate, apte, copioſeque dicendum ſunt neceſſaria. Antequam autem ad res Elocutioni ſubiectas explicandas accedo, primũ de Elocutionis natura & partibus, deinde de eius proprietatibus pauca quędã diſputabo.

 Quod

Quod ergo ad primum attinet, in hac prima diſputatione priore loco, qui de re propoſita ſcripſerint illuſtriores auctores, eos citabo: poſtea nõnullas rationes in medium afferam, quibus ea labefactare contendam, quæ de Elocutione a dicendi Magiſtris traduntur: præterea, quædam ponam fundamenta, in quibus, quæ de Elocutione in præſentia, præter ea quæ in altero de arte dicendi libro ſcripſimus, nobis dicenda occurrunt, exponemus: poſtremo certis poſitionibus, quid de rebus in dubium reuocatis, & de Elocutionis natura tenendum ſit, ſtatuemus; rationeſque in contrarium allatas diluemus.

Diſput. 5.

De ſcriptoribus, de hac Rhetoricę parte ſcripſit Ariſtoteles libro tertio rhetorico, a capite ſecundo, ad tertiumdecimum vſque: M. Tullius in Partitionibus, in ſecundo & tertio ſermone de Oratore, & in libro de perfecto Oratore: in quo hanc vnam potiſſimum partem explicare voluiſſe videtur: Herennianus auctor, quiſquis ille fuerit, ſiue Cornificius, ſiue M. Galio, Virginiuſue libro quarto: Demetrius Phaleræus Theophraſti diſcipulus, in libro de Elocutione; quem Petrus Victorius commentarijs illuſtrauit, & Raphael Cyllenius in tabulas redegit: Hermogenes, qui exactiſſime omnium hanc partem proſecutus eſt: Quinctilia-

nus libro octauo, nono, & capite primo libri decimi, ubi de verborum copia: Trapezuntius libro quincto ſuæ rhetoricæ: Hieronymus Regius in commentarijs de lingua latina: Antonius Lullus in ſuis libris de oratione: M. Nicolaus Romanus Prutenius libro quarto: & denique, ne plures proſequar ſcriptores, multa habes huc pertinẽtia apud Cæſarem Scaligerum in libris de arte poetica. Ad rem ergo propoſitam aggrediendo, has affero dubitandi ratiiones.

Primum, non videtur verum, quod communi omnium ſcriptorum ſententia docetur, hanc partem potiſſime ad Rhetorem pertinere, & de ea hunc vnum dicendi artificem agere debere: quoniam Elocutio, vt ſcriptum reliquit Ariſtoteles, a Poetis ad Oratores dimanauit: erit igitur Poetarum propria, & poeticæ arti ſubiecta: vt omittam, quod etiam Hiſtorici, & Philoſophi, & alij omnes artifices, qui oratione vtuntur, ſuam, quod Tullius non vno in loco docet, elocutionem habent. Libro 3. Rhet. c. 1. In lib. de orat.

Deinde, Rhetores omnes vno ore fatentur, hanc rhetoricæ partem in eo præcipue eſſe occupatam, ut doceat quibuſnam verbis oratio polienda & illuſtranda ſit; quod a veritate alienum videtur. Etenim, vt multis in locis,

Fab. li. 8. in pro. quæ paullo infra citabo; veriſſime M. Tullius docuit, Elocutionis vis magis in ſententiarum bonitate, quam in uerborum ſplendore poſita eſſe cenſetur; cum omnis quæ in uerbis ſpectatur dignitas, ex ipſis proficiſcatur rebus. Hoc, ſi verum eſt, ut ſane eſt, neceſſario ex eo conficitur; hanc partem potius alijs artibus, quæ rerum naturas docent, quam Rhetoricæ debere eſſe ſubiectam.

In ora. Prçterea, bene dicere, ut Tullio placuit, cui aſſentiuntur cæteri, eſt optimis ſententijs verbiſque lectiſſimis dicere; ac proinde, ut communis eſt Rhetorum doctrina, ornatus partim in uerbis, partim in rebus cernitur: quæ ſi uera ſunt, profecto; hæc rhetoricæ pars, non ſolum uerborum ornamenta explicare, ſed etiam ſententias ipſas docere deberet; id quod non facit: quare, uel imperfecte traditur, uel male in illas duas partes omnis oratorius diuiditur ornatus. Poſtremo, Elocutio non ſolum in uerborum elegantia, ſed etiam in eorundem ingenua & urbana elocutione conſiſtit, ita ut in duas partes commode diuidi poſſit, in uerborum, & uocis elegantiam; quam tamen omnes dicendi Magiſtri prætermiſiſſe uidentur: imperfecte igitur hanc tradiderunt partem. Atque has dubitationes propoſuiſſe ſufficiat.

Quod attinet ad ſcriptorum ſententias, con-

conſule ea quæ alias de Elocutionis natura ſcripſimus: hoc loco illud ſolum dixerim, eſſe quoſdam, qui totam Elocutionis uim in uerborum ornatu & concinnitate quadam poſitam eſſe arbitrantur, & idcirco dicunt, nihil aliud eſſe Elocutionem, quam tropum & figuram: at uero alij, primum in Elocutione locum, rebus ipſis tribuunt: quorum opinionem ueram eſſe infra aperte demonſtrabo. Id ut faciamus, & ad propoſitam diſputationem plane reſpõdeamus, quædam ſubijciemus fundamenta. Lib. 2. de art. dicen, diſp. 5. Audom.

Primum fundamentum, in ſermone ad animi ſenſus explicandos hominum generi a natura tributo, duo ſpectari poſſunt, & res quæ dicuntur, & ratio modus ue quo explicantur. De eo loquimur modo, qui in rerum Elocutione & in ſermone cernitur, quem Græci, phraſin appellant; non de eo qui in geſtu & pronuntiatione ſpectatur. Hæc eloquendi ratio duplex eſt, altera naturalis, prompta, ſimplex, ab omni cultu & arte remota: altera uero ornata, elegans, & artificioſa: illa eſt omnibus hominibus communis, hæc elegantibus & literatis propria, & a communi tritoque loquendi vſu non parum remota: quod diſcrimen, nunc in ijs qui Italice & qui hetruſce loquuntur, facile cerneres: illam priorem loquendi formam, Ariſt. li. 1. Polit. Cic. lib. 2. & 3. orat.

In orat. *ſermonem, hãc, orationem appellaret Tullius: qui aliquando inter ſermonem & orationem non nihil diſcriminis poſuit. Hæc itaque loquendi ratio, quæ cum quadam elegantia, ornatu, ſuauitateque animi ſententiam exprimit, cum primum in hominum cœtu adhiberi cœpit, ita eorum oblectabat & capiebat animos, vt qui oratione genereque dicendi alios antecellerent, admirabiles viderentur; ac etiam qui alijs præeſſent, remque publicam adminiſtrarent, digni cenſerentur. Quamobrem, qui alijs admirabilis videri, qui cæteris præeſſe ſtudebat, is rerum cognitionem cum recta dicendi ratione coniungebat; ita ut olim ijdem fuerint ſapientes & eloquentes viri. Quorum erat diuina oracula explicare, de natura & moribus copioſe diſſerere, vera a falſis diſtinguere; errores refellere, veritateſque confirmare: de iure & iniuria ſententiam dicere, maximis de rebus conſilium dare, & denique populorum res geſtas ſcribendo ab interitu obliuioneque vindicare & æternitati conſecrare: Hi apud Perſas Magi, apud Græcos Sophi, & apud Hebræos Scribæ nominabantur. Cæterum, non ſine magno populorum detrimento, factum poſtea fuit ſapientiæ & eloquentiæ diuortium; & ita alij extiterunt rerum, alij verborum magiſtri: illi*

Cic. 2. de orat.

Cic. 2. orat.

li Philoſophi, hi Sophiſtæ, & a re, quam tractandam ſuſceperunt, Rhetores appellati fuere: illi, poſthabita dicendi copia, euaſerunt infantes; hi, neglecta ſapientia, rabulæ & clamatores. Ex quibus colligere licet, ad priſtinam eloquentiæ formam recuperandam, & ad perfectam ſapientiam acquirendam, & rerum cognitionem, & rectam earundem explicandarum rationem coniungere oportere.

Secundum fundamentum, ea dicendi forma, quam homines admirabiles efficere, & ſupra alios efferre diximus, non eſt cuiuſque artis, quæ in ſermone verſatur, propria; ſed ars Poetica & Rhetorica eam ſibi adſciuerunt, propriamque fecerunt: cum hæ ſolæ quodam dicendi genere a communi loquendi conſuetudine remoto, vtantur. Quare, etſi in omnibus, qui aut loquendo, aut ſcribendo aliquid docent, phraſim quandam obſeruare licet; vt alia Hiſtorici, alia Philoſophi in loquendo ſit ratio: tamen, ea dicendi forma, quæ delectat, quæ aures permulcet, quæ animos commouet, Oratorum & Poetarum orationi ab omnibus ſcriptoribus iure optimo tribuitur: ita tamen, ut prius apud Poetas fuerit in vſu, a quibus poſtea ad Oratores profecta eſt: quamuis poetica phraſis & elocutio non parum ſit ab oratoria diuerſa. Ariſt.li. 3.

Poetæ

Poetæ itaque olim primi fuerunt, vt nonnulli auctores memoriæ prodidere, qui primo animi ſui cogitationes literis conſignare, & apud multitudinem quodam dicendi genere a communi remoto, ſua poemata canendo, dicere cœperunt. Hi igitur primi fuerunt eloquendi & ornate dicendi magiſtri: qui ob orationis leporem ſuauitatemque magnam ſibi gloriam compararunt. Extiterunt poſtea, qui ſoluta oratione dicere ac ſcribere cœperunt; quorum primi Cadmus, Pherecydes Syrus, & Hecatæus feruntur: qui genus quod-

Plin. li.5. c.29. & li. 7.c.56.

dam elocutionis non ita grande, atque turgidum, ſed minus a communi loquendi conſuetudine alienum, ac proinde magis gratum adhibuerunt: quo factum eſt, ut etiam Poetæ illam ſuæ elocutionis granditatem, nimiamque laſciuiam abiecerint, & ad oratoriam dicendi rationem prope acceſſerint. Ex quo facile intelligeres, quam ridicule faciant Oratores ij, qui eam affectant elocutionem, quam

Fab.lib.8. in pro.

Poetæ reliquerunt: cum in dicendo, auctore Tullio, ſit uitium, vel maximum, a vulgari genere orationis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Atque ex his intelligi poteſt, cur qui de Elocutione ſcribunt, eam in poeticam, & oratoriam diſtribuere ſoleat; quod etiam nos paullo poſt faciemus.

Sed

Sed de hoc fundamento ſatis.

Tertium fundamentum, in quo breuiter exponam quibus in rebus explicandis hæc Rhetoricæ pars verſetur. Qui ergo de Elocutione acturus eſt, eius naturam, de qua alio loco nos late diſſeruimus, ſpecies, partes, uirtutes, uitiaque conſiderabit: quam in naturalem & artificioſam, & hanc in poeticam et oratoriam ſecabit. In ſingulis ſpeciebus ſpectabit, tum uerba ſimplicia, tum coniuncta, ſiue ſententias uerbis expreßas. Naturalis elocutionis ſimplicia uerba, ſunt uerba propria, græce κυρία. *i. uernacula, & uſitata: ſententiæ uero, ſunt emendatæ, dilucidæ, & approbatę: Artificioſæ elocutionis ſimplicia uerba, ſunt tropi: coniuncta uero uerborum & ſententiarum figuras conſtituunt: quo referres uitia, quæ ornamentis opponuntur. Quod attinet ad partes, in tota oratione primum conſideratur genus dicendi, ſiue character, & idea, quę eſt ueluti orationis forma; quæ ſententijs & rebus accommodata eſſe debet. Deinde ſpectantur partes totius orationis, hoc eſt periodi, ſiue comprehenſiones; quæ ex membris, & inciſis conficiuntur. In membrorum & inciſorum, uerborumque ſingulorum coniunctione, ratione extremitatum, ſpectatur iunctura, & ratione conſequentiæ ordo, cum*

uide-

uidetur, quæ dictio cum alia apte copuletur, aut quam congruenter antecedat, aut ſequatur: & denique in ſingulis dictionibus ratione ſyllabarum obſeruatur numerus. Et quoniam oratoria uis in eo maxime elucet, ut poſſit res anguſtas amplificare, & amplas dicendo conſtringere; illud etiam ad hanc eloquentiæ partem pertinere uidetur, ut dilatandæ & ampliandæ orationis uiam commonſtret. Ex quibus, haud obſcure intelligi poteſt, quæ nobis de Elocutione acturis, dicenda ſint. Agemus itaque primo de ornatu ſingulorum uerborum & ſententiarum, tum proprio, tum tranſlato & figurato: deinde de uerborum ſtructura, ordine, membris, periodis, numeroque orationis; poſtea de formis, ſiue ideis, generibus ue dicendi: ac poſtremo de uerborum, rerumque copia, ut etiam ſupra admonuimus. Nec me latet eſſe quoſdam, qui ductum, ſiue tractationis rationem & methodum ad elocutionem reuocent, quem nos potius ad diſpoſitionem reuocari debere, alibi docuimus. Quæ igitur Elocutioni ſint ſubiecta, ex his quæ diximus plane intelligitur: in quibus explicandis toto hoc opere uerſaturi ſumus. Atque hæc ſunt, quæ prænotanda cenſuimus; nunc nonnullas poſitiones ſubijciemus.

Lib. 2. do art.dicen. diſput. 4.

Prima

Prima poſitio, eloquendi facultas, quæ, ut alias probauimus eſt, una ex quinque eloquentiæ partibus, a Latinis elocutio, exornatio, oratio, cõformatio, & dicendi modus, a Græcis lexis, phraſis, hermenia, & exangelia nominatur. De quibus appellationibus nihil eſt cur in præſentia plura dicamus; cum alibi dicta ſine neceſſitate repetere nolimus. Lib 2. de art. dicen. diſp. 4.

Secunda poſitio, Elocutio eſt facultas, qua uerbis ſelectis, boniſque ſententijs, aliqua ſubiecta res, ornate, concinne, apte, copioſeque explicatur: uel preſſius, Elocutio eſt aptus orationis ornatus. Quæ deſcriptiones ex poſitis fundamentis facile intelligi poſſunt; ac proinde in earum expoſitione immorari nolo.

Tertia poſitio, Elocutio uniuerſe ſumpta, in duas diuiditur ſpecies, in naturalem & artificioſam, iuxta ea quæ in ſecundo diximus fundamẽto. Hanc doctrinam, his uerbis, ni fallor, tradidit M. Tullius, Vnum igitur genus loquendi eſt ſua ſponte fuſum: alterum uerſum atque mutatum. Qui locus, cum ſit ſubobſcurus, exponendus nobis eſt, ut ex eo id confici poſſe demonſtretur, cuius cauſſa citatur. Genus ergo dicendi ſua ſponte fuſum illud appellat Tullius, quod ipſo naturæ impetu, trita loquendi conſuetudine effunditur, quod eſt a numero legeque componendi ſolutum, ut ſi dicas, In part.

cas, Milo occidit Clodium in uia Appia: hic ſermo eſt naturalis & ſua ſponte fuſus: ubi antecedit caſus rectus, ſubſequitur uerbum, cui ſui ſubijciuntur caſus. Quod dicendi genus, non uſurparet Orator; cum ſit inſuaue, hiulcum, & quaſi claudicando incedat. Atqui, ſi hunc in modum uertatur, Cæſus eſt a Milone Clodius in uia maiorum ſuorum, omnia tolluntur uitia. Ex quibus patet quid ſit genus dicendi uerſum atque mutatum, illud uidelicet, quod arte quadam eſt commutatum, & a trita dicendi ratione remotum: in quo naturalis inuertitur ordo, & quaſi ſurſum uerſus retrocedit oratio: in quo idem interciſe permiſteque dicitur: in quo deniq; eloquendi exercitatio maxime uerſatur. Verum ſi id, quod ſua ſponte funditur, proprijs uerbis, & bono numero, decorum & aptum eſſet, nihil immutares. Quare, ſi naturalis ſermo uerbis proprijs, ſignificantibus, apte coniunctis, & numeroſe cadentibus ſemper conſtaret, nulla eſſet immutatione, aut commutatione opus: quod Elocutione fit artificioſa.

Quarta poſitio, elocutio ex arte petita duplex eſt, una oratoria, altera poetica. Communis eſt doctrina, & ex ijs quæ adnotauimus ſatis manifeſta: quam, præter alios, libro tertio Cap. 5.

de

de arte dicendi tradidit *Ariſtoteles*. *Adde* etiam, quod cum hæ duæ ſolum artes ſelectâ & a uulgari remota dicendi forma utantur, ſed non eadem, in has duas partes omnis diſtribuetur elocutio.

Quincta poſitio, oratoria Elocutio eſt multum a poetica elocutione diuerſa. Patet hæc poſitio, primum ex eodem Ariſtotele loco paullo ante citato: cui multis in locis ſub ſcripſit Tullius, & præſertim cum dixit, Poetas quaſi alia quadam lingua loqui. Deinde, quia, licet hę duæ elocutionis partes in quibuſdam rebus conueniant: tamē longe diuerſa de utraque traduntur præcepta: & omnes qui de elocutione oratoria ſcribūt, in ea, uerba, phraſin, & numerum poeticum uituperant. Et quoniam hæc doctrina ex ijs, quæ multis in locis toto hoc opere dicentur, manifeſtior fiet, nolo in præſentia multa inter phraſin oratoriam & poeticam recenſere diſcrimina. Ex quibus facile intelligeres, errare eos, qui dicunt elocutionem poeticam, eo tantum differre ab oratoria, quod uerſibus conſtet. In orat. 2. Ludo. Caſtel.

Sexta poſitio, oratoria Elocutio originem duxit a poetica. Etenim, ut ſupra adnotauimus, olim ijdem erant ſapientes & eloquentes uiri, & ijdem ſapientes & poetæ: qui quodam dicendi genere a communi remoto, primū ſcribere

bere cœperunt. Quod etiam ex diuinis literis confirmare licet: in quibus legimus olim eos qui diuinas laudes canebant, qui Deo gratias agebant, oratione certis numeris conſtricta uſos fuiſſe: & liber, qui Iob inſcribitur, omnium librorum antiquiſſimus, ut uiri doctiſſimi teſtantur, a Moyſe carmine heroico, cuius auctor idem cenſetur, ſcriptus fuit.

Orige. Olimp. Steuc. Ioſeph.

Septima poſitio; orationis ornatus duplex eſt, alter rerum, alter uerborum. Hanc doctrinam, hiſce uerbis Latinus orator expreſſit, Ornatur igitur oratio genere primum et quaſi colore quodam, & ſucco ſuo. Nam, ut grauis, ut ſuauis, ut erudita ſit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut ſenſus et dolores habeat, quātum opus ſit: Hoc eſt, ſi oratio in genere eſt graui, ſuaui, erudito, liberali, admirabili, polito, & affectibus prædito, ornatur illo genere ſuo: non ſecus ac noſtra corpora, quæ tunc pulchra ſunt, cum liberali colore & ſucco ſuo fuerint plena. Atque hæc de primo ornatu intelligenda ſunt: alterum his alijs uerbis expoſuit, Vt porro conſperſa ſint, quaſi uerborum ſententiarumque floribus. Et alio loco, Tantum ſignificabo breui, neque uerborum ornatum inueniri poſse non partitis expreſſiſque ſententijs, neque eſſe ullam ſententiam illuſtrem ſine luce uerborum. Eloquentia igitur, ut obiter Ciceronis

Lib. 3. de orat.

Li. 3. orat.

ronis locum exponam; talem requirit orationem, quæ ſit pondere rerum & uerborum grauis, uarietate & uoluptate ſuauis, artium magnarum cultu erudita & liberalis: ſpecie dicendi decora, amplificatione mirabilis, artis lima perpolita, & affectuum uarietate iucunda: non leuis, non inſuauis, non inerudita, non illiberalis, non indecora, non uulgaris, non impolita, non denique mortua & minime ſucculenta. Hæ duæ ornatus partes eo inter ſe differunt, quod primus, ut idem Tullius docet, non eſt ſingulorum articulorum, ſed in toto ſpectatur corpore: alter uero non debet eſſe fuſus æquabiliter per omnem orationē; ſed ita diſtinctus, ut ſint quaſi in ornatu diſpoſita quędam inſignia & lumina. Hanc denique doctrinam, idem optimus dicendi artifex, nos docuit, cum eloquentiam ex uerbis & ſententijs conſtare dixit.

Octaua poſitio, pluris faciendus eſt rerum ornatus, quam uerborum; ita ut potior ſit ea eloquentia quæ latet intus in rebus, quam quæ extra relucet in uerbis. Hanc doctrinam, niſi imprudens & ignarus negaret nemo. Nam, ait Tullius, copioſe & apte ſine ſententijs dicere, inſania eſt, ſententioſe autem ſine uerborum ordine & modo infantia; ſed eiuſmodi tamen infantia, ut ea qui utantur, non ſtulti ho-

De opt. gen. orat.

Cic. in orat.

mines haberi poſſint, etiam plerunque pruden-tes. Et alio loco, de ſapientiæ & eloquentiæ diuortio loquens, ait; Quorum ſi alterum ſit optãdum, malim equidem indiſertam prudentiã quam ſtultitiam loquacem. Item alibi, Quid li. 1. orat. *eſt tam furioſum, quam uerborum uel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia & ſcientia? Huc quoque facit, quod aliquando dixit, ſententiarum or-*In orat. *namenta eſſe maiora, quam uerborum: illa autem ad rerum ornatum pertinent. Accedat etiam quod uerborum copia, uarietas, & ſplen*li. 3. orat. *dor, ex rerum affluentia, uarietate, & luce proficiſcitur. Rerum, Tullius loquitur, copia, uerborum copiam gignit: & ſi eſt honeſtas in rebus ipſis, de quibus dicitur, exiſtit ex rei natura quidam ſplendor in uerbis: ſit modo his qui dicet aut ſcribet, inſtitutus liberaliter, educatione doctrinaque puerili, & quæ apud* Li. 3. orat. *ipſum ſequuntur. Et paullo infra, Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta ſine duce, natura ipſa, ſi modo eſt exercitata, labetur. A cuius ſententia non diſcrepat Horatianum illud,*

In Poet. Scribendi recte, ſapere, eſt & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ:

Ver-

Verbaque prouiſam rem non inuita ſequentur.

Ex rerum itaque cognitione efflorescat, & redundet oratio : quæ niſi ſubeſt res ab orato re percepta & cognita, inanem quandam ha bet cognitionem & pene puerilem. Huc etiam poßunt referri, quæ ſequenti diſputatione de latinitate dicemus. Neque te illud commo ueat, quod aliquando idem Tullius dixit, Delectum uerborum eſſe eloquentiæ originem, & Elocutionem emendatam eße : tum quia nihil de re propoſita ex propria ſententia diſputat: tum etiam, quod de altera ornatus par te intelligi poteſt. Li. 1. orat. Lege Quinc. in proœ. li. 8. In Brut.

Atque ex ijs, quæ diximus, colligere plane licet, quantum errent ij, qui totam Elocutionis uim in ſola uerborum pictura, & in quodã orationis curſu poſitam eße arbitrantur. Colligeres etiam, cur his temporibus pauci reperiantur, qui Eloquentiæ gloria ſint illuſtres, cum ij dicendi artem doceant, qui nullam rerum habent cognitionem, ex qua primus ac præcipuus naſcitur orationis ornatus. Quo fit, inquit Tullius, cum hac de re diſſereret, ut ueram illã & abſolutã eloquentiã nemo conſequatur, quod alia intelligendi, alia dicendi diſciplina eſt, & ab alijs rerum, ab alijs uerborum doctrina quęritur. Et de ueteri Li. 3. orat.

ri eloquentia loquens, ait, Nam uetus quidem illa doctrina, eadem uidetur, & recte faciendi, & bene dicendi magiſtra: neque diiuncti doctores, ſed iidem erant ſciendi præceptores atque dicendi; id quod ex Homero confirmat. Abſurdū alio loco eſſe ſcribit, quod alij agēdi alij dicendi ſint magiſtri. Hinc eſt quod Ariſtoteles, cuius eloquentiam a multis laudatam legimus, mane de rebus grauiſſimis diſſerendo ſuos docebat auditores, ueſperi autem bene dicendi præcepta tradebat. Facto itaque intelligendi & dicendi artium diuortio, quarum mirificam ſocietatem antiqui eſſe uoluerunt, pauci reperiuntur, qui eloquentiæ laudem conſequantur. Merito igitur Antonius, eos qui artes rhetoricas ſcribunt, perridiculos uocat, & eos, qui Rhetorum præceptis omnem Oratorum uim contineri arbitrantur, deridet: cum non ſit paucorum libellorum hoc munus, ut ij, qui ſcripſerunt de dicendi ratione arbitrati ſunt: ſed onerandum, complendumque pectus eſt maximarum rerum & plurium ſuauitate, copia, & uarietate. Sed hac de re hactenus, plura alibi: nunc ad propoſitas dubitationes breuiter, quando ex dictis facile ſoluuntur, reſpondeamus.

Quod igitur ad primam rationem attinet, ueriſſimum eſt hanc partem pertinere ad Rhetorem,

torem, in eaque explicanda præcipuam eius operam collocandam eſſe: tametſi, etiam ars poetica ſuam conſideret Elocutionem. Nec mirum videri debet, ſi artes maxime inter ſe affines, eadem de re, diuerſa tamen ratione, & ad diuerſum finem diſputant, vt alibi de partibus eloquentiæ agentes, plane demonſtrauimus. Li. 2. de arte dicen.

De ſecunda, concedimus, idque iam probauimus, ſuum eße in ſententijs ornatum: nec proinde fateri cogimur rerum tractationem ad dicendi artificem pertinere, cui ſatis eſt ſententiarum uim, varietatem, vſumque in omni dicendi genere docere; quod, qui aliquam rerum cognitionem non fuerit adeptus, vt ex ijs quæ diximus perſpicuum eſt, facere poterit nemo.

Tertiam rationẽ eodem dilueres modo, quo ſecundam; propterea nihil ſpeciatim reſpondebo.

De eo quod in quarta ratione dubitatur, quid ſentiendum ſit, infra integra diſputatione examinabo: nunc breuiter dixerim non eße improbabile, ſi quis quandam uocis Elocutionem a pronũtiatione diſtinctã ſtatueret.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

B 3 *Qua-*

Qualis & quanta debeat eſſe Elocutio. Diſputatio II.

VT adhuc multo melius Elocutionis uis atque natura perſpici poſſit, præter ea quæ ſupra diximus, de eiuſdem virtutibus, vſuque aliqua dicenda ſunt. Quæ autem in præſentia dubitationes ſuper re propoſita nobis occurrunt, hæ ſunt.

Primum, omnes fere bene dicendi artifices in eo conuenere, quattuor eſſe Elocutionis virtutes, latinitatem, perſpicuitatem, ornatum & congruitatem: quod tamen videtur eſſe falſum, cum multo plures popularis oratio requirat, vt ex M. Tullio & Ariſtotele cognoſcere licet; nimirum ſuauitatem, amplitudinem, mores, numerum, & multas alias: falſa igitur erit iſta communis præceptio.

Deinde, non videtur ueritati conſentaneum has eſſe Elocutionis oratoriæ proprias virtutes, quod de ſingulis facile demonſtrare licet. Nam, quod ad latinitatem attinet, Li.3.orat. *tota eſt Grammaticorum, ut apud Tullium recte diſputat Antonius, dum eam puerili doctrina tradi affirmat. Perſpicuitas cuique ſcriptori,*

ptori, & in omni dicendi genere eſt neceſſaria. Idem fere de ornatu diceres, cum non modo Poetæ, vt ſupra diximus, ſed & Hiſtorici, & Philoſophi, præſertim cum dialogos ſcribunt, ſuum ſibi congruentem ornatum habeant. Denique, congruitas ſiue decorum in omni oratione, & præſertim philoſophica deſideratur. Quo igitur modo recte dicitur, has eſſe quattuor elocutionis oratoriæ virtutes, cum earum nulla ſit ei propria?

Præterea, nemo eſt qui hoc præceptum de Elocutione non tradat, eam debere eſſe popularem, a communi ſenſu minime remotam: atqui omnia quæ de verborum & ſententiarum ornamentis, de partium orationis iunctura & concinnitate, de ſententiarum numeroſa comprehenſione fuſe copioſeque traduntur, præceptum illud deſtruunt, ac funditus tollunt: fruſtra igitur tam multa de Elocutione, hoc eſt de ornanda oratione ſcribuntur præcepta. Quinct. lib. 8. in proœ. Cic. in brut.

Denique, quod ad ornatus quantitatem, uſumque pertinet, omnes uno ore docent, debere eſſe modicum, artem latere eſſe neceſſarium: & tamen, ſi orationes principum Oratorum ſpectemus, ubique ornatæ, florentes, & numeroſæ inueniuntur. Quare, ipſo uſu, quam tradunt doctrinam, qui artem dicendi

docent, & artificioſe ſcribunt, deſtruere uidentur.

Quod attinet ad opiniones de virtutum Elocutionis numero, aliqui tres tantum nu-
li.4. *merat, ut auctor Herennianus facit: elegantiam, compoſitionem, & dignitatem. Elegantia efficit, ut unumquodque pure & aperte dicatur: unde continet in ſe latinitatem, quæ ſermonem purum ab omni uitio conſeruat, & explanationem, quæ apertam & dilucidam reddit orationem. Compoſitio conſiſtit in uerborum conſtructione; quæ efficit omnes partes ęquabiliter perpolitas. Dignitas denique reddit orationem ornatam uerborum & ſententiarum luminibus. Alij uero quattuor attribuunt Elocutioni uirtutes, latinitatem, perſpicuitatem, ornatum, & decorum; in qua enumeratione plures & meliores conuenere ſcriptores: ſunt etiam qui plures numerant, quas tamen ad quattuor recenſitas reuocare aliquis poßet: quarum ſingulas, nos ſingulis fundamentis nunc planius explicabimus.*

Primum fundamentum, debet igitur oratoria dictio in primis eſſe Latina, & ut Ariſtoteles loquitur, pura & emendata: qualis erit, ſi Romani ſermonis candorem ſeruabit: ſi nihil habebit ex alieno ſermone admiſtum: ſi non Vrbe donata ſed in ea nata fuerit: ſi de-

nique,

nique, nō ſolum Grammaticis prǫceptionibus, ſed etiam conſuetudini loquendi bonorum ſcriptorum erit conformis: cum Latini ſermonis puritas, non tam Grammaticorum regulis, quam probatorum ſcriptorum obſeruationibus metienda ſit. Latinitas enim ut Mario Victorino placet, nihil aliud eſt, quam obſeruatio incorrupte loquendi ſecundum Romanā linguam. De qua, quǫ diſputando apud Tullium docuit Antonius, ad hæc capita reuocari poſſunt. Primum, doctrinam de latine loquendo cognitionem habere facilem, vſum tamen neceßarium: unum tradi literis, doctrinaque puerili: alterum adhiberi ob eam cauſſam, ut intelligatur, vt quiſque dicat. Secundum, loquendi elegantiam, quamuis literarum ſcientia expoliatur, augeri tamen legendis oratoribus & poetis: quorum ſermone aſſuefacti qui erunt, ne cupientes quidem, poterunt loqui niſi latine. Tertium, vbi docet, quid faciendum ſit, ut latine loquamur: ut non ſolum verbo efferamus ea, quæ nemo reprehendat, & ea ſic & caſibus temporibus, & genere, & numero, conſeruemus, vt ne quid perturbatum, aut diſcrepans, aut præpoſterum ſit; ſed etiam lingua & ſpiritus, & vocis ſonus eſt ipſe moderandus. Poſtremum, in quo docet latinitatem non facere

Li. 3. orat. *Oratorem, cum ait, Nemo vnquam eſt Oratorem, quod latine loquatur, admiratus: ſi eſt aliter, irrident: neque enim Oratorem tantum modo, ſed hominem non putant. Nam ipſum latine loqui, eſt ipſum quidem in magna laude ponendum; ſed non tam ſua ſponte, quam quod eſt a pleriſque neglectum: non enim tam præclarum eſt ſcire latine, neque tam id mihi Oratoris boni, quam ciuis Romani proprium videtur. Elegantia itaque non tam Oratorem conſtituit, quam vrbanum & ingenuum hominem a ruſtico, qui quemadmodum loquatur, nihil curat, diſtinguit: & qui Oratorem ut elegantem laudat, non tam illum ut Oratorem, quam ut Romanum ciuem commendat. Propterea Aſinius Pollio in Tito Liuio, alias facundiſſimo uiro, Patauinitatem quandam agnoſcebat, quod non omnino latinitatem redoleret. Nec propterea politus atque ornatus ſermo, quem politi & liberales homines ſequuntur, ab Oratore, qui uult in dicendo excellere contemnendus eſt: cum ſine eo, orationis ornamenta, ut aliquando copioſe demonſtrauit Tullius, conſiſtere minime queant: ob quem apud antiquos non paruam laudem Catuli, Scauri, Albini, Cæſares, Curiones, atque integræ etiam Mutiorum, Metellorum, Scipionum, & Lelio-*

In Brut. (margin, beside "ſum latine loqui")

Li. 3. orat. (margin, beside "qui uult in dicendo")

In Brut. (margin, beside "ſtere minime queant")

liorum familiæ ſunt conſecutę. Poſſem hoc loco, de Latinæ linguæ ortu, quaſi de infantia, de eiuſdem progreßu, quaſi de iuuentute, deſtatu & flore, quaſi de uirili ætate, & denique de eiuſdem decremento, & corruptione, quaſi de ſenili ætate, multa ſcribere, quæ libens prætermitto. Romani ſermonis corruptelam poſt illa fœliciſſima tempora, quibus Craſſi, Antonij, Sulpitij, Luceij, Curiones, Vatinij, Dolobellæ, Planci, Galbæ. Celij, Lentuli, Balbi, Carbones, Pompei, Cæſares, Tullij, & alij multi, qui emendate & incorrupte locuti ſunt, permulti deplorarunt, ut Seneca, Statius, Gellius, Donatus, Plinius, Macrobius, Fulgentius, Adrianus Cardinalis & alij: quam etiam his temporibus adhuc magis deplorare licet, poſtquam linguæ Italicæ, quę nihil aliud eſt, quam lingua latina corrupta, & uarijs nationum uocibus, quaſi maculis deformata, non ſine magna bonarum artium & diſcere uolentium detrimento, introductus eſt uſus: cum potius latina lingua, de qua ſemper gloriari poterit Italia, ad ſuam priſtinam puritatem & ſalubritatem eſſet reuocanda, quam iſta iam corrupta, fucatis quibuſdam ornamentis, & effęminato cultu, ne quid maius excidat, linienda. Illud tamen cum Tacito acer

Ang.Roc.

rimi

rimi ingenij uiro dicam, quæ nam fuerit huiuſce corruptionis origo, Quis enim ignorat, inquit ipſe, eloquentiam ac cæteras artes deſciuiſſe ab iſta uetere gloria? non in quã hominum, ſed deſidia iuuentutis, & negligentia parentum, & inſcitia præcipientium, & obliuione moris antiqui. Huic uirtuti, quam latinitatem appellamus, uitium illud opponitur, quod barbarum uocatur; de quo infra agetur, cum de uitijs inſtituta erit diſputatio. Atque hæc de prima uirtute adnotaſſe uolui.

Secundum fundamentum, in quo breuiter de ſecunda uirtute dicetur. Perſpicuitatis uirtus efficit ut oratio facile percipiatur: quæ tum in uerbis ſingulis, tum in coniunctis, & in toto orationis contextu ſpectatur. Quam uirtutem is dicendo retinebit, ſi de ea quæ in uerbis cernitur, loquamur, qui uerbis proprijs, recta eorũdem conſtructione, & oratione non in longum dilatata utetur: qui ita dicet, ut nihil in ipſius oratione deſideretur, nihil redundet: quo fiet, ut doctis probabilis, & imperitis plana uideatur. De ea perſpicuitate quæ in reb⁹ ſpectatur, alias diximus, cum de narratione egimus, ac etiam nonnihil rurſus infra tertio dicemus libro. Hanc uirtutem quam perſpicuitatem & plane dicere appellat, his uerbis expoſuit M. Tullius, Neque uero in illo altero diutius commo-

Ariſt.li. 3.

Fab.lib.8. c.2.

Lib.de diſpoſ.

moremur, quibus rebus aſſequi poſſimus, ut ea quæ dicamus intelligantur. Latine ſcilicet dicendo, uerbis uſitatis ac proprie demonſtrantibus ea, quæ ſignificari, ac declarari uolemus, ſine ambiguo uerbo, atque ſermone, non nimis longa continuatione uerborum, non ualde productis iys, quæ ſimilitudinis cauſſa ex alijs reb. transferuntur, non deſcriptis ſententijs, non præpoſteris temporibus, non confuſis perſonis, non perturbato ordine. Huic uirtuti opponitur uitium teterrimum, quod obſcurũ appellatur, quo nihil poteſt orationi, ad ocultas animi cogitationes exponendas inſtitutę, magis eſſe contrarium, cum is qui oſcure loquitur, non lucem, ſed tenebras rebus de quibus ſermonem habet, offundat. Quare aliquãdo ſapienter, hac de re agẽs, ſcripſit Auguſtinus, Quid prodeſt locutionis integritas, quã nõ ſequitur intellectus audiẽtis? cum loquẽdi omnino nulla ſit neceſſitas, ſi quod loquimur nõ intelligũt ij propter quos loquimur, ut intelligant. Huc pertinet adagium illud a Græcis uſurpatum, Quantumuis rudius dicito, modo clarius. Ad hanc uirtutem refertur, quod Ariſtoteles de elocutione loquens, ait, debere conſtare uerbis proprijs & ad rem accommodatis, bene translatis, atq. omnẽ ambiguitatẽ remouere, ita ut facile percipi & teneri poſſit. Sed de hac uirtute hactenus.

Lib. 4. de doc.

Ter-

Tertium fundamentum, in quo de aliis duabus paucis agemus, cu de illis toto hoc fere ope
Fab. lib. 8. c. 3. *re ſimus dicturi. Tertia igitur Elocutionis uirtus, quæ ornatus, nominatur, in eo ſita eſt, ut oratio ſit compta, perpolita, uerborum coloribus picta, & ſententiarum luminibus illuſtrata; ita ut a communi loquendi ratione nonnihil diſcrepet, adhibito tamen, ut Ariſtoteles præcipit, modo, ut paullo infra dicetur. Huic uirtuti opponitur uitium, quod inornatum dicitur. Poſtrema denique uirtus, id in oratione efficit, ut dicendo decorum ſeruemus, ut oratio ſit rebus, perſonis, lociſque accommodata.*
Fab. *Quare, qui apte dicere cupit, hæc diligẽter ſeruare debebit, ut oratio, tum dicenti, tum audiẽti, tum rebus ipſis, quas tractat, et officio quod gerit, maxime conueniat: hoc eſt, uidere oportet, quis dicat, cui dicat, qua de re dicat, et quid dicendo potiſſimum conſequi uelit. Non enim eadem omnibus conuenit oratio: aliter iuniores, aliter ſenes, aliter principes uiri, aliter humiles et priuati homines loquuntur. Similiter, aliter apud ruſticos & agreſtes homines, aliter apud eruditos & nobiles, aliter apud honeſtatis, aliter apud utilitatis amatores, aliter denique in foro, aliter in ſenatu dicendum eſt. Ideo Socrates, Lyſiæ cum orationem in eius defenſionem factam recitaſſet, dixit, Præclara &*

ele-

elegans oratio, ſed non conuenit Socrati. Et cum ille percontaretur, cur, ſi bona erat, ſibi nõ conuenire putaret, Nõ ne ait Socrates, fieri poteſt, ut amictus ſit elegans, & alicui non conueniat? Hanc uirtutem his uerbis Latinus Orator expreſſit, Non enim omnis fortunã, nõ omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec uero locus, aut tempus, aut non auditor omnis eodem, aut uerborum genere tractandus eſt, aut ſententiarum, ſemperque in omni parte orationis, ut uitæ, quid deceat eſt conſiderandum; quod & in re de qua agitur poſitum eſt, & in perſonis & eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt. Et Craßus apud eundem de hiſce duabus uirtutibus ita diſſerit, Hæ duæ partes, quæ mihi ſuperſunt illuſtrandæ orationis, ac totius eloquentiæ cumulandæ, quarum altera dici poſtulat ornate, altera apte, hæc habent uim, ut ſit quam maxime iucunda, quam maxime in ſenſus eorum, qui audiunt influat, & quamplurimis rebus ſit inſtructa. Huc pertinet, quod Ariſtoteles ait, orationem non debere eſſe frigidam, non humilem, nõ nimis elatam, modo contractam, modo dilatatam, decoram, moratam, & rebus congruentem. Deni que, ſunt qui dicant, tunc ſeruari in oratione decorum, quando nnicuique generi, & formæ propria ſententia, locutio, uerborumque apta In ora. Li. 3. orat. Maz.

tri-

tribuitur conſtructio: ita ut magna magnifice, media mediocriter, & tenuuia tenuiter dicantur. Sed de his hactenus, cum alibi plura dicturi ſimus. Huic uirtuti opponitur dicendi genus incongruum & ineptum. His poſitis fundamẽtis, haſce adſtruo poſitiones.

Lib. 3.

Prima poſitio, quattuor ſunt potiſſimæ & communes elocutionis uirtutes, latinitas, perſpicuitas, ornatus, & decorum.

Primum patet hæc poſitio ex cõmuni Rhetorum, tum antiquorum, tum recẽtium opinione, quam his uerbis tradidit Antonius, Quinam igitur dicendi eſt modus melior, quam ut latine, ut plane, ut ornate, ut ad id quod cunque agetur apte congruenterque dicamus? Quam enumerationem repetendo Cotta, quattuor in partes omnem orationis laudem Antoniũ deſcripſiſſe dixit. Et M. Tullius, ſermo purus erit & latinus: dilucide planeque dicetur: quod deceat circumſpicietur. Vnum aderit, quod quartum numerat Theophraſtus, in orationis laudibus, ornatum, illud ſuaue & affluens: acutæ crebræque ſententiæ ponentur, & neſcio vnde ex abdito erutæ.

Li. 3. ora.

In orat.

Secunda poſitio, ex his quattuor virtutibus duæ poſteriores ſunt magis difficiles & maiorem vim ad eloquentiam conſtituendam habent. Hanc doctrinam hæc luculentiſſima

Tullij

Tullij ſententia confirmat; qui, cum dixiſſet latinitatem non facere Oratorem, & neminem efferre eum verbis, qui ita dicit, vt qui adſunt intelligant, hunc in modum ſcripſit, In quo igitur homines exhorreſcunt? quem ſtupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem Deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui diſtincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate & rebus & verbis dicunt, & in ipſa oratione, quaſi quendam numerum, verſumque conficiunt, id eſt, quod dico ornate. Qui idem ita moderatur, vt rerum, ut perſonarum dignitates ferunt, ij ſunt in genere laudandi laudis, quod ego aptum & congruens neminem. Qui ita dicerent, eos negauit adhuc ſe vidiſſe Antonius, & ijs hoc nomen dixit eloquentiæ ſolis eſſe tribuendum. Li.3. orat.

Tertia poſitio, Elocutionis ornatus, non debet eſſe multus & ſine modo, ſed parcus & moderatus. In omnibus enim rebus, ut Tullius & ratio ipſa admonent, uidendum eſt, quatenus; etſi enim ſuus cuique modus eſt; tamen magis offendit nimium, quam paruum. In quo Appelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non ſentirent, quid eſſet ſatis. Et alio loco, Tum remouebitur omnis inſignis ornatus quaſi margaritarum: ne In orat. I. idem.

calamiſtri quidem adhibebuntur. Fucati vero medicamenta candoris & ruboris omnia repellentur. Nimij cincinni & fuci offendunt nimis orationemq; mollem, effœminatam, & putidam reddunt. Qui ergo nimium ſectantur ornatum delectant quidem, ſed delectando ſatietate explent. Difficile eſt dictu, quæ cauſſa ſit, cur ea quæ maxime ſenſus noſtros impellunt voluptate & ſpecie prima acerrime commouent, ab ijs celerime faſtidio quodam & ſacietate abalienemur. In ſumma, omnibus in rebus voluptatibus maximis, ut late eleganterque apud Tullium diſputauit Craſſus, faſtidium finitimum eſt. Quare quaſi vmbris & receſſibus certis in locis contrahendus erit onnatus, quo magis id, quod erit illuminatum extare atque eminere videatur. Sit itaque, vt ait Fabius, hic ornatus virilis, fortis, & ſanctus, nec effeminatam leuitatem, nec fuco eminentem colorem amet, ſanguine & uiribus niteat.

L.i.3.orat.

Quarta poſitio orationis ornatus non ſolum debet eſſe moderatus, ſed etiam tectus. Hanc doctrinam, ut omnes recte eloquendi præceptores tradunt, ita pauciſſimi ſunt, qui eam dicendo obſeruent. Sed, inquit Fabius, hoc pati non poſſumus, & perire artem putamus, niſi appareat: cum deſinat eſſe ars, ſi

Lib.4.c.2.

appa-

appareat. Pendemus ex laude, atque hanc laboris noſtri ducimus ſummam. Et Tullius, ideo tractationem variam in oratione requirit, ne aut cognoſcat artem qui audit, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate. Vt ergo oratoria dictio non indotata, incomitata, & incompta, ſed verbis locupletata, & ornata eſſe debet; ita elaborata concinnitas, & quoddam delectationis aucupium manifeſtè deprehenſum, in ea non appareat. Sit igitur Oratorius ornatus, non leuis, ſed grauis: non redundans ſed moderatus; non extrinſecus adſcitus, ſed innatus: non nimio ſtudio quæſitus, ſed quaſi ſua ſponte ueniat uocatus. Ita ut oratio non ueniat in lucem ueluti quædam impudica fœmina calamiſtris inuſta, & fuco immodice picta, ſed tanquam caſta uirgo natiuo colore & uirginali uenuſtate pro cauſsarum, rerum, perſonarumque varietate ornata. Abſit in verbis ſeligendis, perpendendis, collocandiſque non neceſſaria diligentia: ſolicitudo ſit rerum, cura verborum: in qua etiam cura eſt aliquid ſatis. Nam, cum latina, ſignificantia, ornata, atque collocata sũt, quid amplius laboremus? inquit Fabius.

Li. 2. orat.

Li. de orat.

Cic. in orat.

Fab. lib. 8. in pro.

Quinta poſitio, ornatus pro cauſſarum generibus, & pro generum formis, ſiue partibus debet eſſe uarius: hoc eſt, alium ornatum

tum requirit laudatio, alium deliberatio, & iudicium alium, ac etiam partes, quæ ſub his continentur generibus. Doctrina eſt per ſe ſatis manifeſta, quam Ariſtoteles, Tullius, Fabius, & qui hos ſecuti ſunt cæteri rectè loquendi artifices tradunt: quam qui in dicendo non ſeruaret, is nunquam apte diceret, quæ eſt præcipua Oratoris virtus: de qua ita diſputat apud Ciceronem Craſſus, Nunc quid
Li.3.orat. *aptum ſit, quid maxime deceat in oratione, uideamus: quamquam id perſpicuum eſt, non omni cauſſæ, nec auditori, neque perſonæ, neque tempori congruere orationis vnum genus. Nam & cauſſæ capitis alium quendam uerborum ſonum requirunt, alium rerum priuatarum atque paruarum: & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud ſermones, aliud cõſultatio, aliud obiurgatio, aliud diſputatio, aliud hiſtoria deſiderat. Refert etiã qui audiãt, et quæ ibi ſequũtur: ubi diſputationẽ de hac re concludens ait, omni in re poſſe, quod deceat facere, artis & naturę eſt: ſcire quid, quãdoq; deceat prudẽtię.*

Li.8.c.3. *Sexta poſitio, idonea elocutio aptuſque orationis ornatus multas ſecum utilitates affert. Primum ipſum commendat Oratorem: Cultu uero, atque ornatu, inquit Fabius, ſe quoque commendat ipſe qui dicit, & in cæteris iudi-*

cium

cium doctorum, in hoc etiam laudem popularem petit. Nec fortibus modo, ſed etiam fulgentibus armis prçliatus in cauſſa eſt Cicero Cornelij: qui non aſſecutus eſſet dicendo iudicem tantum, & utiliter demum, ac latine, perſpicueque dicendo, ut populus Romanus admirationem ſuam, non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu confiteretur. Sublimitas profecto & magnificentia, & nitor, & auctoritas expreſſit illum fragorem. Nec tam inſolita laus eßet proſecuta dicentem, ſi uſitata, & cæteris ſimilis fuiſſet oratio. Vtilis eſt deinde ipſi caußæ, ut his uerbis idem Fabius docet, Sed ne caußæ quidem parum confert, idem hic orationis ornatus. Nam qui libenter audiunt, & magis attendunt, & facilius credunt: plerunque ipſa delectatione capiuntur, non nunquam admiratione auferuntur. Nam & ferrum affert oculis terroris aliquid, & fulmina ipſa nõ tam nos confunderent, ſi uis eorum tantum non etiam ipſe fulgor timeretur. Denique, ne plures proſequar huius rei utilitates, quę ſane plures ſunt, quam qui eam negligunt, exiſtimarent, ornandi facultas Oratorem ab alijs artificibus priuata quadam ratione ſecernit. Nam, cum uaria ſint diuerſorum ſcriptorum dicendi genera, eorum diuerſitas ex ipſa potiſſimum

Li.2.orat. phraſi perſpicitur. Huc pertinet, quod his uerbis apud Ciceronem de artibus loquens diſputat Antonius, Sed quod cuique ſit proprium, & ſi in eo videri poteſt, cum videris quidq́ quæque docent: tamen hoc certius nihil eſſe poteſt, quam quod omnes artes aliæ ſine eloquentia ſuum munus præſtare poſſunt, Orator ſine ea nomen ſuum obtinere non poteſt: vt cæteri ſi deſerti ſint, aliquid ab hoc habeant; hic niſi domeſticis ſe inſtruxerit copijs, aliunde dicendi copiam petere non poſſit. In hanc itaque præcipuam maximeque vtilem eloquentiæ partem ſtudium colocandum eſt, qua non modo homo ab homine, ſed Orator ab Oratore diſtinguitur, & non ſolum diſertus, ſed etiam eloquens nominatur, cæteriſque hominibus præſtat, & antecellit. Et quamuis difficile ſit ad illud faſtigium ſublimitatemque peruenire, ad quam Cicero, & eius ætatis cādidiſſimi auctores peruenerunt: tamen cū illorū ornatus imitabilis ſit, audendum eſt, & ita adnitendum, ut quod aſſequi non poſſumus, imitari ſaltem voluiſſe videamur. Quod qua ratione fieri poſſit, hac ſententia, quaſi quadam face, qui nobis præluxit, commoſtrauit Tullius, Sit modo is qui dicet, aut ſcribet, inſtitutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, & flagret ſtudio, &

Libr. 3.de ora.

& natura adiuuetur, & uniuerſorum generum infinitis diſceptationibus exercitatus, ornatiſſimos ſcriptores, oratoreſque ad imitandum cognouerit, næ illud ſane, quemadmodum verba ſtruat & illuminet a magiſtris iſtis requiret, ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta, duce natura ipſa, ſi modo eſt exercitata, labetur. In ſumma, ſtylus eſt optimus dicendi magiſter. His itaque uniuerſe de Elocutionis uirtutibus explicatis, in ſequitur, vt ad earum explicationem accedamus: ſi tamen prius allatas dubitationes diſſoluerimus.

Quod igitur ad primam attinet, numerantur quidem interdum a quibuſdam auctoribus plures uirtutes, quas tamen ad has facile reuocares: quæ certe has neceſſario ſequuntur. Quare, qui emendate, qui plane, qui ornate, & apte dicet, is profecto omnes elocutionis aſſequetur uirtutes.

De ſecunda, licet latinitatis initia tradantur a Grammatico: tamen perfecta & abſoluta, puraque latinitas, ab ijs traditur, qui rhetorica docent. Quæ etſi puerili doctrina aliquo pacto acquiratur; tamen bonorum auctorum lectione & obſeruatione, quæ acre requirit iudicium, perficitur, atque conſummatur. Et eſto perſpicuitas in omni oratione deſide-

retur: tamen præcipue in oratione populari, quam Rhetores priuatim cõſiderant, ac etiam de perſpicue loquendo præcepta tradunt. Quid de ornatu dicendum ſit, ſatis ex dictis patet. Congruitatem vero, ideo potiſſimum Orator conſiderat, quia hic ſolus artifex, uaria utitur, varijs in rebus, apud varios, & varijs in locis oratione: ac proinde, vt alibi docuimus, maxima quadam indiget prudentia, quæ eſt decori magiſtra.

Leg. Cic. lib. 1. offi. de duplici orat.

De tertia, Elocutio ita debet eſſe popularis vt a populo intelligi poſſit; non ut ſine ullis ornamentis inuenuſta, & parum compta in concionem veniat. Et Rhetores dum late de ornatu ſcribunt, docent etiam modum, quo eo uti debemus.

Quod quarto loco dicebatur, parum urget: non enim in bonis oratoribus, ponendi ſunt, qui artem oſtentant, qui bene dicendi præcepta non ſeruant; ut eſt illud ſane maximum, de arte cælanda; quamuis paſſim ab ineptis & parum prudentibus clamatoribus & rabulis negligatur: qui dum artem palam demonſtrant, ſe uera arte carere, nulla alia re planius & apertius manifeſtare poſſunt. Quantum autem hac in re a quibuſdam concionatoribus peccetur, non eſt huius loci docere, ſed alibi, fauente Deo, cum vigintiquinque libros

bros de ratione interpretandi, docendique ſacras literas foras dabo. Nunc ad inſtitutum noſtrum accedentes, priorem ſuſcepti operis partem, in qua de uerbis proprijs, quæ ad latinitatem, puritatemque elocutionis retinendam cognoſcere eſt neceſſe, aggrediamur.

De verbis turpibus, ſordidis, priſcis, & antiquatis. Diſputatio III.

CVM itaque prima Elocutionis pars, vt ex dictis manifeſtum eſt, in verborum ſimplicium conſideratione verſetur; propterea de his priore loco a nobis inſtituta eſt tractatio; in qua, de illis agemus uerbis, quæ ſunt omnino ab oratione reijcienda, aut ſaltem honeſta quadam ratione vſurpanda.

Vt autem de quibus agendum ſit, & quid in controuerſiam ueniat, intelligatur, animaduertendum eſt, uerborum alia eſſe propria, alia vero trãſlata: propriorum, alia ſunt quæ ſine vlla culpa in oratione adhiberi poſſunt; alia vero, quæ, cum, vel Romani ſermonis puritatem tollant, vel orationem parum honeſtam efficiant, aut omnino vitanda, aut cum quadam moderatione adhibenda ſunt:

at-

atque de his priore loco diſputaturi ſumus: Quæ auctor quidam hoc diſticho complexus eſt.

Sordida, priſca, noua, antiquata, poetica, dura,
Turpia, rara nimis, vel peregrina caue

Ex his verborum generibus, turpia & ſordida maiorem dubitationem habent. Et quod ad turpia attinet, antiqua eſt controuerſia, an ulla ſint uerba, quæ turpia, uel obſcœna dici poſſint: de qua re quid uariæ ſcholæ & ſcriptores ſenſerint, poſtea exponam. Quod autem nullum uerbum turpe appellare liceat, his rationibus demonſtrari poteſt.

Primum, ſi duo ſunt nomina quæ eandem rem ſignificant, aut pariter ambo obſcœna erant, aut neutrum: ut mingere, & lotium reddere: ſed hoc non cenſetur turpe; igitur nec illud. Atque hoc fuit Bryſonis Sophiſtæ dilemma, quod poſtea diligenter defenderunt Stoici.

Deinde, ſi aliquod eſt in obſcœnitate flagitium, id, aut eſt in re, aut in uerbo; nihil enim eſt tertium: in re non eſt; cum non modo in comœdijs, ſed etiam in tragœdijs, immo & in ſacris litteris res quæ putantur turpes narrentur: unde conficitur, quod neque in uerbo. Si enim quod uerbo ſignificatur, tur-

pe

pe non eſt, nec uerbum quod ſignificat, turpe erit.

Poſtremo, uerborum proprietas in oratione retinenda eſt, ut quæ lucem maximam orationi affert: quare nullum uerbum propriè uſurpatum in dicendo uitandum erit; ne, dum proprio uti nolumus, tranſlatione aut circunlocutione, quæ dicimus, obſcura reddamus. Potuiſſem has argumentationes exemplis quibuſdam latius explicare; ſed honeſtati conſulendum duxi: plura qui deſiderabit, quæ nũc citabo, ea leget loca.

De hac itaque diſputatione legendus eſt Ariſtoteles in tertio de rhetorica libro; M. Tullius epiſtola uigeſimaſecunda libri noni, libro officiorum primo, & his in locis commentatores. Pet. Mar. Fran. Matur. *De re autem ipſa duæ fuerunt inter ſe oppoſitæ auctorum ſententiæ: quarum prima affirmauit nullam in uerbis eſſe turpitudinem; ita ut nihil ſit dictu obſcœnum, quod factu turpe non ſit; cuius opinionis princeps fuit quidam Bryſon, quem ſecutus eſt Zeno, & qui ab eo profecti ſunt ueteres Stoici: & cum uarij fuerint Zenones is fuit Zeno Citięus Stoicę Sectæ conditor.* Cic. pro Mur. *Idem exiſtimarunt his minus uerecundi philoſophi illi, qui Cynici, uel quia obuios quoſque admonendo allatrare potius, quam alloqui ſoliti ſint, uel quod in pro-* Pau. Man.

patulo

patulo cum coniugibus canum more coirẽt, no-
Lib.26.de Ciu.c.2. *minati fuere. Quorum impudentiam non uno in loco diuus damnauit Auguſtinus, La-*
Cont.Iul. li.6. c.15. *ctantius etiam, & Lucianus eandem inſectatĩ*
Li.3.c.15. *ſunt. De quibus ita ſcribit Cicero, Neque uero audiendi ſunt Cynici, aut ſi qui fuerunt Stoici pene Cynici, qui repræhendunt & irrident, quod ea quæ turpia re non ſint, nominibus ac uerbis flagitioſa ducamus: illa autem quæ turpia ſunt, nominibus appellemus ſuis. Latrocinari, fraudare, adulterari, re turpe eſt, ſed dicitur non obſcœne: liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcœnum.*

Altera ſententia priori omnino contraria, quam Academici, Platonici, & Peripatetici
Ascen. *defenderunt: qui exiſtimarunt multas eſſe res non inhoneſtas, cum ſint naturales & neceſſariæ, quæ tamen non ſint proprijs nominibus appellandæ. Eandem, epiſtola citata, his uerbis approbauit Tullius, Ego ſeruo, ſeruabo (ſic enim aſſueui) Platonis uerecundiam. Itaque tectis uerbis ea ad te ſcripſi, quæ aper*
Li.1. offi. *tiſſimis agunt Stoici. Et alio loco, Cynicorum uero ratio tota eſt eijcienda. Eſt enim inimica uerecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. Vt autem allata pro prima ſententia ſoluantur ſophiſmata, quędam nobis animaduertenda ſunt.*

Pri-

Primum, quamuis in propoſita dubitatione nullum auctores inter ſordida & turpia uerba diſcrimen ponant: tamen aliquid diſcriminis aſſignari poteſt, ut ſtatim dicam. Cæterum, cũ quandam affinitatem habeant, ſimul de eis agemus, & primum quidẽ de turpibus, poſtea de ſordidis.

Deinde, ut nominis pulchritudo, de Lycimnij, Gorgiæ Leontini auditoris, ac ſodalis ſententia, in duabus ſpectatur rebus, aut in ſono, aut in ſignificatione, idem de turpitudine dicendum erit. Quæ enumeratio ut manca & imminuta reprehenditur ab Ariſtotele: quoniam præter ſonum & ſignificationem eſt quiddam tertium a Lycimnio prætermiſſum, quod ad orationis pulchritudinem facit: quid autem id ſit, ſequenti admonitione exponam. Halicar. in uita Lyſiæ.

Animaduertendum itaque eſt, nomina eſſe rerum notas, in quibus non modo ſonus, & res notata, ſed etiam ſignificandi modus ſpectari debet, ut, & Philoſophi, & Theologhi tradunt. Quare, fieri poteſt, ut duo nomina eandem rem turpem, ſed tamen non eadem ratione ſignificent. Alterum enim ita ſignificabit, ut quaſi oculis rem ipſam cernere uidearis, alterum uero non item: quo fit, ut non eadem rei turpis ad aures feratur intellectio, ſi tectis, & tranſlatis remotiſue nominetur uer- Ariſt. cap. de ſub. D. Thom.

bis

bis, atque ſi apertis, & proprijs, quæ planius, & plenius in aures influunt remque ob oculos ponunt. Vt ſi quis, rem uenereams dicat, membra Veneri dicata, ſeu pudenda, honeſte loqui putabitur, cum tecte rem turpem exprimat: ſed ſi ipſum coeundi actum, membraque proprijs appellaret nominibus, quia rem turpem aliquo pacto oculis ſubijceret, loqueretur turpiter. Huc etiam facit, quod ſæpe eadem res aliquo modo eſt honeſta, & aliquo modo turpis: ac proinde & honeſte, & obſcœne nominari poterit. Rem cum muliere habere prolis ſuſcipiendæ cauſſa, res honeſtiſſima eſt, quidquid aliquando quidam hæretici ſtulte dixerint; at, ſi ut ſola libido expleatur, turpitudine non uacabit. Homo nudus in balneo honeſte cernitur, in platea minime. His ita adnotatis de turpibus uerbis has ſtatuo poſitiones.

Cle. Alex. li. 2. Stro.

Prima poſitio, inter uerba turpia, & ſordida aliquid aſſignandum eſt diſcriminis, hoc pacto. Turpia ſiue obſcœna ea priuatim dicuntur, quibus res uenerea, & quæ ad eam pertinent ſignificantur. Sordida uero, quæ & immunda dicuntur, ſunt ea quibus res fœdæ nominantur, ueluti corporis excrementa: ut, urina, ſputus, ſtercus, nates, & id genus alia. Quare omnia uerba obſcœna ſunt

ſordida,

ſordida, ſed non omnia ſordida ſunt obſcœna.

Secunda poſitio, in uerborum uſu aliqua agnoſcenda eſt obſcœnitas; ita vt quod facere non eſt turpe, turpiter dici poſſit. Confirmatur hæc poſitio primum ex communi bonorum ſcriptorum ſententia: ita enim Academici, ita Platonici, & Ariſtotelei philoſophi omnes docent, quibus aßentiuntur noſtrates. Accedat deinde natura, quæ ita hominem fabricauit, ut partes quę in eo ſpeciem habent honeſtam poſuerit in promptu: quæ autem aſpectum deformem eſſent habituræ, eas contexit, atque abdidit. Quam naturæ fabricam imitata eſt hominum uerecundia. Quæ enim natura occultauit, eadem omnes qui ſana utuntur mente, remouent ab oculis. Et apud quoſdam populos pro lege habetur, ut emiſſa e veretre excrementa, contegantur: idemque Deus populo Hebręo in caſtris uerſanti faciendum mandauit: quod etiam quanto poteſt ſtudio ælurus, ſiue catus facit. Quare, ſi naturam hac in parte ducem ſequi uelimus, certas corporis partes, earumque uſum ſuis nominibus ſine obſcœnitate appellari non poterunt; cum non multo minus nomina quam res ipſæ, quod eſt turpitudinis, id ob oculos ponant. Poſtremo, quoniam aduerſariorum rationes non tantum habent roboris, ut nos ad honeſtatem ad obſcœnitatem poſ

Deut. 22.

ſint

ſint adducere:quod ex ijs,quæ diximus certum eſt,& in earum ſolutione adhuc certius fiet.

Tertia poſitio, obſcæna verba, & quæ aliquam obſcænitatis ſpeciem habent, longe ab oratoria elocutione reijcienda ſunt. Commune eſt multorum Rhetorum præceptum, & ab honeſtis Oratoribus ſancte obſeruatum. Naturam ergo ingenuus & bene educatus puer ſequatur magiſtram, & omne quod abhorret ab ipſa aurium caſtarum approbatione ſtudio ſe fugiat.

Quarta poſitio, verba obſcæna, non ſolum in Oratore, ſed etiam in quouis Poeta damnanda ſunt. Primum quidem, quod nullius rei uſus poteſt probari,qui cum natura pugnet: at orationis obſcęnitatem, ut diximus,natura refugit:igitur. Deinde,quoniam ob hanc potiſſimum cauſſam male audiunt quidam præſertim Poetæ, & eorum lectio pueris priuatim eſt interdicta, quod minus caſte loquantur: a qua qui non abſtinent, facile inficiuntur. Honeſti itaque & bene educati iuuenes,& a uerbis obſcęnis,& ab impuris, quorundam Poetarum ſcriptis abſtineant; ſi ſuæ boneſtati & uerecundiæ conſulere uolunt. Quod ſi antiquos Poetas lectitare uolunt,eos legant,qui expurgati nuper Romæ ſunt excuſſi. Ex quibus colligeres,quam grauiter errauerit Catullus, qui

Lege lib. Fon. uit. & ſap.

cum

cum Poetam caſtum piumque eſſe debere docuerit; ei tamen obſcœnorum uerborum vſum omnino concedit: & tunc verſiculos ſalem & leporem habere exiſtimauit, cum ſunt molliculi, & parum pudici. Virgilius, Genitale aruum dixit, ſed turpiter Catullus, Mulæ cunnus.

Quincta poſitio, ſi de rebus obſcœnis omnino loquendum erit, periphraſi, uel honeſta deſcriptione utemur; quod etiam prophani Poetæ aliquando faciunt: ut, ſi venereum actum uelles exprimere, diceres, Rem cum muliere habuit, mulierem cognouit, uel, ut ſacræ loquuntur literæ, ad mulierem ingreſſus eſt. Ad turpia contegenda quædam inſeruiunt figuræ, ueluti tranſlatio, apoſiopeſis, ſiue eclipſis, allegoria, & catachreſis. Rurſus turpia, ſi in cauſam ueniant, præteritione attingi poſſunt, ut in tertia Verrina Latinus fecit Orator, cum ait, Itaque primum illum actum iſtius uitæ turpiſſimũ & flagitioſiſſimum prætermittam. Nihil a me de pueritiæ ſuæ flagitijs peccatiſque audiet, & quæ ibi ſequuntur. Vbi & decorum ſeruat, & aduerſarium grauius lædit, quam ſi rem omnem detegeret. Eundem pudorem heroici retinent Poetæ, ut Virgilius, cum dixit,

Hor. li. I. Eod. 4. Terent. in Adel. act. 2. ſce. 4.

Libro 8. Æneid.

——— ——— Et verba locutus,
Optatos dedit amplexus, placidum-
que petiuit
Coniugis infuſus gremio per mem-
bra ſoporem.

Verecunde etiam beſtiarum uenerem idem bonus Poeta in Georgicis expoſuit, cum dixit; Lib.3.

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior
uſus
Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet in-
ertes,
Sed rapiat, ſitiens venerem, interiuſ-
que recondat.

Multa alia poſſem proferre loca, in quib. honeſtiſſime Virgilius locutus eſt; ob quam cauſ- Lud.Viu. *ſam, vt quidam ſcribunt, Parthenias dictus fuit. Heroici itaque Poetę & Oratores non eo orationis maieſtatem dignitatemque deijciunt, ut opus honeſtum & nitidum male olentium uerborum fœditate inquinent. Obſcœna igitur uerba Poetis epigrammaticis, lyricis, mimorum & elegorum ſcriptoribus, & impudicis ſatyricis relinquantur: quorum lectionem in tanta honeſtiſſimorum ſcriptorum copia, quis neceßariam putet? Atque de obſcœnis hactenus, nunc de ſordidis.*

Sexta poſitio, ſordida uerba non ſunt eadem cum humilibus. Quę cenſeantur ſordida

dida ſupra docuimus; de humilibus poſtea dicemus: quod autem diſtinguantur, ex eo patet, quod illa in oratione non habeant locum, hęc uero habere poſſint. Verum tamen eſt, quod humilia cum ſordibus, ut ſordida cum obſcœnis interdum confunduntur. E ſordidis autem, alia aliis acceptiora ſunt; ut, uomere, quam cacare: & ructare, quam pedere: & urinare, quam meiere. Et quo ad uniuerſum genus propius accedunt, eo acceptiora uidentur.

Septima poſitio, ſordidis uerbis ij utuntur, qui uilem abiectamque materiam tractandam ſuſcipiunt: ut Medici quadam neceſsitate adducti, rei ruſticæ ſcriptores, lyrici, ſatyrici, epigrammatici Poetę. Cæterum, quę alias ſordida uideri poſſent, certis in locis poſita, non maculant orationem: Vt ſi quis de agricultura loquens, diceret, ſtercus, ſtercorare, & ſtercoratio. Et quæ coram honeſtis uiris dicta pro immundis, obſcœnis ue haberētur coram æqualibus, aut inferioribus non item; & quod ab uno ſordide dicitur, non item ab alio. Idem dicas de quibuſdam verbis quę uno in loco cenſentur ſordida, vel turpia, in alio vero nihil ſordium, aut obſcœnitatis habēt: vt, ſi materno ſermone dicas Putta, apud Italos, & apud Hiſpanos. Mart.

Octaua poſitio, apud Oratores ſordida ver ba nullum habent locum, Ita, vt alios mittam ſcriptores, Quinctilianus docet, cum ait, Et Lib.8.c.3. *honeſta quidem turpibus potiora ſemper, nec ſordidis vnquam in oratione erudita locus. Caſtum quiddam ac purum eſt oratio bene conſtituta, quam verborum ſordibus & proluuione contaminare nefas eſſe duco: idque ipſa natura, vt ſupra de obſcœnis diximus, manifeſte docet.*

Nona poſitio, ſi de re ſordida ſermo habendus ſit, vt omnem ſubterfugiamus culpam, eam verborum ambitu deſcribemus, honoremque, ſi opus fuerit, præfabimur. Dicemus itaque, exonerare aluum, ire egeſtum, & reddere lotium. His quæ de turpibus ſordidiſq; verbis diximus, de priſcis & antiquatis, aliquid hac eadem diſputatione adijciemus: de quibus has ſtatuo poſitiones.

Decima poſitio, priſca, ſeu vetuſta verba, non ſunt eadem, quæ antiquata, & obſoleta, quæ communi appellatione cum quibuſdã, Cic.lib.3. orat. *Inuſitata, appellares: quorum alia priſca, alia* Streb.lib. *antiquata dicuntur. Inuſitata igitur uerba* 1.c.11. *ea dicuntur, quæ, cum olim apud antiquos ſcriptores eſſent in uſu, poſtea in deſuetudinem abierunt. In priſcis autem ſcriptoribus: quos aliquando Cicero, veteres uocauit,*

ſunt

ſunt Ennius, Paccuuius, Cæcilius, Actius, Andronicus, Lucillius, Cato, Pictor, Piſo, & qui vſque ad Syllæ dictatoris tempora ſcripſerunt: quorum auctorum temporibus nihil erat in latina lingua politum & excultum. In priſcis & inuſitatis uerbis hæc reponeres. Cluo, pro pugno: oppuliſcere, pro diteſcere: pauperare, pro pauperem facere: defrugare, pro extenuare: porcare, pro probibere: catillare, pro alienas domos frequentare: & hæc nomina: ſandapila, ideſt feretrum mortuorum: ueſpillones, ideſt mortuorum baiulatores: ſilicernij, ideſt ſenes incurui, quaſi ſuorum ſepulchrorum ſilices aſpicientes: ſutela ideſt aſtutia: titiuillitium, ideſt fila putrida, quæ de telis cadunt: delinificus ideſt blandiloquus: & denique hæc aduerbia, oppido pro ualde, & actutum pro ſtatim. Hæc & id genus alia uerba apud probatos auctores, non facile inuenies. Horum uerborum duplex eſt ratio: nam aliqua adeo obſoleuere, ut in uſum reuocari non poſſint; & hæc antiquata & obſoleta dicuntur: alia uero quæ uſu quotidiano ſunt quidem intermiſſa, ſed tamen non omnino a doctis relicta, quæ priſca priuatim uocantur. Fulg.

Vndecima poſitio, in priſcis hæc reponuntur uerba, olli, actutum, oppido, proles,

tempeſtas, ſoboles, effari, autumo, expectorare, exantlare, & alia generis eiuſdem, quibus interdum boni ſcriptores uſi ſunt; ſed liberius Poetæ, quam Oratores.

Duodecima poſitio, priſcis, ſiue ueteribus uerbis, quorum uſus non eſt omnino interdictus, uti licebit, in aliqua animi pertur
Vir. lib. 1. & 10. *batione, in re graui, & in aliquo periculo explicando; item in ſermonibus priſcis, & in perſonarum fictionibus. Quare priſca uerba orationi graui, & perſonis, antiquioribus, quas parum decet florida noui ſermonis facultas, conuenire putandum eſt.*

Decimatertia poſitio, priſca uerba ſuis lo
Cic. lib. 3. de orat. *cis apte poſita, amplitudinem quandam, dignitatemque tribuunt orationi, & quaſi emblemata quædam eam illuſtrant & exornant: eſt enim in antiquitate maieſtas quædam: nam & auctoritatem antiquitatis habent, & quia intermiſſa ſunt, gratiam nouitati ſimilem parant: uerum opus eſt modo, ut neque crebra ſint, neque manifeſta; cum nihil ſit affectatione putidius. Atqui horum uerborum uſus non eſt concedendus pueris, qui ignorantiæ ſuſpitione laborant, ſed doctis. Proprijs, in*
Lib. 8. c. 3. *quit Fabius, dignitatem dat antiquitas: nanque & ſanctiorem, & magis admirabilem faciunt orationem; quibus non quilibet fue-*

rat

rat uſurus: eoque ornamento acerrimi iudicij P. Virgilius uſus eſt.

Decimaquarta poſitio, antiquata & inſolentia uerba nullum prorſus debent habere in oratione locum: in quibus hęc reponeres, hoſtis, pro hoſpite & peregrino: apluda pro frumenti furfure: floces, pro uini fece: toper, pro cito: aſſulatim, pro minutatim: iduare, pro ſeparare: latibulet, pro lateat: ruſpari, pro ſcrutari: grandibo, pro extendam: paucies pro raro, & horum ſimilia, quibus plautinæ comœdiæ ſcatent; quæ omnino uitanda ſunt. Quare non quidquid in receptis ſcriptoribus reperitur idoneum & probatum eſſe putandum eſt, cum ſint multa iam obſoleta. Quo fit, ut reprehenſione digni ſint ij, qui dum multæ lectionis uideri uolunt, uerba in medio poſita reſpuunt, trita uſitataque aſpernantur, & abſtruſa, atque inſolentia uenantur; ut cum ignota dicant, ſui admirationem, apud ignaros faciant: quod qui faciunt, dupliciter peccant: Primum puritatem candoremque Romani ſermonis commaculant: & perſpicuitatem, primam orationis uirtutem, omnino tollũt, quod eſt uitium uel maximum. Quid enim attinet dicere, ni intelligi uelis? qui docere poterit, qui inuſitate loquitur? qui tenebras pellere, qui lucem odit? Vnde merito

Plaut. in Amphit.

Gel. lib. 1. c. 10.

rito in oratione pro Cluentio Cepaſium ridet Cicero, quod ex tam multis auditoribus, quid ille ſibi uellet, intelligeret nemo: & C. Ruſcius Siſennam, qui ſputatilica crimina dixerat, iocoſe damnauit, cum dixit, Sputa quid ſit, ſcio, tilica neſcio. Obſcuri igitur, horridi, atque ſpinoſi antiquarij iſti euadunt, dum nimiam antiquitatem affectare uolunt: De quibus illud per contemptum dici ſolet, eos cum Euandri matre loqui. Sed his omiſſis, ut huic diſputationi finem faciam, allata initio argumenta diſſoluam.

Cice. in Brut.

Quinc. li. 2. c. 5.

De primo, licet duo nomina eandem rem ſignificent: tamen, quia non eodem modo eam ſub oculos ponunt; ideo unum turpe, alterum honeſtum cenſetur; ut ſupra docuimus. Infirmum eſt igitur illud Bryſonis dilemma.

De ſecundo, dicimus obſcœnitatem quandam eſſe & in re & in uerbo, quo res ſignificatur: ac proinde, ſi neceſſitas cogat, ut rem explicemus turpem, uerborum genere honeſte dicenda erit.

De ultimo, retinenda eſt uerborum proprietas, cum honeſte res dici poteſt: nec quicquam peccat, qui ad turpitudinem occultandã tranſlatis utitur uerbis.

De

De verbis nouis atque nouatis. Diſputatio IIII.

DE uerbis nouis, quæ ueteribus ſunt contraria, maior quædam eſt difficultas: an ſcilicet, noua nomina formare, & nouatis uti liceat. Nam, qui id negarent, eam pro ſe afferrent auctoritatem, quod C. Cæſar libro de analogia dixerit, infrequens, atque inſolens uerbum tanquam ſcopulum fugiendum eſſe. Et Gellius, obſoletis, inſolentibus, nouitatiſque duræ uerbis uti, par ait eſſe delictum. Denique Fabius, cum uſitatis utendum eſſe dixiſſet; noua, inquit, non ſine periculo fingimus. Qui uero contra exiſtimarent, grauiſſima Ciceronis auctoritate ſuam munirent ſententiam; cum ille aliquando dixerit, imponenda eſſe noua nouis rebus numina; & multa ſuo ſeculo innouata fuere, quibus, repudiatis ueteribus, uſa eſt Latina lingua.

Lib. 11.

Li. de fin.

Quidam igitur, ea ſunt ſuperſtitione imbuti, ut nullum prorſus uerbum admittere uelint, quo Cicero Romani ſermonis perfector, uſus non fuerit, aut ſaltem, ut alijs placet, ij qui eo uixerunt tempore, quo lingua latina

na floruit. In quibus Terentius, Cæſar, Cicero, Salluſtius, Liuius, Virgilius, Horatius, Ouidius, Cornelius Celſus, & ſi qui probantur alij, qui a temporibus Syllæ uſque ad Domitiani tempora extitere. Alij uero contra, quodcunque nouum uerbum admittendum putant, modo aliquem nouitatis habeant auctorem, vel etiam ipſum Apuleium. Sed melius illi ſentire videntur, qui ut omnino noua non reſpuunt; ita non omnia a quouis nouo auctore reperta facile admittunt. In nouis auctoribus ij ponuntur, qui poſt Domitianum ſcripſerunt. Quid autem de hoc verborum genere ſentiendum putem, his poſitionibus aperio.

Prima poſitio, verba noua, quæ Cicero aliquando inuſitata vocauit, ea cenſentur, quæ poſt illos latinæ linguæ perfectores introducta fuerunt. Huius generis multa, omnium fere artium magiſtri, partim neceſſitate, partim licentia, partim ignorantia introduxerũt.

Secunda poſitio, qui ſolum Ciceronis, vel duorum, aut trium auctorum verba admittere volunt, ij pueriliter errant. Primum, quia ipſemet Cicero rebus nouis noua nomina imponenda eſſe aliquando ſapienter affirmauit. Deinde, ab eodem auctore, quo pacto noua verba fieri poſſint, docemur; qua de re paul-

Li.1.Aca. Lib.3. de Fin.

paullo poſt ſcribetur. In Craſſo, in Antonio, in Hortenſio, nullum verbum ut inſolens & putidum notauit: quos tamen ſuis vſos eſſe verbis cenſendum eſt: & multorum epiſtolas in ſuum volumen retulit, qui tamen aliter interdum ſunt locuti, atque ipſe locutus fuiſſet: & in M. Antonio magis fortaſſe accuſatorie, quam vere pauca quædam damnauit. Denique, nunquid de rebus omnibus locutus eſt Cicero? veluti de agricultura, vt Varro, de arte medica, vt Celſus, de architectura, vt Vitruuius, & de naturali hiſtoria, ut Plinius? Vt omittam, quod non omnia eius opera extant, & plura ſcripſiſſet, ſi diutius vixiſſet; & multo plura quam fecit, verba innouaſſet.

Tertia poſitio, verba noua abſque ulla neceſſitate introducta, uel nulla congruenti ratione nouata, uitanda, & tanquam barbara fugienda ſunt. Huius generis multa introduxerunt, Grammatici, Iuriſperiti, Dialectici, Medici, & Philoſophi. Nihil enim neceſſe fuit dicere, prædicatum, pro attributo: prædicare, pro attribuere: pro maxime, principaliter: pro ſummo genere, generaliſſimum: pro infima ſpecie, ſpecialiſſimam: pro notis, ecceitates, & alia ſexcenta horum ſimilia. Hæc uero, ſubſtantiua, adiectiua, relatiua,

tiua, priuatiua, dure uaſteque ſonant.

Quarta poſitio, noua uocabula, quæ neceſſitate introducta fuere, ſine ulla culpa in oratione uſurpari poſſunt, niſi meliora occurrãt. Huius generis multa in Theologorum ſcholis uſurpantur: ut ſaluator, nec enim idem ſignificat, uox alias latina, ſeruator, Trinitas, excommunicatio, paradiſus, purgatorium, iuſtificatio, incarnatio, & multa alia ob rerum nouitatem neceſſario introducta. Quod ſi aptiora & meliora occurrant, ſi ornatius loquendum ſit, eis utendum erit. Quare potius diceres, Diuinitatem, quam Deitatem: inſtaurare, quam reſtaurare; communire, ſeu firmare, quam fortificare & confortare; iuſiurandũ, quam iuramentum, & beare, quam beatificare. Nec etiam diceres, pietatem, pro miſericordia, humilitatem, pro modeſtia & animi ſummiſſione, & exaltatio, pro ſuperbia. Verum plura uerba neceſſitatis cauſa Theologo uſurpare licebit, quam Philoſopho, & plura Philoſopho, quam Iuriſperito. Nam Theologo multo plures res nouæ explicandæ ſunt, quam Philoſopho, & Iuriſperiti omnia, quæ in ciuili iure tractantur, ab optimis & antiquis ſcriptoribus habent explicata. Quæ ergo hominum ignorantia & licentia irrepſerunt, ornate loqui uolentibus diligenter cauenda erũt.

Proginas. lib. 4.

Si

Si quis autem quo pacto iſta uerba reſtituenda ſint, cognoſcere uelit, quoſdam recentiores, qui emendate ſcripſerunt, conſulant: ut in dialecticis Perionium & Hunnæum; in phyſicis Vatablum: & denique eos, qui obſeruationes latinæ linguæ ſcripſerunt, ut Adrianus Cardinalis, Antonius Scorius, Gulielmus Inſulanus, Marius Nizolius, & ſi qui ſunt alij. Vt igitur temporibus Ciceronis qui probari uolebant, maiorem orationis ſquallorem aſperitatemque fugiebant, & ex omnibus uerbis nitidiora, ſuauioraque ſeligebant, ſic nos, iuniorum audaciam licentiamque uitando, ex nouis pauca neceſſaria aßumere debemus. Quę autem eligenda ſint, qui neceſſitati & decori parendum eſſe norit, is optime iudicabit.

Quincta poſitio, verba noua differunt a nouatis: quæ cenſeantur noua, iam docuimus: nouata vero ea putantur, quæ ab eo qui dicit, gignuntur, uel ab aliquo probato auctore, aut cõmuni hominum diſertorum conſuetudine introducta fuere, quibus ſine ulla erroris ſuſpicione uti poſſumus: de quibus quid ſentiendum ſit, quibuſdam poſitionibus aperiemus.

Sexta poſitio, nemo in Latino ſermone conſeruãdo, debet eßе ita religioſus, ut exiſtimet, nullo modo, nulla de caußa aliquod uerbum innouare licere. Hoc affirmauerim contra Celſum Lib. 8. c. 3

ſum, qui Oratori, ut Fabius refert, hanc facultatem ademit. Primum, quoniam qui in iſta ſunt hæreſi, aduerſantur optimis romanæ linguæ architectis, diſertiſque ſcriptoribus, qui multa uerba de nouo fabricarunt: & Cicero, quam ſibi facultatem formandorum uerborũ ſumpſit, eandem alijs conceſſit, rationemque formandi docuit: eiuſque temporibus multa ſunt innouata uerba: ut, fauor, qualitates, urbanus, beatitas & beatitudo dura eſſe dixit, ſed vſu poſſe molliri putauit. Terentius primus dixit, obſequium: Hortenſius, ceruicem, cum ueteres numero multitudinis uterentur.
Li.8.c.3. *Fabius in eadem fuit ſententia, & quorundã uerborum extitit auctor: cuius præceptores, piraticam, muſicam, & fabricam dicere non audebant, quæ verba nemo eſt, qui nunc refugiat. Flaccus quid hac de re ſenſerit, his verbis expoſuit.*

——Licuit, ſemperque licebit
In poetic. Siguatum præſente nota producere nomen.

Et paullo infra,

Multa renaſcentur, quę iam cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore uocabula, ſi volet vſus:

Quem

Quem penes arbitrium eſt, & uis, & norma loquendi.

Deinde, cum nouæ res, uel in hominum cognitionem de nouo ueniant, uel, ni natura, ſaltem hominum arte, & inſtitutis naſcantur, cur ad eas explicandas noua nomina fingere non licebit? Cur bombardam, caligas, Comitem, Cardinalem dicere non liceat? Et denique, hæc eſt humanarum uocum natura, ut docte ſapienterque Venuſinus poeta docuit, ut interire, et naſci, pro hominum uoluntate queant: poterũt igitur uetera obliuione aboleri, & noua in lucem edi. Et ſane, nõnulla inuenies apud ipſum romanæ facundiæ parentem uerba, quæ nemo non latina diceret, & tamen nunc in nullo fere ſunt uſu: ut guſtatus, tactio, infinitio, ſpectatio, ſuauitudo, lapſio, prolapſio, inconſiderantia, antecaptio, aberratio, datio, damnatio, liberatio, debitio, confiſio, anxitudo, innumerabilitas, tempeſtiuitas, peregrinitas, formoſitas, beatitas, admirabilitas, celſitas, crebritas, abitus, cruciamentum: quatefacio, inimicor, claro, digno, expingo, cepto, fructuarius, et denique, inſperans, & deſperanter. Vt igitur hęc & alia optimorum auctorum uerba cadere, aut rarius in uſum uenire, ita alia per uiros eloquentes innouari potuerunt. Nihil itaque eſt cur tantopere uerborum innouationem fugiamus,

Lib. 8. c. 3. *giamus, niſi quod, vt cũ Quinctiliano loquar, iniqui iudices aduerſus nos ſumus, ideoque ſermonis paupertate laboramus. Ne igitur noſtra culpa langueſcamus inopia, ueterum uerba, cum licebit, nouis præferamus: ſi non erũt idonea, tum recentiora & innouata animi et aurium iudicio ponderemus, & audeamus aliquid, doctis uiris auctoribus, qui uerborum nouitatem nõ extimuerunt. Qua autem ratione, & quatenus uerba innouare liceat, ſequentibus poſitionibus explicabo.*

Septima poſitio, quattuor modis uerba innouari poßunt: imitatione, inflexione, adiunctione, & tranſlatione. Doctrina eſt M. Tullij, quam omnes poſteriores approbarunt. Imitatione innouantur uocabula, cum ad eum modum, quo aurea illa latini ſermonis ætas aliquid pronuntiauit, aliud de nouo effertur. Qua ratione Cicero, ex bonitate, formauit beatitatem, celſitatem: ex proſcripturit, ſyllaturit: & nos ex beatitudine, pœnitudinem, pro pœnitentia dicere poßumus. Rurſus imitatione creantur nomina, cum de ſono uerba trahuntur, uel ex quadam naturæ ſimilitudine finguntur; ut, hinnire, balare, grunnire, tinnire, pappare, baubari, murmur, clangor, rudentes, & id genus alia. Huc referres uocabula illa, quibus ea nominamus, quæ ſimilitudinem ha-

Fab. li. 8. c. 3.

bent

bent cum ijs rebus, quæ erant apud antiquos: quo modo horologium ex arena confectum, appellares clepſydram, quo nomine antiqui uocabant horologium ex aqua factum: & chartam, papyrum.

Inflexione, uel, ut alij loquuntur, inclinatione, deriuatione ue, cum ex natiuo & uſitato nomine aliud deducitur: ut, ex ruſtico, ruſticitas, ex mendico, mendicitas, ex bibo biboſus, ex muliere mulieroſus, mulieroſitas, id eſt odium mulierum, mulierarius, ideſt mollis & effœminatus: ex uxore, uxorius, a negotio, negotioſus, a caſtello, caſtellanus, a mærore mæstitudo, meſtitia, a detero deterius, ab incuruo incurueſcere, a credo credibiles, ab angulo angulatura, a portu portunnus, & ne plura conſecter, a rotundo rotundatum. Sed hic cauendum eſt, ne uoces multum deflexæ a Romana ſuauitate nimium abhorreant, uel ab uſu probatorum ſcriptorum ualde diſſentiant.

Adiūctione, ſiue cōpoſitione, cū ex duobus uocabulis nōnihil corruptis, unū integrū cōflatur uerbū, quod compoſitæ figuræ appellāt Grāmatici: in quo multo feliciores ſunt Græci, quā Latini, hoc modo, Magniloquus, uerſutiloquus ſeminiuerbius, Græci ſpermalogos, mellifluus, armipotens, multiloquium, colluſor, combibo-

nes,ſubagreſtis,beneuolus,peſtifer, uelificari, diſcupere,crucifixus,coelicola. Verũ,hoc uerborum genus poetæ potiſſimum fingunt, eoque utũtur: Oratores uero parcius, qui potius quæ coniuncta ſunt, diſiungunt,et dicunt, Cruci affixus,lucem ferens,uerborum ſeminator: quã uis etiam coniunctis utantur,in quibus maior quædam uis cernitur, quam in ſimplicibus:ut, in erupit,quam in rupit,in emori, quam in mori,in demiror,quam in miror, in emereor, quã Gul.Inſ. *in mereor. Verba græcolatiua,hoc eſt ex latinis,& græcis facta,quibuſdam non placent, ut ſunt iſta, Archipreſul, Protonotarius, Pſeudomagiſter,& horum ſimilia.*

Tranſlatione,ſiue tractatione,ſimilitudine & analogia; ut gemmare uites, luxuriare ſegetes,putare uineas: quæ propter ſermonis inopiam inuenta fuere. Sed de trãſlatis, ſiue metaphoricis nominibus latius infra. Quo loco Streb. in Part. Cic. *illud admonuerim,eſſe quoſdam, qui ſimilitudinem & analogiam,a tranſlatione ſeu metaphora diſtinguunt,cum Cicero aliquando, nouata uerba a tranſlatis ſeiungat: Et hæc ſimilitudine,ſiue analogia nouari affirmant. Dicitur,ſomnolentia,ſicut uinolentia: curuitas,ut paruitas:rapturio,ut parturio: & detonſare, ut deſponſare. Quod ſi dicas, hæc ad imitationem,ſeu inflexionem pertinere, hoc pacto iſta*

inter-

inter ſe diſtinguũt. Inflexio deriuationis eſt, ſine ulla comparatione : analogia uero, ſimile genus, ſimilem finem, ſimile declinamentum quærit, quæ non ſpectat inflexio: illa deriuat, hæc comparat. Imitatio uero, de ſono uerba trahit: ut crocito, coaxo, & uagio.

Octaua poſitio, quoniam nobis minus licentiæ ad innouandum datur, quam antiqui Romani habuerint, nõ ſtatim atque uerbum deeſt, ad nominum formationem confugiendum erit; ſed, uel ciruitione utemur, uel a Græcis, mutuabimur, ut uiri docti faciunt, qui pro prædicamento, dicunt categoriam: pro impoſſibili, adynaton: pro improprio, acyron: pro ſubſtantia, uſiam: pro ens, quod exiſtit, ſubſiſtens, & τὸ ὤν. *Neque quod datur licentię, id pueri, & uiri illiterati ſibi ſumant, ſed docti, atque diſerti, quorum eloquentia apud multos eſt nota, & approbata. Quod ſi uerbo utemur nouo, & ne nouitas eruditas aures offendat, timemus, aliqua adhibẽda erit præmunitio, ut fecit Tullius cum dixit, commentabar, declamitans, ſic enim nunc loquuntur: & alio loco, Vt ſingulis eſſent bina media, uix enim audeo dicere, medietates, ſed quaſi ita dixerim, ita intelligatur.* In Brut. Li. de Mũdo.

Nona poſitio, nouis uerbis in reb. floridis, amoenis, & iucundis explicandis liberius uti

licebit, alibi uerecundius. Ibi enim, gratia no-uitatis rem efficit amoeniorem: quod in Cicerone multis in locis animaduerteres: ut cum di-
Li. de ſen. *xit, Terra diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo uiriditatem: Item, ne Syllueſcat ſarmentis. Sed de his hactenus, nūc ad reliqua pergamus.*

De uerbis poeticis, duris, raris & peregrinis. Diſputatio V.

DE tribus uerborum generibus hac una diſputatione agemus, quod pauciora de his dicenda occurrunt. Et quod attinet ad poetica, poſſet quiſpiam facile exiſtimare, ideo Oratori uerbis poeticis uti licere, quod hi artifices ſint, ut ait Ci-
Li. 3. orat. *cero, finitimi, & ad eorum lectionem, ad latinitatem acquirendam idem nos monuerit, immo non raro uerbis poeticis uſus fuerit. De duris illa occurrit dubitandi ratio, quia ſæpe dura explicanda eſt ſententia, quæ ad decorum retinēdum, uerbis duris exponenda erit. Denique, de peregrinis, eorum uſus omnino uidetur interdictus, cum ſine barbariſmi nota, & abſque uitio obſcuritatis uſurpari in oratione Latina non queant: omnino igitur repudianda erunt. Qui autem & uantus debeat eſſe horum uerborum uſus, quantaque licentia, quibuſdam*

poſi-

poſitionibus aperiemus.

Prima poſitio, uerba poetica dicuntur ea, quæ in uerſu recte uſurpantur, cuiuſmodi ſunt multa epitheta compoſitione nouata: ut, uelinolum mare, aræ thuricremæ, barbigeræ capellæ, & multa alia nomina, & uerba ſimplicia: ut altum, pro mari: olli, pro illi: grator, pro gratias ago: & grates, pro gratias.

Secunda poſitio, uerbis poeticis, & præſertim compoſitis, etiam Oratores utuntur, ſed parcius. Vnde apud Ciceronem inuenitur, tabificus, uaſtificus, triſtificus, ingratificus, flexiloquus, umbrifer, nugiger, anxifer, domiporta, uelificor, lucrifacio, bicorpor, biformatus, & alia nonnulla quę tamen certis ponuntur locis. Debet etiam Orator a phraſibus poeticis abſtinere: proptera non dicet, reddere tumulis honores, pro iuſta facere: oculis perlegere, pro inſpicere: pugnare alicui, pro cum aliquo: facere certum, pro certiorem. Has itaque & alias poeticas phraſes, qui uult oratorie loqui, diligenter uitabit. De duris.

Tertia poſitio, dura uerba ea cenſentur, quę parum apte transferuntur, & longius adſciſcuntur, quæ, inquam, ex tranſlatione duriuſcula proficiſcuntur, ut ſunt iſta, tempora abraſa, pro ſene: conſpuere alpes niue, Li. 1. Sat. 1.
apud Horatium: edet mugitum, pro eius do-

*ſtrina, ſeu fama non erit obſcura: reſp. caſtrata morte Camilli, dure dixit Cato. Ad duræ reuocares uerba, quæ agreſtia & ruſtica uocantur: ut ſunt uerba abſona, inſuauia, & acerba. Hanc uerborum acerbitatem ſæpe parit inflexio in quibuſdam caſibus: ut, cælicolarum, inſaniarum, nummorum, ſobolum, ſpecierum, ſpeciebus, ſpeciei, albedinibus, alboribus, inſaniјs, peculiј, poematibus: et in uerborũ flexione hæc, amaueratis, amaremur, audirere, & quæ plures & uaſtas habent ſyllabas de quorum uerborum genere, uide quæ ſcribit Tullius in Oratore ad Brutum, cuius, hac in parte quidam, ſed immerito religionem ridẽt: quam tamen aliј approbant, qui dura & inuenuſta verba parum libenter audiunt, & animo auribuſque verba perpendunt. Quod autem veteres horridum ſonum fugerint, ex eo patet, quod pro duello, bellum: pro magis velle, malle: pro non velle, nolle: pro medidie, meridie: pro abfer, aufer: pro inſapiente, inſipientem dixere. Eandem ob cauſſam, amaſti, amaße, amarunt, audierunt: ſimiliter, ſteti, nõ ſtaui: dedi, non daui dixerunt. Horum verborum acerbitatem, per ſyncopen, apocopen, ſynæreſim, mutationem, additionemq; tollimus. Ideo dicimus, virum, nummum, pro uirorum & nummorum: ain, metu, die, tribunal, pro, ai*ne,

Cic. li. de orat.

ne, metui, diei, & tribunale: peculi, pro peculij, ſuſtuli, pro abſtuli, & redeo, pro reeo. Elegans igitur & exculta oratio horridas & vaſte biantes voces refugit, vt aurium uoluptati morigeretur. Ex quibus colligeres, quam inepte quidam Grammatici faciant, dum multa nomina in heteroclitis ponunt, quod illis uel alter numerus, uel aliquis caſus deſit; quaſi omnia declinationum & coniugationum membra, quibus antiqui ſcriptores non ſunt uſi, certo numero comprehendi poſſint. Nec propterea, quod illi aliquo caſu alicuius nominis non ſunt uſi, colligere licet, nomen illud altero numero carere: nam dulcedines diceres, non dulcedinibus, in quo nullus eſt gratiæ decor. Ex his autem uerbis, quæ dure inflectuntur, nonnulla ſunt, quorum uſus non eſt omnino interdictus: eorum uero aſperitatem is uitabit, qui loquendi formam mutare nouerit. Cæterum, agreſtia & ruſtica uerba, ad rara poßes reuocare, de quibus nunc dicemus.

Quarta poſitio, rara uerba ea cenſentur, quorũ apud probatos auctores rarus eſt uſus. quibus raro uti licebit, ut ſemper rara maneant. Huc pertinent quæ in aliquo genere, caſu, numero, præterito, ſupino, hac uel illa declinatione, rarius uſurpantur. Quare potius dicetur phœnix, genere uirili, quã fœminino; ſæ-

pius explicaui, quã explicui: potius alitũ, quã altum: rauceſco, quam rauceo. Quod ad peregrina attinet, has ſtatuo poſitiones.

Quincta poſitio peregrina ſunt, quæ ex alijs linguis quam ex latina ſumuntur: quibus ideo utimur, quod ſint Romana ciuitate donata. Huius ordinis *ſunt gaza, pro diuitijs, uox Perſica: phalanx pro quadrata acie, cuneoque militari, Macedonica: eßedum, pro rheda, Germanica, & couinus, Britanica: Caſcus pro uetulo, Sabina: mappa a Poenis, maſtruga a Sardis, & gruppare, pro dorſo equitare a Siculis ſumpta fuere: ab Italiæ populis multa, quæ nunc pro latinis & domeſticis habentur: a Græcis etiam plurima, de quibus mox ſeorſim dicemus.* Huc *referres uerba omnino barbara, quibus nullus prorſus eſt in lingua latina locus. Barbara uox cenſetur ea, quam indecore fuderunt imperiti, non admiſere docti; ut ſunt, tregua, brodium, paſſagium, fagotum, manutenentia, bannitus, locumtenens, guerra, biretum, & alia prope infinita, a materno ſermone accepta: præter illa quorum ui, natura, genere, declinationeque imperitorum uulgus abutitur: ut tenetur, pro debet, cauſo, pro cauſſam affero, febricitor, pro febrim habeo, furauit, pro furatus eſt, & domauit, pro domuit.*

Sex-

Sexta poſitio, ea etiam peregrina dici poſſunt, quæ ſunt cuique arti propria, ſi alieno in loco ponantur. Quædam enim propria ſunt Philoſophorum, quædam Iuriſperitorum, Grammaticorum alia, alia Hiſtoriographorum, alia denique Comicorum, quæ non ſunt paſſim in quouis ſcribendi genere adhibenda. Sed iam de græcis dicamus, quæ in peregrinis ponuntur, ijs exceptis, quibus iam tanquam ſuis utuntur Latini, ut artium, herbarum, morborum, uocabula non pauca. Ex quibus alia integra manſerunt; ut, lampas, eclipſis, periſtroma, eccleſia: alia ſunt deflexa, ut fama, bos, ſus, ſerpo, & multa alia. De græcorum uerborum uſu ita ſtatuendum puto.

Septima poſitio, uerba græca, quæ uſu non ſunt facta latina, uel nunquam uel raro ſunt in Romano ſermone ponenda. Hoc dixerim contra quoſdam, qui uix prima græcæ linguæ elementa norunt, & ut ſe græce ſcire oſtendant, ſine ulla neceſſitate, paſſim græcis utuntur uocabulis.

Primum, quoniam iſti numquam oſtentationis culpam poterunt effugere; cum quæ in medio poſita ſunt, relinquant, et fugitātia proſequantur uerba. Deinde, turpe eſſe uidetur proprium ſermonem, linguam patriæ, & ſuos ciues deſerere, & ad alienos deſciſcere, & ex

terna

terna malle tractare, quam domeſtica. Denique, ſtultus eſt is, qui in patria hoſpes uideri uult, & magis græcis in oratione latina uti, quam Græci latinis utantur in græca. Vt itaque ridiculus eſſet is, qui cum hetruſce loqueretur, uarias populorum uoces in ſuo ſermone miſceret, ita ille, qui ſuę orationi paſſim externa ſine ulla cauſſa inſereret uerba.

Octaua poſitio, his de cauſſis, citra culpã, græcis uocibus uti licebit. Primum, cum pro domeſticis & Latinis habentur; ut ſunt multa quibus in quotidiano ſermone utimur. Deinde, cum uocabulo latino deſtituimur: tunc enim præſtat græce loqui, quam barbare, aut parum latine. Id frequenter accidit in nominandis arboribus, piſcibus, auibus, herbis, medicamentis, partibus humani corporis, inſtrumentis, ſuppellectile, gemmis, & lapillis. Poſtea, cum græca ſunt latinis uenuſtiora, aut ſignificantiora: vt, philautia, apirocalia, monomachia. Ad hæc, ſi quid occultius ſit, quod celatum volumus; ob quam cauſſam ſæpe Tullius ad Atticum ſcribens, græce locutus eſt. Præterea, ſi Græci hominis uerba memoramus. Poſtremo, irriſionis iociue cauſſa, ut aliquando idem Tullius fecit. Et ut huic diſputationi ſit finis, breuiter ad allatas dubitationes reſpondebo.

De

De prima, ſunt quidem Oratores & Poetæ finitimi; ſed tamen in uerborum vſu certis terminis eorum regiones includuntur: liceat ergo interdum, non ſine cauſſa, verbo poetico & præſertim finitimo vti; ſed non omnibus, non temere: ne Orator alia lingua, quam communi, videatur loqui.

Dura verba, quę ſint duriter facta, fugienda ſunt, eo modo, quem explicuimus: cum vero res dura explicanda eſt, utimur quidem uocibus duris, hoc eſt, quę ob literarum, & ſyllabarum qualitatem duritiam quandam habẽt, ſed non illis, quę duriter transferuntur, & ruſticum atque inſuauem ſonum habent.

Quod attinet ad aliam dubitationem de peregrinorum verborum uſu, quid ſit dicendum, iam ſatis patet ex dictis. Atque hactenus de uerbis, quæ uniuerſe loquendo ab oratione latina reijcienda ſunt: nunc de ijs, quę cũ virtute uſurpari poſsũt agamus, & primũ de proprijs.

De verbis proprijs, ſublimibus, & grauibus. Diſputatio VI.

QVI proprie, caſte, copioſeque loqui uoluerit, is uerba ponderare, deligere, ac uariare debet. Verba itaque, ſuo pondere, & veluti quadam ęqui-

tatis

tatis trutina per differentias perpenduntur, & examinantur: examinata, uel tanquam mala reijciuntur, uel ut bona deliguntur: delecta uariantur, uel per ſynonymiam, qua gignitur copia, uel uerborum ſimplicium per tropos, aut coniunctorum per ſtructuram & contextum orationis uarium; vel rerum, quarum ubertatem, digreſſio, diuiſio, enumeratio, & nonnulla alia, de quibus ſuo dicetur loco, afferunt: uel per homonymiam, qua dicendi ſplendor potiſſimum eluceſcit. Examinantur uerba, ſi eorum perpendatur proprietas, hoc modo, Annuere, eſt concedere, innuere, aliquid nutu ſignificare: agnati, a patre, cognati a matre dicuntur: bellum dicitur diſcordię tempus, prælium ipſe conflictus: confiteri eſt neceſſitatis, profiteri uoluntatis: circum, ad tempus, circa ad locum, circiter ad numerum refertur: dignitas in uiro, uenuſtas in muliere: diſſimulamus quę ſunt, ſimulamus quę non ſunt: ægritudo animi, ęgrotatio corporis: exemplar, ex quo ſimile facimus, exemplum quod facimus: fungi eſt agere, defungi peragere: fortitudo eſt animi, robur corporis: inimicus, priuatus, hoſtis publicus. Sed non eſt huius loci omnium uerborum uim expendere: quod faciendum eſt, demonſtraſſe ſufficiat.

Ex uerbis ponderatis reijciuntur quę obſcœ-

ma, quę obſoleta, & dura cenſentur, & alia nonnulla, de quibus ſupra ſcripſimus: deligun tur quædam uerba & non eorum nomina; ut aduerſor, & non aduerſitas: alloquor, & non allocutio, ſed cōpellatio: ardeo, non arſus, ſed deflagratus: nomina, & non uerba, beneuolē-tia, & nō beneuolo: irritū facio, non irrito: uer ba, et nomina ſimul, ſed nō eorū ſynonima; ut amplifico, et amplificatio, nō augmēto, & aug mentatio: execror, & execratio, non blaſphe-mo, & blaſplemia: ſubſtantiua, & non adie-ctiua, ut ars, non artificialis: miraculum, non miraculoſum: impetus, non impetuoſus: cauſ-ſa, non cauſsalis: adiectiua, non ſubſtantiua, ut albus, non albedo: diuerſus, non diuerſitas: continuus, non continuitas: ſimplicia, non cō poſita, ut abundo non ſuperabundo: tego, non detego: uiuo, non conuiuo: uerſor, non conuer ſor: compoſita, non ſimplicia; ut exulcero, non ulcero: coaceſcere, non aceſcere, coa-ceruare, non aceruare, coarctare non ar-ctare: compoſitorum alia, alia minime; ut ad-ſcribo, non infraſcribo: expleo, non adimpleo: reſpondeo non correſpondeo: ſuffoco, non præ-foco: græca, & non latina, adynator, non im poſſibile, categoria, non prædicamentum: quæ dam aduerbia, & non alia, ut emendate, non correcte: proxime, non immediate, quatenus,

non

non inquantum:præcipue,non particulariter, intelligenter,non dociliter. Quod ad uarietatem,ubertatem, & exornationem uerborum attinet, nihil eſt cur aliquid nunc dicamus, cum omnia, quæ deinceps dicturi ſumus, ad orationis conformationem & copiam referantur.

Quid igitur bene dicere uolenti faciendum ſit,breuiter docuimus: quo autem modo efficere poſſit,deinceps docebimus. Cum ergo de uerbis ſimplicibus reijciendis, ſupra egerimus; nunc de ijs quæ in oratione poni poſſunt,agendum nobis eſt: quorum alia propria, alia aliena,ſiue tranſlata dicũtur:de illis prius, de his poſterius dicetur. Verbis proprijs uti oportere negaret nemo: quorum tamen,ut omnes dicendi Magiſtri docẽt, aliquis debet eſſe delectus, ut oratio concinnitatem, concentum, honeſtatemque habeat.

Et quoniam nullus poteſt fieri delectus,niſi rerum eligendarum uis atque forma animaduertatur, ideo dicendi artifices quædam notarunt uerborum genera, quæ alijs præferenda uidentur:ut ſunt,conſonãtiora, grauiora, nitidiora,& leuiora:quæ Cicero obſeruanda putauit: addidit Quinctilianus, honeſtiora, quæ ſub nitidis contineri diceres. Alij uero his non contenti plura numerarunt; quod, ni ad

ne-

neceſſitatem, ſaltem ad perſpicuitatem facit. Sunt autem iſta, propria, aſſumpta, ſublimia, humilia, grauia, leuia, ſonantia, exilia, grandia, parua, tarda, uolubilia, lenia, aſpera, integra, & corrupta. Omittimus hoc loco ea, de quibus iam egimus, ut ſunt, pudica, obſcœna, nitida, ſordida, uſitata, inuſitata, latina, barbara, urbana, agreſtia, uetera & noua. Vbi illud adnotauerim, in contrarijs uerborum generibus interdum aliquid interiectum inueniri: ut inter grande & paruum, et inter uolubile, & tardum. De illis ergo enumeratis uerborũ formis, nunc aliquid præcipiendum eſt.

Quod uero ad uerba propria attinet, dubitari ſolet, an una ſit eorum ratio: Quinctilianus Li. 8. c. 2. *enim octo fecit propriorum genera, cuius doctrina non placet omnibus.*

Primo igitur ex Fabij ſententia id dicitur proprium, quod primo id ſignificat, ad quod ſignificandum fuit impoſitum.

Secundo id, unde cætera ducta ſunt, cũ plura ſunt eiuſdẽ nominis, ut, uertex, aquarum, a quo ſumma capitis, & quod eſt in montibus eminentiſſimum, uertex dicitur.

Tertio, cum res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium: ut carmen funebre, proprie, Nęnia.

Quarto, cum nomen quod eſt alijs commu-

ne intellectu alicui rei peculiariter tribuitur: ut cum Vrbis nomine, Romam intelligimus.

Quincto, id quod, ut proprie dictum laudari ſolet, id nimirum quo nihil inueniri poſſit ſignificantius: ut cum Cato dixit, C. Cæſarem ad euertendam remp. ſobrium acceſſiße: Virgilius, deductum carmen: Horatius acrem tibiam, quo referuntur epitheta proprie alicui rei attributa: ut dulce muſtum.

Sexto, quæ bene tranſlata ſunt, propria dici ſolent.

Septimo, cum quæ ſunt in quoque pręcipua proprij locum accipiunt: ut, Fabius inter plures imperatorias uirtutes, Cunctator eſt appellatus.

Octauo, cum uerba plus ſignificant, quam eloquũtur, quem modum emphaſim nuncupat, & a perſpicuitate ad ornatum reijcit, quamuis intellectum adiuuet. In quibus modis enumerandis non conſentiunt ij qui eos referunt: nec omnes eos approbant. Nam aliqui ſeptẽ
Streb. *numerant modos, poſthabito octauo, & tertium cum quarto confundunt: diſtinguunt tamen quinctum de proprietate quæ ſpectatur in epithetis: & ſecundũ, tertiũ, quinctũ, de proprijs epithetis, & ſeptimũ genus tanquam maxime proprium approbant. Alij uero, unicam*
Ram. Maz. *proprietatis rationem faciunt, uidelicet primam.*

mam. Nos quid de uerborum proprietate ſentiēdum ſit, uarijs poſitionibus aperiemus.

Prima poſitio, propria verba ſunt certa quaſi vocabula rerum, pene nata cum rebus ipſis. Certa dicuntur, quod ſint ad certam rem ſignificandam deſtinata: pene nata cum rebus non quod re vera vna cum rebus verba naſcantur, vt Cratylus, & Heraclitus exiſtimarunt; ſed quod uſu omnium tam longo recepta ſunt, vt nata cum rebus ipſis uideantur.

Secunda poſitio, uerborum propriorum unica eſt ratio, & unicum genus. Non approbamus itaque una cum uiris doctis, illam Fabij enumerationem. Nam ſecundus modus non differt a primo, cum quoduis uocabulum aliquid proprie ſignificet, & ad aliquid aliud ſignificandum per figuram traducatur: tertius, ut quibuſdam placet, ad ſynecdochen reuocatur, uel ad aliquem alium tropum, ut alij uolunt: quartus, & ſextus, ſunt manifeſte tropi quidam: quinctus & ſeptimus, ſi non ſunt tropi, ſub primo continentur.

Tertia poſitio, qui multis de rebus plane, di lucide, & uſitate agere uult, is proprijs uerbis abundare debet. Alias enim multa ſine ulla uitrute traducet, inuſitata et barbara facile uſurpabit, circumlocutione cum non eſt opus vtetur, & quod vno verbo plane dici debet,

pluribus obſcure exponet: communibus utetur nominibus, & hominem totum armatum dicet, pro cataphracto: & denique compoſita inſolentia innouabit. Qui ergo proprium natiuumque ſermonem ignorant, aut fugiunt, in obſcuritatem, in peregrinam & prodigioſam linguæ impuritatem incidunt.

Quarta poſitio, in ſermonis proprietate non mediocris eſt gloria; ita ut ſermo proprius nullo modo ſit deſpiciendus, nec is qui proprie loquitur, in poſtremis habendus. Primum, quia ſermo proprius primam orationis uirtutem, hoc eſt perſpicuitatem retinet: & ſi non eſt ſemper fortior ac illuſtrior, eſt tamen uerior & uſitatior. Deinde, huius rei præſtantiã auget difficultas, cum pauci reperiantur, qui proprie & uſitate locuti fuerint: cum id diuturni ſit laboris, & eius qui multa legerit, nouerit, obſeruauerit. Poſtremo, ut aliquis de ſua ſupellectili, magis quam de aliena gloriari poſſet; ita maior quædam gloria in propriorum verborum uſu, quam in alienis uidetur eſſe. Quare, uerbum proprium maximę curæ ſit, nec unquam mutetur, niſi alienum ſignificantius, aut elegantius ſuccedat.

Quincta poſitio, proprie loquendi facultas his modis comparari poterit. Primum multa legenda, & rerum, tum communia, tum

pro-

propria nomina notanda & ponderanda ſunt. Deinde, ſi res non unam habet appellationẽ, ea eſt deligenda, quæ eſt magis uſitata, & rem melius pingit; & ita magis dicendum eſt ueſtis, quam indumentum; herba, quam germen: auis, quam ales, confirmat, quam roborat, & pugnauit, quam conflixit. Magis itaque formarum, quam generum nomina ſunt eligenda. Poſtea, qui de uerborum proprietatibus ſcripſerunt, & proprios latini ſermonis modos, uerborumque uim examinarunt, conſulendi ſunt.

Verum, ut nemo poteſt ſatis recte latine loqui, qui ſolos Grammaticorum canones tenet; ita nec omni ex parte uſitate loquetur, qui ea ſolum leget, quæ nonnulli quibuſdam libellis de linguæ latinæ proprietate ſcripſerunt, niſi quotidiana bonorum ſcriptorum lectio, obſeruatio, & ſtylus accedant: tum quia una cum uerbis res etiam ipſæ diſcuntur, quas qui ignorat, de eis proprie loqui non poterit; tum etiam quod melius memoria hærent: ut omittam, quod melius eorum uſus notatur. Errant igitur, qui quaſdam tantum loquendi formas, ab aliis quibuſdam libellis collectas, lectitant, & ipſis fontibus relictis, riuulos conſectantur. Sic tamen proprietas eſt amanda, ut non ſemper utendum ſit proprijs, non ſolum

quando propria deſunt, ut cum dicimus, lapidat glebis, equitat in arundine, ſed etiam cum uitantur humilia, obſoleta, & parum illuſtria. Et ut in ſimplicibus, ita in collocatis & coniunctis ſeruare proprietatem oportet. Melius enim diceres, copias dimiſit, quam ſuos milites: re frumentaria nunc laboramus, quam uictu: aciem inſtruxit, non ordinauit: commiſit prælium, nō fecit: inire gratiam, non facere amicitiam. Iter facere & habere, non uiam: exponere milites in terram, non educere e naui: ſignum dare, non facere: expediti milites, non milites ſine ſarcinis. Quare, non ſolum in latinitate peccant, qui proprijs, aut non latinis utuntur uerbis, ſed etiam, qui contra bonos auctores ea coniungunt, quæ coniungenda non ſunt: in quo qui aliquando non errent, paucos inuenies: hoc enim longam requirit obſeruationem, diligentiam, & in ſcribendo exercitationem. Neque id mirum uideri debet, quod quis uerbis utatur latinis, & tamen ſi male ea connectat, non latine loquatur: cum iјſdem coloribus, pictorum alij bene pingant, alij uero, quod eos male collocent, peruerſe. Sed de his hactenus: ad ſublimia uerba pergamus.

Sexta poſitio, uerba ſublimia ea dicuntur, quæ dignitate & amplitudine ſplendeſcunt,

&

& quæ res ſublimes deſignant: Vt ſunt, Deorum, & ſacrarum rerũ nomina, tum propria, tum communia: ut Deus, numen, conditor, moderator, Iuppiter, Minerua, Mercurius; quibus deorum appellationibus, etiam Chriſtiani utuntur, dum pro pane, Cererem: pro fato Parcas: pro arte Mineruam: & pro eloquentia Mercurium dicunt. Nomina uirorũ illuſtrium, gentium, populorum, regnorum, montium, urbium, fluminum, de inſignibus intellige: quæ heroici præſertim poetæ colligũt, & ſuis operibus, quaſi ſtellas, affigunt. Nomina uirtutum & effectuum illuſtrium, qui ex eis proficiſcuntur: ſcientiarum, partium inſignium animi, & humani corporis: ſplendidi ueſtitus, & ornamentorum, colorumque: armorum, nauium, ædificiorum, magiſtratuum, animalium nobilium; rerum, uel pretio, uel quantitate maximarum; ut cœlum, ſol, fulmen, aurum, ſimulachrũ: & denique, quæ agere, aut pati aliquid ſignificant, quod uel natura, uel hominum opinione præclarum eſt; ut moderari, uiuere, florere, contemplari, ſacrificare. Aliena quoque & modificata interdum ſublimiora uidentur, quod rariora ſint, & minus uſitata. Aßumuntur, tranſlatione, ut ſcopulus, pro periculo: ſynecdoche, ut ferrum pro gladio: Metonymia cœlum, pro dijs:

Antonomaſia, latinus Poeta, pro Virgilio: Periphraſi, ars bene dicendi, pro rhetorica; & Hyperbole, ut tonabat, pro uehementer orabat. Antiqua etiam vt & propria nonnihil dignitatis & magnificentiæ habent, ut ſupra docuimus. Atque ex his facile eſt cognoſcere quæ uerba ſint humilia.

Septima poſitio, uerba humilia ea cenſentur, quæ nullam habent dignitatis auctoritatem; cum ſint quaſi humi deiecta, & ad infimam conditionem redacta: ut ſunt iſta, capella, caſa, caſeus, myrice, ſtipula, feſtuca, & id genus alia, quę in gracili oratione, ut eſt bucolica, & ſatyrica adhibentur. Minus tamen vileſcunt communia, quam propria: ut p ſtor, quam agaſo, & bubulcus: opifex, quã coriarius: nux, quam caſtanea: ueſtis, quam penula: quod ſint uſitatoria, & in omnium ore uerſentur. Et quamuis verborum humilitas potiſſimum ex rebus ipſis metienda ſit; tamen aliquando etiam ex hominnm opinione æſtimatur.

Octaua poſitio; inter ſublimia & humilia uerba ſunt quædam intermedia, nec humilia natura, nec ſublimia; quibus in omni genere orationis utimur: ut in nominibus, homo, fœmina, cura, res: in uerbis, eſt, ſtat, mouetur: in pronominibus, hic, meus, noſter:

in

in aduerbijs, heri, cras, forte, & alia horum ſimilia.

Nona poſitio, uerba ſublimia in ſublimi materia, & magnifico dicendi genere ponuntur: & ideo heroici Poetæ, & Oratores illis utuntur: humilia uero in humili re explicanda adhibentur: ut in rebus iocoſis, in fabulis, mimis, bucolicis, ſatyris, amatorijs carminibus, & in colloquijs infimorum hominum: non autem in panegyricis, in hiſtoria, in graui epiſtola, in ſuaſionibus, & in cauſſis forenſibus, niſi forte cum res, aut perſona attenuanda eſt: docti nanque ſcriptores pro rerum uarietate ſtylum dicendi mutant. Neque, ut illud obiter adnotauerim, omnes ſententiæ, in quibus uerba ſunt humilia, humiles cenſendæ ſunt, & contra. Hæc enim non eſt pro humili habenda, Publian.

Etiã capillus vnus vmbrã habet ſuã.

quamuis verbis conſtet humilibus. Ex quibus colligere licet, cur heroici Poetæ, cum de rebus loquũtur humilibus, uerbis non utantur humilibus, ea ſcilicet de cauſſa, ut dicendi humilitatem fugiant. Ideo Virgilius, non panem, ſed Cererem, dona laboratæ Cereris, & exiguam Cererem dixit: & pro ollis, littore ahena locant: dant manibus lymphas, non aquas: famulas exercet penſo, pro nere iubet. Li. 1. Aen.

Humilia itaque ſcriptores graues, cum oportet, ſplendide dicunt.

Decima poſitio, ſublimis oratio non fit vno tantum ſublimi verbo, ſed humilium fuga, pluribus frequentatis, grauibus ſententijs, aptaque uerborum compoſitione. Alias enim etiam indoctum uulgus, ſublimia uerba uſurpando, quæ ſane quotidiano ſermone uſurpat, magnifice loqueretur: non igitur ex unguibus tantum æſtimatur leo. Sequuntur grauia & leuia, de quibus non vna & eadem eſt ſententia. Nam, alij ea uerba grauia eſſe dicunt, quæ grauius ſonant; ut contrucidare, quam necare: optimus, quam bonus: alij ea uocant grauiora, quæ magis uni, quam alij congruunt, pro cuiuſque perſonæ decoro: alia nanque ſeni, alia puero conueniunt: ille diceret, perrectaui, hic curſitaui: ſed hoc potius ad decorum pertinet. Alij denique aliter exponunt: de quibus ita nos ſtatuimus.

Verep.

Vndecima poſitio, uerba grauia a rerum graui pondere, & ab intellectu ſignificantiore dicuntur: ita ut dicantur grauia, ſignificatione robuſtiora, & uehementiora: itaque graue hoc loco ſignificat, acre, urgens, inſtans, ſignificatione & pondere cumulatum; leue contra. Vt flagitium, ſcelus, parricidium,

Streb.

ſata-

ſatagere, deperire, depopulari, pertimeſcere, quæ ſimpliciter dicta grauia cenſentur. Verum in ſynonymis multo melius grauium & leuium differentia deprehenditur. Grauior eſt caritas, quam amor: procella, quam uentus: anguſtus, quam breuis: grandæuus, quã ſenex: moles, quam magnitudo: fraus, quam dolus: imber, quam pluuia: efflagito, quam peto: & quatio, quam moueo. In gradibus etiam apertum cernitur diſcrimen: ut ſi dicas, doctus, doctior, doctiſſimus. Epitheta quoque ſine comparatione pondus & incrementum habent: ut, cum dicimus, mirifica laus, latus campus, ſingularis uirtus, grauis offenſio, ſcitus adoleſcens. Quare, cum in ſimplici uoce non eſt ea grauitas, quam exprimere uolumus, ad epitheta, & tropos confugimus. Sunt enim interdum tranſlata uerba grauiora, quam propria; & ideo dicimus, ardor, pro cupiditate: ignis, pro amore: ardere, pro amare: euolare, pro abire: & teterrimus, pro crudeliſſimo. Et per Metonymiam, abiecit Muſas, Martem fugit, humeris Italiæ reportatus: per Synecdochem, Fabios, Lelios, Camillos grauiter dicimus: per Allegoriam, incendium meum ruina extinguam, ideſt inimicos tollam: per Periphraſim, Romanæ conditor arcis, pro Romulo: Cæli qui ſidera torques,

Leg. Cic. ſex. act. in ver. Ne ego, &c.

ques,

ques pro Deo: per Antonomaſiã, Latinus orator, pro Cicerone: Denique per Auxeſin, ideſt per amplificationem. Cum itaque rem uehemẽter exprimere uolumus, uerborum multitudinem adhibemus.

Duodecima poſitio, uerba grauia non ſunt eadem cum ſublimibus. Nam in grauibus eſt pondus, in ſublimibus dignitas: grauia uehementius ſignificant, ſublimia magnificentius, & latius: ſublimia non turpitudinem, ut interdum grauia, ſed ſplendorem habent. Verũ, idem uerbum interdum, & graue, & ſublime dici poteſt: ut ſi eloquentiã, diuinã eſſe dicas.

Decimatertia poſitio, uerbum graue in omnibus orationis partibus poni poteſt, & ibi maxime, ubi amplificamus, & augemus: ſuo enim pondere rem dilatat.

Decimaquarta poſitio, uerba leuia ſunt, quæ parum ponderis, & minimum neruorum habent, quæ his modis deprehenduntur: Correctione, ut non tam literas dedicit, quam deguſtauit: comparatione, is imbelles, ille fortiſſimos uicit: frigida affirmatione, non malus magiſter, non improbus homo: diminutione, ſaltare, non modo ſcelus, ſed ne uitium quidem: quãtitate, anguſti animi eſt amare diuitias, exiguus ager, parua domus: pretio, unius aſſis: opinione, Iudæus, ſiue Cretenſis eſt: attenuatione,

ho-

homunc.o,epiſtolium: immutatione, non orator,ſed arator: ironia, bonus ille uir: denique ſua natura,ut,iocoſum,ridiculum. In ſumma, cognitis grauibus,cognoſcuntur leuia,quorum tot ſunt genera, quot illorum. In his etiã quædam uerba media notantur: ut, fons, ueſter, lego, forte, apud, &c. quæ tamen ex genere orationis aggrauant, uel ſubleuant.

De verbis ſonantibus, grandibus, volubilibus,aſperis, integris, & horum contrarijs. Diſputatio VII.

V*ERBORVM diſtinctio ac ratio, partim ex rebus ipſis partim ex eorundem ſono ſumitur. Hactenus de illis egimus, quorum differentiæ ex rebus ſumuntur: nunc inſequitur,ut de illis agamus, quæ ex literis & ſono diſcrimen ſortiuntur. Et primum de ſonantibus & exilibus, ex quibus oratio iucunda, & triſtis nominatur.*

Prima poſitio, uerba ſonantiora ſunt ea, quæ pulchrum quendam auribus cõcentum exhibent, uel literarum uocalium quas locutionis matres appellant Hebræi, conſonantiumque pleniore ſono, uel certe ſpatio & tempore ſyl-

ques pro Deo: per Antonomaſiã, Latinus orator, pro Cicerone: Denique per Auxeſin, ideſt per amplificationem. Cum itaque rem uehemẽter exprimere uolumus, uerborum multitudinem adhibemus.

Duodecima poſitio, uerba grauia non ſunt eadem cum ſublimibus. Nam in grauibus eſt pondus, in ſublimibus dignitas: grauia uehementius ſignificant, ſublimia magnificentius, & latius: ſublimia non turpitudinem, ut interdum grauia, ſed ſplendorem habent. Verũ, idem uerbum interdum, & graue, & ſublime dici poteſt: ut ſi eloquentiã, diuinã eſſe dicas.

Decimatertia poſitio, uerbum graue in omnibus orationis partibus poni poteſt, & ibi maxime, ubi amplificamus, & augemus: ſuo enim pondere rem dilatat.

Decimaquarta poſitio, uerba leuia ſunt, quæ parum ponderis, & minimum neruorum habent, quæ his modis deprehenduntur: Correctione, ut non tam literas dedicit, quam deguſtauit: comparatione, is imbelles, ille fortiſſimos uicit: frigida affirmatione, non malus magiſter, non improbus homo: diminutione, ſaltare, non modo ſcelus, ſed ne uitium quidem: quãtitate, anguſti animi eſt amare diuitias, exiguus ager, parua domus: pretio, unius aſſis: opinione, Iudæus, ſiue Cretenſis eſt: attenuatione,

ho-

homunc:o, epiſtolium: immutatione, non orator, ſed arator: ironia, bonus ille uir: denique ſua natura, ut, iocoſum, ridiculum. In ſumma, cognitis grauibus, cognoſcuntur leuia, quorum tot ſunt genera, quot illorum. In his etiã quædam uerba media notantur: ut, fons, ueſter, lego, forte, apud, &c. quæ tamen ex genere orationis aggrauant, uel ſubleuant.

De verbis ſonantibus, grandibus, volubilibus, aſperis, integris, & horum contrarijs. Diſputatio VII.

VERBORVM *diſtinctio ac ratio, partim ex rebus ipſis partim ex eorundem ſono ſumitur. Hactenus de illis egimus, quorum differentiæ ex rebus ſumuntur: nunc inſequitur, ut de illis agamus, quæ ex literis & ſono diſcrimen ſortiuntur. Et primum de ſonantibus & exilibus, ex quibus oratio iucunda, & triſtis nominatur.*

Prima poſitio, uerba ſonantiora ſunt ea, quæ pulchrum quendam auribus cõcentum exhibent, uel literarum uocalium quas locutionis matres appellant Hebræi, conſonantiumque pleniore ſono, uel certe ſpatio & tempore

ſyl-

ſyllabarum. Ex quinque autem elementis quæ per ſe ſonant, A, & O, uaſte ſonant, I & V, exiliter, E, tenuiter: de quorũ ſingulis aliquid dicemus.

Secunda poſitio, A, omnes alias uocales ſoni magnitudine ſuperat: ideo qui grande aliquid uolunt exprimere, eam frequentant: monoſyllaba uerba dilatat; ut, at, mas, mars, iam: ſed magis diſyllaba; vt arca, grata, atra, amat, ſaltat: multo magis triſyllaba; vt, arcana, amara, parabam: & quadriſyllaba; vt adamabat. Verum, non ſolum huius literę frequentatione, ſed etiam numero ſyllabarum augetur ſonus; & cum duæ, aut tres adſunt conſonantes, aut diphthongus: vt, trabs, ſtragula, augeo, claudo. Multũ etiam ſonant verba, quæ alijs conſtant uocalibus, modo hæc primo, poſtremo, uel medio loco inueniatur: vt, fabulis, ſonare, interea: cõſonantiora ea, in quibus A, frequentatur: vt, arena, iactauit, amarus.

Virg. li. 4. Aen. At regina graui iamdudũ ſaucia cura.
—— At nunc horrentia Martis
Lib. 1. Ama virumque cano.

Commune eſt omnibus uocibus clarius ſonare, ob aſpirationem; ut homo: ob accentũ, ut dato: ob productionem, vt palma: & ob diphthongum, ut fraude.

Ter-

Tertia poſitio, O, eſt quidem litera ampla, ſed anguſtior & obſcurior quam prima. Ideo Virgilius dixit,

Et cæſa iungebant fœdera porca,

& non porco, qui mactari ſolebat; quia obſcurius dixiſſet, vt quidam adnotarunt. Sunt tamen qui affirment etiam porcam ſacrificari ſolere. In monoſyllabis productis, ut in his, uos, nos, ros, flos, & ſimilibus ſonat quidem, ſed magis ſi duæ conſonantes ſequantur; ut, mons, frons, pons. In fine ſurdius auditur; vt, ſto, flo, pro. In vocibus plurium ſyllabarum, viget quidem, ſed poſtremo loco, non ita, vbi aliquando vim habet: ut, flores, colores, corpora, ſapor. Seru. Suet. in uita Claud.

—— Saxo occultabat opaco.

—— In gurgite vaſto.

Cum ergo A, & O, uaſtius ſonent, ſi frequẽtentur, plenam efficient orationem; ut ſi dicas, Totius orbis Monarcha: ego omni officio, ac potius pietate: minus ſonat, Princeps vniuerſi.

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?

Quarta poſitio, E, eſt A, & O, minor, ſed I, & V, maior. Parum ſonat in ſyllaba breui, ter, det, per: vocalior in longa; ut, rex, lex, res, flens: argutior in diphthongo,

æs,

æs, præs, hæc: in coniunctis breuibus effluit; ut, leget, tepet, petere: uiget in productione: excedo, credo, iactetur, Teucer: & ob ſequentes conſonantes; defeſſus, tempeſtas, euerſa. Si frequentetur in oratione, ſummiſſior fertur. Cuncti ad me publice ſæpe uenerunt. Quod ſi A, O, & E, in oratione dominentur, iucunda uarietate conſonant: neque ſunt uaſte agreſtia, neque exiliter effœminata, neque pronuntiatione difficilia ut,

—— Mecumque ſonebit
Romanos rerum dominos gentemque togatam.

Virg. li. 6. Aen.

Quincta poſitio, I, per ſe exilis & tenuis eſt, ſiue in una ſiue in pluribus reperiatur ſyllabis: ut, bis, lis, id, in, finis, tibi, niſi, inimici, imbibit: quæ, etſi ſonos uarios habent, omnes tamen cum alijs vocalibus comparati, ſunt tenues. Quare, hæc litera cum alijs poſita, uocem imminuit, plus minuſue, ſi multa, aut rara ſit: ideo antiqui, olli, pro illi, dicebant: & plenior eſt hæc uox, dominos, quam dominis, & bibat, quam bibit; & uitia, quam uitijs. Huius literæ tenuitatem indicat hic uerſus,

Dic quibus in terris inſcripti nomina regum?

Vbi ergo modulatione eſt opus, huius clemen-

ni frequentia uitanda eſt. Nec multo clarius ſonat Y, græcum, quod ut I, pronuntiatur. Denique, etiamſi fiat conſonans, ut in, iocus, aut geminetur, ut in peior, ſemper acutum quid & imminutum audietur.

Sexta poſitio, V, ſonum habet exiguum & effluentem: ut patet in his, ſæpe laudatis uerbis,

——————Exiguus mus
Sub terris poſuitque domos, atq. hor- Virg.
rea fecit.

V, igitur nihil argutum, & canorum habet, ſiue in una, ſiue in pluribus ponatur ſyllabis: ut ſus, plus, tumulus, exiguus. Ideo quidam populi, pro V, O, uſurpant. Verum conſonantium concurſus uocem per ſe tenuem gracilemq. roborant: ut, rus, rubrum, truncat. Viget etiam cum uocalibus adiungitur; ut uinum, uolo, ſed tamen aliunde: et in fine uerbi; ut manu, metu: interdum uero, interire uidetur: ut, in aqua, lingua, ſuauis. Diximus de uocalibus; nũc de conſonantibus dicamus.

Septima poſitio, ex nouem mutis, B. D. G. uehementius aurem feriunt, quam, P, T, C, quæ tamen aſpiratæ ſonum habent maiorem. K, & Q, ut, C, ſonant. F, cum ſit quaſi craſſa, fortius ſonat. Semiuocales, L, M, N, R, S, X, Z, ſunt mutis ſonantiores: quæ ſępe gemi-

nantur,

nantur; ut, fallo, flamma : & cum ſocijs iunguntur, ut calx, hyems. R, quamuis aſperum, tamen ualidum & acre. M, firmum, L, molle, N, ſiccum & tinniens, S, humidum, X, ſtridulum, T, ſuaue. Conſonantes ualent turba; ut cãtores debili uoce. Interſiſtunt enim & quaſi colluctantur aggregatę: & ſi non dulcem ſonum, maiorem tamen cient: ut patet in his uocibus, aduerſus, affatur, abſtrabo, accreſco. Semiuocales omnes, M excepta, male frequentãtur: ut ſi dicas, Noſtra nauis plena, tandem inanis enatauit. Rara arbor, raros fert fructus. Atq. hæc de literis, quarũ cognitio ad uerborũ genera diſcernẽda eſt omnino neceſſaria.

Octaua poſitio, uerba conſonantiora, cum orationis quæritur amplitudo, meliora cenſenda ſunt, et ideo eligenda. Quoniam iucundius, uehementiuſq; mouẽt ſenſum. In ſynonymis melius ſonat, memora, qnam dic: informare, quam inſtituere: moderator, quam rector: & uociferat, quam clamat. Exilia autem in re tenui & gracili ſuum locum habent. Sed iam de grandibus & paruis dicamus.

Li.3.orat.

Nona poſitio, grandia uerba non ſunt idem cum ſonantibus. Nam hæc ſpectantur in qualitate, illa in quantitate: hæc ſono literarum, illa interuallo numeroque conſtant: de quibus intelligitur illud,

Pro-

Proijcit ampullas, & ſeſquipedalia uerba. Hor. in poet.

In uerbis, duplex notatur quantitas; altera continua, qua maiore uel breuiore mora aliqua ſyllaba pronũtiatur: altera diſcreta, quæ in ſyllabarũ ſpectatur multitudine. Grandia itaque uerba erunt, quæ, aut temporum longitudine, aut ſyllabarũ multitudine, aut utroq; conſtant. Et quoniam magnum & paruum cõparate dicuntur, illud uerbum dicetur grande, quod temporum interuallo, vel ſyllabarum numero alterum verbum ſuperat. Vnde maius eſt, mater quam pater; quod, A, ibi ſit longum, hic breue: & natura, quam ſatura. In longis, longiores ſunt ſyllabæ quæ diphthongos, & quæ plures poſt ſe conſonantes habent: ut, claudes, quam clades: & aſtra, quam ara. Neque ſemper eſt magnum temporibus, quod eſt argutum atque ſonorum: & quædam ſunt exilia, multitudine tamen literarum grandia; ut, inimicitiæ, uitiligines: ob quam multitudinem, uerbi proceritas, non magnitudo, ſed multitudo uocatur. Ariſt. cap. de ſub.

Decima poſitio, grandium & paruorum uerborum tres ſunt ſpecies: alia ſunt grandia uel parua temporum interuallo tantum: alia numero ſyllabarum tantum, alia utroque: parua primo modo ſunt, legitur, fragilis: ſe-

cundo, res, eſt: tertio, uir ſit.

Vndecima poſitio, quia uerborum longitudo ſæpius orationi tarditatem, languorem, uaſtitatem ue & inurbanum ſonum, quam dignitatem affert, uidendum eſt, quo loco longis utare, quibus immiſceas uerbis, et quibus perſonis tribuas. Si temporum ſpatio ſint longa, quodammodo tepeſcent; ut infirmauerũt, dictatores; quorum continuatio eſt fugienda: ſi breuia, euaneſcent; ut, patefacit, relegere: ſi partim longa, partim breuia, multo minore periculo admittentur. Parua fere extenuant orationem: quare non ſunt continuanda. In ſumma, paruis in ſermone tenui, grandibus in grandi frequentius utemur. Sequuntur uolubilia & tarda.

Duodecima poſitio, uerborum tarditas ex ſyllabarum productione, numero, & partium iunctura naſcitur. Vnde ſpondeus, moloſſus, & diſpondeus tarda faciunt uerba: ut moles, maturant, & regnatores. Tarda ergo oratio ea dicitur, quæ omnibus, aut pluribus longis firmatur.

Virg. Aen. x. Durate, & uoſmet rebus ſeruate ſecũdis.

Cõtra uero ea oratio uolubiliter fluit, quæ partium breuitate lenis eſto.

Vir. Ecl. 3. Et fugit ad ſalices, & ſe cupit añ uideri.

Tarda igitur ſunt uerba procera, & polyſyl-

laba,

laba, niſi tota corripiantur; tunc enim rapi uidentur: in quibus tamen quædã deprehenditur tarditas, ut in colubro fugiente, corporis longitudo. Verum, quod uno ſpiritu profertur, celerius fertur, quam quæ diuiſa currunt: ut, uoluerimus, quam, opera mea; quod hic ſint plures conatus: & ſpiritus, ibi uero unus: ſed ibi plus eſt laboris, quia ſpiritus protrahitur, licet minus ſubſiſtat: hic uero non ita, cum labor ſit diuiſus, ut patet in his duabus orationibus, quæ totidem breuibus conſtant. Qualis quiſque futurus ſit, patefaciet initium: Qui fert omnia patienter, leue gerit onus humeris: aptior eſt illa oratio. Quo fit, ut illa commodius in clauſula ponantur. Adhuc tardiora ſunt polyſyllaba producta, quod in eis duplex reperiatur tarditatis cauſſa: ut, uelatarum, antennarum. Quod etiam ex aſpera & biulca coagmentatione ſyllabarum, cum adeſt uocalium concurſio, aut conſonantium aſperarum multitudo, naſcatur tarditas, ex eo patet; quia ſpiritus interſiſtit, & immoratur: ut ſi has uoces conferas, aras, & arctas: attulit, & abſtulit. Contra uero correptę uocales, temperata uerborum dimenſio, atque preſſa & lenis coagmentatio, uolubile genus uerborum faciunt.

Decimatertia poſitio, uerbis tardis utimur cum res graues ponderantur, aut cum languor exprimitur: ut,

Vir. Ecl. 4. Cara Deum ſoboles, magnum Iouis incrementum.

Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit.

Cum ergo alia ſint tarda, alia uolubilia uerba, alio atque alio in genere, alijs atque alijs in locis eis utimur. Curta tamen & unius, uel alterius ſyllabæ uerba, ſi continuentur, ſubſiliunt, nec ſatis uolubiliter feruntur, quo ſit, ut in illis potius leuitatis inconſtantia, quam æquabilis uolubilitas ſit. Sed de his hactenus, ad aſpera & lenia pergamus.

Decimaquarta poſitio, uerborũ alia lenia & ſuauia, alia dura et aſpera: illa iucũda, hęc triſtia ſunt: ex illis genus dicendi ſuaue conficitur, ex his horridum et ſeuerũ: quorũ qualitas ex literarũ naſcitur qualitate. Vocales omnes ſuapte natura ſunt ſuaues: uerum ex earũ concurſu fit interdũ aſperitas & hiatus. Sępe leniter concurrunt; ut, mei, mea, pio, perieram, melius quam periueram: at durius ſonãt, meæ, manui, pij. E, & I, ſibi male inſidunt, ſed cæteris uocalibus præpoſitę, non diſſonant, quod etiam dicas de V. Dura ſunt, A A, A E, A I, & A O: O, quoque dure pręponitur,

Nic. Bies: lib. 1. c. 7.

tur, A, E, I, V, ideo Græci & Latini contractione in quibuſdam utuntur, ut aſperitatem fugiant. Nec tamen omnia concidunt, cum uocalium concurſus, ut Cicero ait, molle quid dam habeat, & non ingratam indicet negligentiam: & quædam durius dicta, uſu molleſcant. Quidam, lenia uerba ea eſſe dicunt, in quibus E, & I, repetuntur: ut eximius, egre gius, regius, puerilia: ſicuti, nitida, ea in qui bus L, & V, frequentantur: ut, ſplendidius, lu culentius, ſublime, humile. Conſonantium duplicatio in ultimis ſyllabis ſubdurior eſt; ut barbara, deſiderat: ſed M, & S, ut minus duræ excipiuntur: mamma, memor, ſuſurro. Græci tamen S, literæ ſibilum oderunt: quam nonnulli a ſuis ſcriptis reijciendam putarunt, quod eam pro aſperrima habeant. R, omnes alias aſperitate & triſtitia uincit: ut frugife ra, & ſerta, arua. In principio & fine ſonat acerbius, in medio dulcius; ubi geminata ſtridet; & ideo Græci aſpiratione, alterum R, leniunt: ut Pyrrhus: iratis & bellicum canentibus congrua eſt. In uerſu ideo ſæpe col locatur, quod modulationi carminis robur addat. In ora.

——Facilis deſcenſus auerni,
Sed reuocare gradus ſuperaſq. euadere
ad auras,

Hoc opus, hic labor eſt.

Et in ſuaui dicendi genere modice uſurpata non diſplicet: ut, ex eius ore melle dulcior flue bat oratio. Si conſonantibus pręmittatur, aut poſtponatur, arſperior fit ſonus, quod in omnium conſonantium geminatione accidit: ut, trax, ultrix, ſiniſtrorſum. X quoque durum & ingratum ſonum auribus affert: ut, lex, mox, faxit. Suauiſſimæ ſunt, L, M, P, S, Z, & V, Quæ autem aſpere cum alijs iugantur, & aures, & iungendi ratio oſtendunt. Vnde N, ante B, P, M, in M, mutatur, quod in his locis hæc ſit ſuauis, illa abſona. Ob eandem cauſsã in compoſitione mutatur in L, colligo: in R, corrado: in O, cooperio. Idem dicas de B, D, in aufero, accedo, & alijs, & de quibuſdam præpoſitionibus, quæ in compoſitionem ueniunt; ut ſunt, di, dis, trans. N, ante, C, D, Q, S, T, non inſuauiter auditur, ancilla, cõdo, inquiro: in fine tinnit: titã, Solon: & Latini multa per O, finiunt, quæ Græci per N, ut Leo, draco. C, P, T, quia tenues ſunt, & quaſi ſiccæ, aliquando aſpirationem recipiũt: ut, pulcher, triumphus, Cethegus. C, ante L, claſſicum ſonat: ut clamor, clades, claudo. Nec magnã affinitatẽ habet cum ſiccis, N, R. Vnde, Gneum pro Cneo, amurga, pro amurca dicitur, ut Gaius pro Caio. Reſtãt uerba integra et corrupta.

De-

Decimaquincta poſitio, integra uerba ea dicuntur, quibus nihil eſt detractum, additum, mutatumue. Quibus ſemper utendum eſt, niſi aliud aures, uſuſue ſuadeant. Alias enim ſi quo modo corrupta uteremur dictione, in barbariſmi uitium incideremus. Verum Poetæ interdum liberius ſine uitio detrahunt, addunt, & mutant, parcius Oratores, qui numeris ſolutioribus utuntur, non tamen ubique in corrupta ponunt. Dicunt enim amaſſe, hoſce, fabrum, ſcripſere, uincla, apageſis, pro apage ſi uis, & id genus alia, in quibus uſurpandis conſuetudo eſt attendenda, auriumque iudiciū; quod in omnibus uerborum generibus, quæ a uocum differentijs ſumuntur, plurimum ualet. Et hæc ſunt quæ de horum uerborum uſu adnotaſſe uolui. Antequam autem huic diſputationi finem facio, quędam dubitationes mihi ſoluendæ ſunt. Ci.in ora.

Prima dubitatio, Fabius optimus dicendi magiſter de uerbis proprijs loquens, in eis nullam uirtutem eſſe dixit: Quod ſi nulla in eis eſt uirtus, qui poſſunt ſublimia cenſeri? quod nos affirmauimus. Verū, de ea uirtute Fabius loquitur, quam præſtant figuræ. Quod uel ex eo patet, quia in antiquis, quæ propria ſunt, dignitatem quandam agnoſcit: & uerbum improprium in uitioſis ponit: propria igitur in Lib.8.

bonis ponenda. Et ſi ex humilibus, ut idem docet; quædam ſunt propria: cur ex proprijs, quæ res magnificas & ſpecioſas ſignificant, non erunt ſublimia?

Secunda, multo plura numerantur uerborum genera, quam quæ a nobis explicata sũt, ut uerba elegantia, uenuſta, pulchra, iucunda, bona, lecta, poetica, oratoria, & multa alia, his contraria, & nos plura genera fecimus, quam Tullius fecerit: uel igitur noſtra doctrina deficit, uel abundat. Verba illa quæ numerata ſunt, nomine magis, quam re differunt, et ea ſunt quæ ſignificatione demulcent animũ, uel ſono, ut grauia, ſublimia, & ſonantia, & ſub ijs continentur, quæ receẽſuimus. Poetica & oratoria eadem ſunt, uniuerſe loquendo, niſi quod quibuſdam liberius utuntur Poetæ, quam Oratores, ut tranſlatis, & patronymicis, ſed hæc oratoribus inimica ſunt, & de poeticis ſupra nonnihil diximus. Quod ad Ciceronis doctrinam attinet, primum de omnibus generibus, quæ nos expoſuimus, aliquando meminit; & per illa quæ ipſe priuatim recenſuit, alia ſubintelligi uoluit. Et hæc ſunt quæ de uerborum ſimplicium & propriorum doctrina in quorũ ſelectu prima uerſatur Elocutionis tractatio, dicere habuimus: quibus ea continẽtur omnia, quæ alij & fuſius, & fortaſſe obſcurius

rius diſputant, quæ nos magis per modum doctrinæ, quam oratorie tradēda duximus, cum alia eſſe debeat docendi, alia dicendi ratio. Nunc de ea agemus Elocutionis parte, quæ uocis elegantiam & ornatum coloremque ſpectat: qua de re prima diſputatione nos acturos eſſe polliciti ſumus, ut poſtea de uerborum & ſententiarum ornatu latiſſime diſputare poſſimus.

De uocis ornatu, ſiue elegantia, Diſputatio VIII.

IN *prima huius libri diſputatione, de Elocutionis partibus agentes, quandam attulimus rationem, qua non ſolum in uerbis, ſed etiam in uocis ſono ornatum quendam ſpectandum eſſe probare nitebamur: quod ſi uerum eſt, Elocutio in duas partes diuidenda eſſet, ut una ſit in uerbis, altera in uocum ſono. Et quoniam hæc res non paruam dubitationem habet, ideo priuata diſputatione eam examinandam duximus. Quod autem nulla in uoce ſit agnoſcenda elegantia, ſiue ornatus, his poſſet rationibus confirmari. Primum, communi omnium Rhetorum opinione; cum nemo hactenus extiterit, qui de uocis elegātia ornatu ue aliquid*

ſcriptis

ſcriptis commẽdauerit: quare temere fingitur. Deinde, ſi quæ in uocis ſono cernitur elegãtia, ea non eſt diſtincta a pronuntiatione, quæ eſt quincta eloquentiæ pars: nihil igitur eſt neceſſe, ut aliam elocutionis formam fingamus: Denique, Elocutionis definitiones ſolum conueniunt elegantiæ uerborum; quare uel nullus erit in uoce ornatus, uel ſi erit, ad elocutionis doctrinam non pertinebit. In hac diſputatione duas adnotare poſſumus opiniones. Nam omnes fortaſſe Rhetores exiſtimarent nullam in uoce elegantiam, ſaltem a pronuntiatione diſtinctam, agnoſcendam eſſe. At uero, ſi quiſpiam rationem ipſam, nec nõ etiam Ciceronis doctrinam diligenter animaduerteret, nõ temere omnino, ornatum quendam poneret a pronuntiatione diuerſum. Vt autem quid probabiliter hac in re dici posſit, explicetur, unum uel alterum iacio fundamentum. Primum fundamentum, in uoce eius, qui oratorie, hoc eſt ſuauiter & urbane dicturus ſit, ornatum, ac bonitatem quandam eſſe debere, prudens negaret nemo: ſed illud certe dubitari poteſt, an id quod eſt in uoce dignitatis & ornamenti potius ad actionem, de qua alio ſcribetur libro, quam ad Elocutionem, qua de nunc agitur, pertineat; et an ſit aliquid ab actione diſtinctum, de quo priuata tradantur præcepta: Quod ſa-

ne

ne quiſpiam, modo rem accuratius cogitaret, non temere affirmaret. Dicendum itaque eſt, in Oratoris uoce debere eſſe quandam elegantiam incorruptam, ſuauem, qua latina uerba eo efferantur modo, quo olim Romani, & Vrbani efferebant, quæ elegantia in peregrinis et ruſticis hominibus non erat. Verum hæc eloquendi ratio, ad noſtra uſque tempora integra non peruenit. Quo fit, ut quod ad uocem attinet, non latine eloquamur, licet uerbis utamur Latinis. Illi, quorum temporibus florebat Latinitas, ita loquebantur, ut longas ſyllabas a breuibus diſtinguerent, caſum a caſu diſcernerent, diphthongorum ſonum, a ſimplicium uocalium ſono diuerſum eſſe oſtenderent, perfectam accentus, & aſpirationis uim rationemque retinerent; & denique omnem barbariem & peregrinitatem a natiuo ſermone remouerent: ita ut in eorum ſermone nihil inſuaue, nihil ruſticum, nihil peregrinum, & barbarum exaudiretur nihil, ut in eorum loquela, qui Vrbani non erant, exaudiebatur: qui licet latinis uterentur uerbis: tamen in eloquendo quiddã inurbanum & ruſticum reſonabant. Oratoria igitur elocutio, non ſolum puritatem & candorem requirit in uerbis, ſed etiam in uoce quendam urbanitatis colorem efflagitat. Quod ſi In Brut. *una cum Bruto quæras, quinam ſit iſte urbanitatis*

tatis color? Neſcio, dicet Tullius, tantum eſſe quendam ſcio. Id, tu Brute intelliges, cum in Galliam ueneris: audies tu quidem etiam uerba quædam non trita Romæ: ſed hæc mutari dediſcique poßunt: illud maius, quod in uocibus noſtrorum Oratorum recinit quiddam & reſonat urbanius. Et de Q. Granio præcone, cum T. Tinca Placentino, homine facetiſſimo, dicacitate certante, idem Tullius refert, eum neſcio quo ſapore uernaculo obruere ſolitum fuiſſe. Verum, ex Ciceronis doctrina, ſequenti fundamento, quid ſit iſta uocis elegantia, & urbanitas, quam in latina elocutione agnoſcere oportere docemus, aliquo pacto explicare nitemur. Secundum fundamentum, ad hũc itaque modum Vrbanitatem deſcriberes, Vrbanitas eſt quædam certa uox Romani generis Vrbiſq; propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poſſit, nihil ſonare, aut olere peregrinum: quod ſi loco illorum uerborum, Romani generis, dicas, Cuiuſq; urbis, urbanitatem uniuerſe deſcriberes. Quæ, in ſumma, nihil eſt aliud, quam certa cuiuſcũque ciuitatis loquendi ratio, & ſermonis nota. Vnaquaque enim urbs, populus ue ſuam habet urbanitatem, & idiotiſmum. Quod ſi diuerſarum ciuitatum urbanitates inter ſe conferas, una alia melior, peiorue dici poterit.

Li. 3. orat.

Optima

Optima olim apud Græcos fuit Attica, apud Italos, Romana: ut nunc in materno ſermone Hetruſca, quæ tamen nonnihil habet, quod nõ omnibus placet. Hãc urbanitatem, ut Tullius adnotauit, melius mulieres incorruptam ſeruant, quod multorum ſermonis ſint expertes, & ea ſemper teneant, quæ primo didicerunt: quippe quod nihil magis patrium ſermonem immutat, quam diuerſorum populorum uſus. Quod ſi quiſpiam hic de me quærat, qua ratione hæc uocis elegantia comparanda ſit, dicerem ſcripto non facile doceri poſſe, ſed uoce: & cum nunc aliqua ex parte ſit corrupta, qui eam plene docere queat, inuenitur nemo: ac proinde opus eſſet, ut aliquis Cicero, ad hanc lucem rediret, qui loquendo nos perfectam latinitatem doceret: dicam tamen aliquid infra ex Ciceronis ſcriptis. His ergo adnotatis, quid de tota hac controuerſia tenendum ſit, quibuſdam poſitionibus ſanciamus.

Prima poſitio, oratoria elocutio non ſolum in uerborum & ſententiarum genere, ſiue ornatu, ſed etiam in quadam uocis elegantia, & urbana ſuauitate conſiſtit. Hãc poſitionẽ, quam nemo non admitteret, nullis rationibus confirmabo: ſed ea, quæ diximus, & quæ deinceps dicturi ſumus, ſatis ueram eſſe demõſtrabunt. Et ſane, cum non tam is, qui eleganter

ſcri-

ſcribit, quam qui eleganter loquitur: ab eloquẽdo, eloquens nominetur, profecto in elocutione non ſolum uerborum genus, ſed etiam uocis elegantia ſpectanda erit: cuius qui ſunt expertes, latina dicere fortaſſe poterunt, ſed non latine & urbane.

Secunda poſitio, antiqua Romani ſermonis urbanitas, apud nullas nationes, quę latina utuntur lingua, eſt integra, ſed ubique aliqua parte corrupta, minus tamen apud Italos, quam apud alias nationes. Quod ſit aliqua parte corrupta, res eſt certiſſima, & patet ex ijs, quę in primo diximus fundamento: immo etiam olim extra urbem, ſuam integritatem non retinebat; ut ex locis ex Tullio citatis plane intelligitur. Quod autem minus apud nos ſit uitiata, probari poſſet, ſi quis externarum nationum in uerbis latinis pronuntiandis, errores animaduerteret; qua de re nolumus in pręſentia ſine neceſſitate multa ſcribere, cum res ſit ex ſe ſatis manifeſta. Multa Galli, multa Hiſpani, multa Luſitani, uel corrupte, uel ſine ulla urbanitatis gratia pronuntiant: Itali quoque in quibuſdam peccant; pręſertim certis in locis, & ij quia malis pręceptoribus inſtituuntur.

Tertia poſitio, quamuis uocis elegantia,

&

& latina urbanitas explicatu ſit difficilis, & ſine uoce non ſatis bene doceri queat: tamen, ex M. Tullij uerbis, quæ nunc ſubijciam, aliquo pacto eam adumbrare licet. Nolo, inquit Tullius, de urbanitate loquẽs, exprimi literas putidius, nolo obſcurari negligentius: nolo uerba exiliter exanimata exire: nolo inflata & quaſi anhelata grauius. Non de uoce ea dico, quæ ſunt actionis, ſed hoc, quod mihi cum ſermone quaſi coniunctum uidetur. Quibus uerbis ea expoſuiße diceres, in quibus hunc ſermonis leporem poſitum eſſe inſinuauit, nimirum in moderatione linguæ, ſpiritus, & uocis. Etenim moderatione linguæ fit, ne quid putide, aut obſcure dicatur; cum literæ, nec ſupra modum, nec parum ſonant: ſpiritus menſura efficitur, ut nihil exiliter, nihil inflate efferatur: dum nimia intenſio & remiſſio ſpiritus uitatur: in quo, ut Quinctilianus ait, non raro peccatur. Denique, moderatione ſoni uocis tonorum & accentuum recta ratio ſeruatur. Lingua ergo non ſit præceps, tarda, blæſa, implicata: nec ſpiritus remiſſior, aut uehementior: nec ſonus exilis, abſonus, uaſtus, & agreſtis, ſed lepore, & ſuauitate conditus. Ex harum itaque rerum temperatione fit, ut quædam certa uox exaudiatur Romani generis propria,

Li.3.orat.

Lib.1.c.5.

in qua, ut dicebamus, nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poſſit: nihil ſonare, aut olere peregrinum. Hanc elegantiam retinent & conſeruant, qui non aſpère, non uaſte, non ruſtice, non hiulce, ſed preſſe, æquabiliter, & leniter loquuntur: qui ipſo uocis ſono recto, & ſimplici ita utuntur, ut nihil oſtentationis, nihil imitationis uideantur afferre: qui buccas non inflat, ut grauius, non contrahit, ut exilius, non diducit, ut uaſtius ſonet: qui in loquendo aſpirationis & accentus rationem habet: qui nullius literæ, aut ſyllabæ, dictioniſue ſonum corrumpit, ſed ijs inſtrumentis apte, & concinne omnia effert, ut nec detractione, nec additione, nec commutatione, nec tranſpoſitione, nec diuiſione, nec complexione, nec aſpiratione, nec extenſione, nec contractione, ullum barbariſmum loquendo committit: de quibus uitijs in extrema huius libri parte planius dicetur: Nam qui his in rebus peccat, nec pure, nec latine loquitur. Omnibus itaque remotis a uocis ſono & locutione uitijs, erit, ut Fabius ait, illa ορθοέπεια, ideſt recta dictio, ſeu emendata cum ſuauitate uocum explanatio.

Quarta poſitio, ſi quis eam, quam in uocibus ponimus elegantiam, a pronuntiationis ratione diſtinctam eſſe diceret, nihil fortaſſe peccaret:

peccaret: ita ut aliud ſit vrbane eloqui, aliud vero recte agere ac pronuntiare. Primum id confirmatur auctoritate Ciceronis grauiſſima, qui hæc duo inter ſe diſtinguit, & de ambobus ſeorſim agit. Nam in tertio de Oratore ſermone prius diſputauit de latinitate, ſiue urbanitate vocis, poſtea in fine libri de actione egit. Rurſus hanc veritatem his verbis haud obſcure ſignificauit, cum de latinitate agens, dixit, Non de voce ea dico, quæ ſunt actionis, ſed hoc quod mihi cum ſermone quaſi coniunctum videtur. Quinctilianus etiam de vrbanitate, hoc eſt de recto uocum ſono, & de latinitate, de qua hic diſputamus, primo ſuarum inſtitutionum libro egit, de actione uero alibi. Lib.9.c.3. *Deinde, Cicero hanc vocis & uerborum latinitatem doctrina puerili tradēdam eſſe docuit: quare duplicem latinitatem facit: alteram de qua ſupra diſputatione ſecuda egimus: alteram de qua nunc verba facimus. Ideo aliquando dixit, Atque, vt latine loquamur, non ſolum uidendum eſt ut uerba efferamus ea, quę nemo iure reprehendat: & ea ſic, & caſibus, & temporibus, & genere & numero conſeruemus, ut nec quid perturbatum, ac diſcrepans, aut præpoſterum ſit (quæ uerba ad primam latinitatem referenda ſunt, vt ſequentia ad alteram) ſed*

etiam lingua & ſpiritus, & uocis ſonus, eſt ipſe moderandus. Huius latinitatis formam, & uerbis & exemplis eodem loco exponit, cum ait, Nolo exprimi literas putidius, & quæ apud ipſum ſequuntur: lege luculentum huc pertinentem locum. Præterea, uocis elegantia a pronuntiandi, ſiue agendi ratione eſſe diſtinctam, ex eo probares, quod uocis ornatus ſolum ipſa uerba ſpectat, nulla rerum ſignificatarum, nulla permouendorum animorum ratione habita: at uero pronuntiationis doctrina, quo pacto uerba & totius corporis geſtus cum rebus ad delectandum & permouendum accommodanda ſint, exponit: Elocutio uocis ornatum demonſtrat, pronuntiatio eiuſdem uſum conſiderat. Præterea pronuntiandi doctrina eſt eadem apud omnes, urbanitas uero non eadem: de illa multa dicuntur, de hac fere nihil: illa remanſit, & conſeruata eſt, hæc uero bona ex parte corrupta: illa ubique reperiri poterat, hæc in urbe potiſſimum: illa in ſolis Oratoribus, hæc etiam in idiotis & fœminis reperiebatur. Hæc itaque & alia inter latinitatem, & pronuntiationem diſcrimina aſſignares.

Li.3.orat.

Vltima poſitio, a primis vſque annis hanc vocis elegantiam pueri docendi eſſent: quæ tamen conſuetudine loquendi augeri,

ri, & in arte dicendi perfecte tradi deberet. De qua re vide Fabium libro primo capite quincto. Quanta cura hæc præceptio ſeruari deberet, ij norunt, quibus pueri male hac in re a principio eruditi, aliquando inſtituendi fuerunt: quorum contractam barbariem & inurbanitatem, quantacunque vtantur diligentia, abſterget nemo. Sed de his hactenus: nunc ad allatas rationes reſpondeamus.

Ad primam, dicerem in primis Ciceronem Rhetorum principem, atque etiam Fabium de hac re mentionem feciſſe; de qua alij ideo fortaſſe non ſcripſerunt, quod pauca dicenda forent, aut quia a pronuntiandi doctrina non eſſe diſtinguendam putarunt.

Ad ſecundam, quid dicendum ſit, patet ex quarta poſitione, propterea nihil ſpeciatim dicam.

Ad tertiam, concedimus Elocutionis definitiones ſolum uerborum elegantiæ conuenire: quia hanc ſolam partem tanquam præcipuam, de qua plura tradenda erant, Rhetores definiuere. Atque hæc pauca de uocis ornatu diſputaſſe ſufficiat: nunc latiſſimum de uerborum & ſententiarum elegantia campum ingrediamur.

De figurarum atque troporum natura. Diſputatio IX.

QVAE de uerbis proprijs in ſecunda huius libri parte nobis dicenda erant, ea breuiter expoſuimus: nunc, iuxta propoſitam methodum, de alienis, ſiue mutatis, figuratiſque, in quibus Tropi primum locum obtinent agendum eſt. Et quoniam figuræ, tropique ſpecies plane cognoſci nequeũt, ſi quid ſit figura, & tropus ignoretur, propterea hac diſputatione, utriuſque naturam & partes exponere conabimur.

Vt autem dubitandi rationes, quæ nobis in hac controuerſia occurrunt, melius percipiantur, quid ſit figura, quid tropus, ex aliorum ſententia prius docebimus: Figuram, uniuerſe ſumptam, hunc in modum deſcribũt, Figura eſt quædam dicendi forma arte nouata: adunt aliqui, a communi conſuetudine remota. Vel hoc modo, Figura eſt quædam a recta & ſimplici loquendi ratione, cum aliqua uirtute deflexio. In eo itaque figuræ ratio ſita eſſe uidetur, ut cum aliqua dicendi uirtute & gratia, a recto & conſueto loquendi ſcribendique genere nonnihil deflectat. Quinc. li. 9. c. 1.

Tro-

Tropum uero, ita deſcripſit Fabius, Tropus eſt uerbi, uel ſermonis a propria ſignificatione in aliam cum uirtute mutatio, hoc eſt, cum ſplendore, ſiue abſque errore. Alij hoc pacto, Eſt dictionis mutatio ab eo loco in quo propria eſt, in eum in quo propria deeſt. Alij hunc in modum, Tropus eſt dictio tranſlata a propria ſignificatione ad impropriam ob ſimilitudinẽ, ornatus & neceſſitatis cauſa. Vt ſi ridere transferatur ad prata, lætũ ad ſegetes, et ignis ad amorem. Tropus ergo in quadã mutatione, et migratione, tranſlationeq; cõſiſtit: cuius duas faciunt ſpecies; quarum altera in uno uerbo conſiſtit, ut in allatis patet exemplis: altera in pluribus, et in integra oratione, ut ſi dicas, Hirundines domo pellito, hoc eſt, adulatores uita. Simplicium troporum Fabius, quem multi ſequuntur, duodecim facit ſpecies, Metaphoram, Synecdochen, Metonymiam, Antonomaſiam, Onomatopœiam, Catachreſim, Metalepſim, Epitheton, Allegoriam, Periphraſin, Hyperbaton, & Hyperbolen.

Verum contra ea, quæ ex communi Rhetorum doctrina attulimus, hunc in modum diſputares. Primum contra definitionem figuræ, id facere uidetur, quod nullum ſit figuræ genus, quo in ſermone quotidiano ho-

mines idiotæ & ruſtici naturali inſtinctu non utantur, ut quiuis facile obſeruaret: quomodo igitur uerum eſt illud, figuram eſſe dicendi modum a communi loquendi conſuetudine remotum? & ſi naturæ ui ita loquuntur, quo pacto uere dicitur, nouata dicendi forma?

Deinde, Cicerone auctore, cæteris omnibus approbantibus, illud commendatur orationis genus. quod a communi loquendi conſuetudine non abhorret, quod ex uerbis proprijs conficitur: nulla igitur erit in figurata locutione laus, nulla in figuris conficiendis ars, gratia & uirtus nulla.

Præterea, nihil quod in uitijs ponitur, in uirtutibus collocari poteſt: at multæ, quas numerant, figuræ in uitijs ponendæ ſunt, ut Ironia, Repetitio, Hyperbole, & Metaplaſmi fere omnes: carent ergo figuræ, ſaltem aliquæ, ſplendore, & gratia, ac proinde male in uerbis ſelectis & ornatis numerantur.

Adhæc, contra tropi definitiones, illa quam fabricauit Fabius, dupliciter peccat: primum, quia tropus eſt figura quædam: at Lib.9.c.1. figura non eſt mutatio, ſed locutio, ſiue dictio, ideo alibi dixit, eſſe dictionem tranſlatam ab eo loco in quo propria eſt, ad eum in quo non eſt propria: male ergo in genere mutationis reponit tropum: deinde nullus tropus conſi-

ſtit

ſtit in pluribus uerbis, ſed in unica tantum dictione: quare non fuit neceſſe addere, Vel ſermonis.

Iam uero, ſecunda deſcriptio ob eam cauſſam quibuſdam non placet, quia eſt diminuta; cum non eos contineat tropos, qui ornatus cauſſa fiunt: in quam reprehenſionem etiam tertia incidit, cum non omnes troporum cauſſas explicet, ut eos qui honeſtatis cauſſa fiunt. Atque has rationes attuliſſe ſufficiat: quibus ſtudioſis iuuenibus ad alias excogitandas occaſionem dedimus. Vt autem propoſitam difficultatem plane explicemus, alliſque rationibus ſatisfaciamus, quædam fundamenta ponenda ſunt.

Primum fundamentum, in quo figuræ naturam breuiter explanare nitemur. Quemadmodum fatendum eſt, ineruditos homines omniū figurarum genere aliquando, & aliquo modo in quotidiano ſermone uti; cum uideamus eos omnes tropi modos, ueluti Metaphoras, Metonymias, Ironias, alioſque ac etiam omnē ſchematum uarietatem, repetitiones, interrogationes, exclamationes, & amplificationes paſſim uſurpare; ita etiam omnino concedendum eſt, eoſdem hæc dicendi lumina non uidere, ſine ulla arte ea adhibere, rarius & non ſuis locis et temporibus uſurpare. Improprie enim ſæpenu-

mero transferant; exclamant cum non debẽt, interrogant plus iuſto, et ita his quaſi gemmis utuntur, ut is qui annulum aureum ad ſuis nares appenderet. Quo fit, ut eorum ſermo inornatus uere dicatur, quamuis ijs utantur uerbis quibus ornata & perpolita efficitur oratio. Si cuti inornata diceretur ueſtis, cui ſine ulla arte uarij adſuerentur lapilli. Ex quibus colligeres, figuratam locutionem non dici eam, quæ temere ornata & ſplendida uerba uſurpat, ſed quę cum arte & uirtute, in puro & nitido ſermone illuſtribus, aptiſque utitur uerbis, modiſque dicendi artificioſe præter cõmunem uſum accommodatis, quos natura inornate fundit. Concludamus igitur in eo figuræ uim poſitam eſſe, ut ſit quędam dicendi forma arte nouata, hoc eſt obſeruata, et artificioſe uſurpata. Quã primum in duas ſpecies diuideres: quarum una in uerbis, altera in ſententijs reperitur. Nam, cum oratio uerbis, & ſententijs conſtet, omnis noua & ornata loquendi forma, uel in verbo, vel in ſententia neceſſario inuenietur. Quę in uerbo ſunt figuræ, uel in proprijs, uel in alienis & tranſlatis notantur: hæ, tropi, illæ, ut & omnes ſententiarum figuræ, ſchemata nominantur; ut poſtea ſuis locis perſpicue dicetur. Quę in ſententijs conſiſtunt, vel ſolum orationem exornant & pingunt, uel etiã dilatant & am-

pli-

plificant. Rurſus, figurarum alię ſemper in uirtutibus numerantur, alię interdum quibuſdā in locis pro uitijs habentur. Denique, ut alias diuiſiones & ſubdiuiſiones hic omittam, quas ſuis in locis afferam, figurarum aliæ ſunt Grāmaticæ, quæ in quadam noua conſtruendæ orationis forma conſiſtunt, eaſque Grammatici potiſſimum exponunt, quæ dictionis figuræ ſolent appellari: aliæ oratoriæ; quæ ad ornandū & amplificandum conferunt: alię poeticę, quarum in numero illæ ponūtur, quæ uerſum exornant, & in ſoluta oratione ſunt uitia: uerum Poetę, quibus multa ſunt cum Oratoribus cōmunia, ijs etiam utuntur, quæ ad ornatum oratorium pertinent. Vt antem quæ diximus adhuc melius explicemus, animaduertendum eſt eam proprie appellari orationem, quæ omni uitio caret, & quibuſdam uirtutibus eſt inſignita, ueluti elegantia, emendata nimirum elocutione, perſpicuitate, aptaque compoſitione, qua ſententia elucet, & numeroſe fluit, ornatu qui nihil aliud eſt, quam color quidam, & elegans conformatio, qua digna & uarietate grata redditur oratio; & decoro, quo unaquæque res cōgruenter apteque dicitur. Has uirtutes tollūt, orationemque fœdant uitia his uirtutibus contraria, ut eſt dicendi genus barbarum, & impurum: obſcurum & incompoſitum: inornatum,

cum

cum nulla adeſt uerborum dignitas, nulla uenuſtas, & ſplendor nullus: atque indecorum, ineptumque, ad quæ uitia tollenda, & uirtutes retinendas, uariæ, notatę ſunt figuræ & dicendi modi, quibus ſupra vulgi conſuetudinem ſe extollit oratio. Atque ex his nonnullæ cauſſæ ob quas figuræ notatæ, & artificioſe explicatę fuerunt, colligi poſſunt, quas planius in poſitionibus aperiam, ubi etiam de earum neceſſitate & vtilitate nonnihil dicam.

Secundum fundamentum, in quo de tropi natura paucis diſputabo. Tropus, eſt uox græca, ἀπὸ τοῦ τρέπειν, i. a uertẽdo, dicta latine modus, mos, ratio, uoluntas, ſententia, & mutatio traducitur: ſed in ſubiecta materia, non morem, ut aliqui exiſtimarunt, ſed conuerſionem, commutationem, tranſmigrationem, modum, & ut quidam loquuntur, modificationem ſignificat: & uerba per tropum nouata, mutata, uerſa, & modificata dicuntur. Verũ apud ſacros ſcriptores, tropica locutio, ſiue ſententia, ea dicitur, quæ mores continet, & tropice loqui, eſt mores loquendo exprimere. Quod nos Tropum dicimus, alij Tropen, uoce fœminina, dixere. Quod autem ad tropi definitionem attinet, quas ſupra attulimus deſcriptiones, eas probare licet, ni cum Auguſtino, & meo quidem iudicio melius, ita definire uelles, Tropus eſt lo-

cutionis

entionis modus, aliud ex alio ſignificans: Vel ſi mauis hoc pacto, Tropus eſt uſus vocis a propria re ad alienam ſignificandam cum uirtute tranſlatæ. Vt cum ignis ponitur pro amore, & leo pro homine crudeli, ferrum pro gladio, bonus ille uir, pro improbo, & Romanus uictor, pro Romani victores: in primo exemplo, tranſimus a ſimili ad ſimile, in ſecundo a re uicina ad uicinam, & interdum ad remotam, in tertio a contrario in contrarium, in quarto, a toto ad partes. Ex quibus colligeres quattuor eſſe et nõ plures, ut quibuſdã placet troporũ ſpecies, quam doctrinam infra de ſingulis agendo plane explicabimus. Dicimus eſſe uſum, uel, ſi magis placet, tranſlationem, inflexionemue, uocis, ut deſignemus tropos in ſolis ſimplicibus uerbis eſſe. Dicimus cum uirtute, hoc eſt, cum ſplendore & gratia aliqua, ut in tropo uim generis, hoc eſt figuræ, ponamus. Nec ullas tropi cauſſas in eius definitione expreſſimus; tum ne longior eſſet definitio; tum quia eas ſeorſim explicabimus. Atque hæc adnotaſſe ſufficiat: nunc ad poſitiones accedo.

Prima poſitio, licet figurata locutio ſit a natura; tamen eius recta cognitio & bonus uſus ſunt ab arte; & ad eam eloquentiæ partem pertinent, quæ de Elocutione agit. Eſt hæc poſitio ſatis manifeſta, tum ex primo funda-

mento,

mento, tum ex ijs, quæ alibi de naturali eloquentia agentes docuimus.

Secunda poſitio, figurarum faciendarum cauſſæ fuerunt fere iſtæ.

Prima, fuit neceſſitas, quia ſæpe deſunt uerba ad aliquid explicandum, & ideo ad tropum, & migrationem ab uno in aliud confugiendum fuit: & interdum loquendi forma proprium uerbum non admittit, ut in carminibus ſcribendis uſu uenire ſolet; & quod caput eſt, ſine figurata locutione, quę latent in animo ſententiæ interdum exprimi minime poſſunt.

Secunda, ut auditorum animi facilius per mouerentur: figurata nanque oratio, uiget, mouetur, in aures ingreditur, & ingreſſa mentes afficit, & quoque uult impellit; inornata uero, quia langueſcit, & conſiſtit, nihil horum præſtat.

Tertia, faſtidij tollendi, & animi oblectandi gratia, cum quotidianus ſermo tædium pariat; quod uariata oratione, & nouatis dicendi formis facile remouetur. Et propterea cum quempiam ornatius loquentem audimus, ei aures gratas exhibemus, & mirum in modum florenti oratione oblectamur. Vel cum alijs, figuras ornatus & neceſſitatis cauſſa factas fuiſſe dicas.

Ter-

Tertia poſitio, figurarum cognitio bonarum literarum & artium ſtudioſis eſt omnino utilis ac neceſſaria. Primum, quia ut ante dicebamus, ſine ea, quod uolumus ſignificare, & quod eſt in animo incluſum, enunciare interdum minime poßumus; ut ex ipſarum figurarum explicatione & uſu manifeſtum fiet. Deinde, qui hac notitia caret, is nullum fere ſcriptorum genus recte intelligere, explanare ue poterit: non hiſtorias, non poemata, non epiſtolas, non orationes; & ut illud de diuinis ſcripturis dicam, non diuinorum uatum libros, qui ita tropis & ſchematis abundant, ut nulli alij magis, quod alio opere, Deo fauente, plane demonſtrabo. Ad hæc, qui eſt huius doctrinæ ignarus; nihil apte, nihil uenuſte, nihil eruditis teretibuſque auribus dignum dicet, litteriſue mandabit. Vt hic omittam maximam illam oblectationem, quam legendis alienis ſcriptis, is non percipiet, qui figurarum ornamenta ignorabit: quæ nihil aliud ſunt in oratione, quam teſſeres in parietibus, lapilli in corona, ſtellæ in cælo, & flores in prato. Figurarum itaque ignaris idem accideret, atque ei, qui cęcutientibus clauſiſue oculis in amęniſſimo inambularet prato; qui, cum florum uarietatem non uideat, nullam inambulando

ambulando delectationem capit. Hæ igitur & aliæ multæ utilitates, cum neceſſitate coniunctæ, nos ad figurarum plenam cognitionem excitare, atque commouere deberent.

Quarta poſitio, figuræ uniuerſe ſumptæ, natura ſatis bene explicatur ea definitione, quam ultimo loco attulimus. Cuius definitionis ſententia, partim ex dictis patet, partim ex iis quæ ad argumenta reſpondendo dicemus, notior fiet. Vt igitur rhetorica definitio, admitti poteſt. Neque duas figuræ cauſſas, ornatum ſcilicet & utilitatem addere, ut aliqui faciunt, neceſſarium duxi: ſit igitur figura, Sermo a communi & naturali modo loquendi remotus. Quare, ſi quis quod mente concipit, naturali loquendi forma explicet, nulla erit ibi figura (ſaltem ficta) nec tropus: cum a naturali modo non recedat oratio. At, ſi pro malo, bonum ironice dicas, aut ſi ſermonem rebus inanimis tribuas, & quod uno uerbo poteras, multis explices, tum demũ figura apparebit.

Quincta poſitio, figura uniuerſe ſumpta, breuiter ſic diuidi poteſt: Figurarum alia eſt in ſimplici uerbo, & hic Tropus dicitur: alia in coniunctis, & hæc uocatur ſchema, latine habitus, & geſtus: quæ duplex eſt, altera in ſolis ſpectatur uerbis, altera in ſententiis:

tentijs: illa orationis, hæc ſententiæ figura nominatur. In eo autem Tropus differt a ſchemate, quod in tropo eſt ſemper mutatio ſignificationis alicuius uocis: in ſchemate uero nulla fit ſignificationis mutatio: poteſt tamen fieri mutatio orthographiæ, proſodiæ, inflexionis, contractionis, & locutionis, ut alibi dicetur.

Sexta poſitio, ni placent tropi definitiones ab alijs allatæ, quam tradidit Auguſtinus, uel eam, quam nos adiecimus, approbare poteris. Neque omnino ad tenue limandæ & ad amuſſim examinandæ ſunt Rhetorum definitiones: ut quidam moroſi cenſores faciunt: Quem rurſus hoc modo cum alijs deſcriberes, Tropus eſt vox a proprio ſenſu in alienum deflexa: Vel, ex reſpectu aliquo intelligentię rerum ingenioſa inflexio.

Septima poſitio, ſi tropi uim atque naturam ſpectemus, quattuor tantum, cum quibuſdam, numerabimus troporum partes, ſiue ſpecies. Nam, ibi agnoſcenda eſt tranſlata & immutata dicendi forma ab alijs diuerſa, ubi eſt aliqua mutatio, & uocis deflexio, ab alijs flexionibus diſtincta: atqui id ſolum in Metaphora, Metonymia, Sinecdoche, & Ironia cernitur, ut poſtea, de ſingulis agendo plane demonſtrabitur, & non in alijs

modis,

modis, quos alij tanquam ſpecie diſtinctos numerant: quattuor igitur & non plures erũt tropi partes. In quarum prima a ſimili ad ſimile, uel a comparatis ad comparata tranſitur, ut in Metaphora: in ſecunda a re uicina, ad uicinam, ut a cauſſis ad effectus, ab adiunctis ad ſubiecta, & contra, ut in Metonymia: uel a toto ad partes, & contra, ut in Sinecdoche: uel denique, ab oppoſito ſiue a contrario in contrarium, ut in Ironia. Poſſet etiam alio modo diuidi, ut infra docebo. Vel ſi ſimplicius loqui uelis, duas uniuerſe dicas eſſe tropi rationes, ſimilitudinem, & affinitatem, ob quam unum per alterum intelligitur, propter aliquam quam inter ſe habent affectionem, relationemue: quæ commutationis, & immutationis communi nomine continentur.

Pet. Ram.
Iac. Maz.

Octaua poſitio, Troporum cauſę uniuerſe loquendo, hæ fuerunt. Primum neceſſitas, quia interdum nationum linguæ aliquo deſtituuntur uerbo, & tunc hoc habent refugium, ut aliunde adſciſcant. Deinde utilitas, ut linguarum ſupellex augeretur, creſceretque uerborum copia. Præterea, ornatus & delectatio, cum magnus orationis ſplendor ex tranſlatorum uerborum uſu naſcatur. Denique honeſtas, hoc eſt, ut cum honeſtate dicatur,

tur, quod alias honeſte dici potuiſſet: ut ex ijs, quæ de ſingulis diſſerẽdo dicemus, pſpicuũ fiet.

Nona poſitio, in Tropis ſi dignitatem ſpectemus, principem locum tenet Metaphora, ſecundum Ironia, tertium Metonymia, quartum Synecdoche: at uero ratione uſus, primo loco Metaphora, ſecundo Metonymia, tertio Synedoche, & poſtremo Ironia, ponenda eſt.

Decima poſitio, figurarum uſus debet eſſe moderatus, ita ut ſit ueluti quoddam orationis condimentum: cum uitioſa omnis cenſeatur oratio, in qua nihil ſimpliciter dicitur: Quo uitio Apuleius, & qui eum ſequuntur ſcriptores a melioribus dicendi Magiſtris notantur. Eſt hęc doctrina ſatis per ſe manifeſta, & patet ex ijs, quæ ſupra uniuerſe de ornatu, qui totus fere a figuris ſumitur, docuimus. Quemadmodum igitur in pratis, quorum proſpectu mirifice delectamur, maxima pars eſt gramen, in quo floſculi ſparſim naſcuntur: ita corpus orationis noſtræ magna parte proprijs uerbis, propter perſpicuitatem conſtare debet; & ne ſimplicitas lectorem, auditorem ue offendat, aut minus retineat, ſuis locis cum uarietate floſculi interſerantur oratorij. His igitur uniuerſe de figura, & tropo expoſitis, ad Troporum priuatam explicationem accedamus. Nam quod attinet ad rationes ſuperius

allatas, cum ex iactis fundamentis facile ſolui queant, nihil eſt cur aliquid priuatim reſpondere debeamus.

De Metaphoræ natura, cauſsis, partibus, atque uſu. Diſputatio X.

ETſi multa ſunt, quæ orationem ornant, multaq; ad ornate dicendũ lautiſſima inueniri poſſit ſupellex: tamen, nihil ita humanum ſermonem illuſtrat, nihil oratorem ita commendat, nihil auditorem ita delectat, ut ex rebus ſimilibus, ad res alias aliquo pacto comparabiles exprimendas, uox aliqua idonee translata. Tanta ex hac mentis agitatione nobis a natura inſita, percipitur delectatio, ut non modo translationum auditio, ſed etiam earum inuentio mirum in modum oblectet; & nihil ſeſe tum in eruditorum, tum imperitorum ſermonem frequentius ingerat, quã translata locutio; ob cuius inuentionem multum ſibi placet orator, & ex celeri intelligentiæ motu, auditor. Et ut præſtantiſſimus, maximeq; frequentatus tropus eſt Methaphora; ita etiam maiori cura erit explicandus; quocirca de ea priuatam diſputationẽ inſtituere uoluimus.

luimus. Et ut huius tropi natura melius expendatur, nonnullas dubitationes contra ea, quæ de Metaphora Rhetores tradunt, in medium priore loco afferam.

Primum, nemo eſt qui non dicat, Metaphorę uim poſitam eſſe in ſimilitudine: & translatione: at ſimilitudo eſt quędam orationis figura, quæ latine, Imago, græce, εἰκών dicitur; ac etiam ab una uoce ad aliam ob ſimilitudinem interdum fit translatio; ut ab amante ad amentem, ab oratore ad aratorem: quæ mutatio quandam aliam figuram procreat: Quare qui in ſimilitudine & translatione uim Metaphorę ponunt, eam cum alijs figuris uidentur confundere.

Deinde, aptiſſimæ Metaphoræ ab ijs rebus ſumuntur, quæ nec ſpecie, nec genere ullo conueniunt; ut, ſi pro errore dicas ſcopulum, & pro amore ignem, quę in diuerſis omnino generibus ponuntur: male ergo dicitur, translationes ex ſimilibus rebus ſumendas eſſe.

Præterea, nemo probaret diuiſionem illam Metaphoræ, a rebus ipſis ſumptā, ueluti a rebus animatis, ad animatas, & inanimatas, & contra; cum huiuſmodi diuiſiones a materia ſumptæ poſſint eſſe propemodum infinitæ, quando ex tota rerum natura eas ſumere licet: male igitur conſtituunt omnes fere dicen-

di Magiſtri huius tropi ſpecies. Vt hic omittam eos. qui duas ſolum conſtituunt ſpecies, a duabus tantū cauſſis ſumptas, hoc eſt, ab ornatu & neceſſitate, ob quas inuenta eſt Metaphora, cum plures inueniēdæ Metaphorę cauſſas aſſignare liceat.

In hac diſputatione nullas uolo de rebus explicandis, ſine utilitate, ſcriptorum citare ſententias, aut ulla iacere fundamenta. Quare ad ipſas poſitiones me conferam, quibus omnia quæ de Metaphora notari cum utilitate poſſent, breuiter planeque explicabo. Dicam itaq; de nomine, definitione, diuiſione, cauſſis, inuentione, formatione ue congruentique earum uſu, utilitatibus, atq; pręſtantia: quibus de rebus breuiter quidem agemus, ſed eorum quæ ſunt ſcitu digna nihil omittemus. De Metaphora præter alios, longam digreſſionem fecit in tertium librum Ariſtotelis Italicus paraphraſtes.

Alex. Pic colom.

Prima poſitio, Metaphora, uox eſt græca, ducta a uerbo compoſito metaphero, quod trāſfero, diuerto, traduco ſignificat: Latine, Tranſlatio, & tralatio: unde tralatitia, & tranſlatiua uerba, quæ ab uno loco, ſeu ſignificatione, ad aliam transferuntur.

Secunda poſitio, Metaphora eſt tropus quo uerbum ab una re ad aliam ob ſimilitudinem

dinem transfertur: Vel eſt uocabuli a propria ſignificatione ad non propriam ob aliquã ſimilitudinem migratio. Vel preſſius, eſt breuis ſimilitudo, quę uno uerbo ſignificatur. Vt ſitire pro expetere, uidere, pro intelligere, ſegetes dicuntur lætæ, quod quandam lætitiam præ ſe ferant. Conuenit cum tropo uniuerſe ſumpto, quod ſit quædam mutatio: differt, quod neceſſario ſimilitudinem requirat, quam nõ omnes tropi poſcunt. Quare, in metaphora tria ſpectantur: propria uox, ſeu ſignificatio, res ea ad quam transfertur, & ſimilitudinis ratio. Vnde apte Virgilius una cum Ennio per tranſlationem dixit,

Duo fulmina belli Scipiadas.

Nam, ut in tempeſtate duo fulmina coruſcant, fragorem edunt, terrorem animantibus incutiunt, arbores & turres demoliuntur; ita in bello terribiles fuerunt duo illi Scipiones Romani. Et quemadmodum ſe habent in tempeſtate fulmina; ſic in bello Scipiadæ: item, ut ſimile eſt tempeſtati bellum, ſic fulminibus Scipiones. Erunt ergo duo fulmina belli Scipiadæ. Eadem ratione, ueſperam uitæ, dices ſenium; & contra, ſenium diei ueſperam: nam diem ſequitur ueſpera, ut uitam ſenium. Verum longe tutior eſt ea translatio, quę apparet in epithetis, aut uerbis: ut ac-

cenſus ira, inflammatus cupiditate.

Tertia poſitio Metaphora differt a ſimilitudine, ſeu imagine, quæ eſt ſentẽtiarum figura. Nam quoties duabus rebus diuerſis ſimilia tribuuntur, res ipſas ſimiles eſſe dicimus, quæ eſt imago, ut cum Homerus de Achille dixit, vt leo quidam irruebat: ſimilitudinem fecit: ſed tranſlatio fiet, ſi de eodem Achille dicas, leo ruit: tunc enim rem aliam pro alia accipis, quod eſt Tranſlationis proprium.

Quarta poſitio, ut non omnino neceſſe eſt, uarias translationis ſpecies, ſiue modos facere; ita non eſt omnino inutile, cum id ad maiorem huius tropi notitiam non parum cõferat: poſſes itaque primũ eam hunc in modũ, ut quidam faciunt, diuidere. Translationum, alia fit ex analogia; & hæc per excellentiam uocatur Metaphora; cuius naturam in ſecunda poſitione explicuimus. Alia ex rei ipſius ſimilitudine, per uocabuli abuſionem, ut ſi dicas uites gemmare, litora boare: quæ Catachreſis nominatur. Alia ex dictionis homonymia, cum uerbum ipſum uiam munit ad aliquid intelligendum: ut cum per atrum, quod obſcurum ſignificat, intelligimus profundum, cum profunda ſint obſcura: & hæc, Metalepſis appellatur. Alia denique ex repugnantia, et hæc Antiphraſis uocatur: de quibus omnibus plura, cum

Ant. Lul. li.4. c. 15.

cum de ſingulis agemus. Atque ex his duas alias diuiſiones colligeres: quarum prima diuidit Metaphoram in proximam & in remotam: proxima translatio dicitur, cum a re uicina fit migratio: ut a corpore ad animum: remota, cum ab uno in aliud genus tranſitur: ut ab animali ad non animal; quæ uarijs modis fieri poteſt, ut ſtatim dicam. Altera, uero in translationem reciprocam, & non reciprocã: ea dicitur reciproca, cum ab uno ad aliud Metaphoræ extremum redire licet: ut, gubernator dicitur auriga, & auriga gubernator: altum mare, et cœlum profundum: Non reciproca, cum redire non licet: dicimus ſentire; prouidere, ſed non contra: uertex dicitur de monte, ſed non cacumen de homine. Denique, alia eſt Metaphora illuſtris, propria, idonea & apta: alia uero contra non ita illuſtris, dura, inepta, & uitioſa. Prut. lib. 4.c.6.

Quincta poſitio, Metaphoræ inueniendæ cauſſę fuerunt fere iſtæ. Prima neceſſitas, cũ uerbum proprium deeſt: homo aſper, durus, cũ non occurrant uoces proprię, ad ſignificandas has animi affectiones: & ita ſæpe efficit, ne cui rei nomen deeſſe videatur, ut cum dicitur, agros ſitire, ſegetes eſse lætas, & uites gemmare. Secunda, ut oratio efficeretur ornatior, & feſtiuior, ac proinde, maiore delectatione per- Quinct. lib. 8. c. 2. & 3.

 funderet

ſunderet auditorem: ut cum dicimus, uerborũ ſylua, flumen orationis, argumẽtorum laquei ignorantiæ tenebræ, reip. peſtis: literæ florent, oratio fluit, orationis lumen. Tertia, grauitatis, energiæ, & emphaſis cauſſa, hoc eſt, ut aliquid ſignificantius dicatur: ut, inflammatus ira, pro ualde iratus: ardere cupiditate, pro uehementer deſiderare: ardebat pro uehementer amabat. Quarta, ut res obſcœnæ, & ſordidæ, nitide, & honeſte dicantur: ut patet ex ijs, quæ diſputatione tertia diximus. Quincta, ut per tranſlationem variare & locupletare orationem liceret; cum, quod proprie eſt dictum, poſtea translate enunciatur: ut mire callidus, uulpes eſt: eſto hilaris, exporrige frontem. Et cõtra, interdum ad aliquid breuius dicendum.

Sexta poſitio, Metaphoræ in his orationis partibus fiunt. In nomine ſubſtantiuo, ut lupus, pro uoraci: agnus, pro humili, & teſtudo pro tardo, helluo librorum, Deus agricola & paſtor. In nomine adiectiuo, uel epitheto; ut ferreus, pro inexorabili, fortuna cæca, ſegetes lætæ. In uerbo, parturit arbos, ridet ager, garrit homo ille. In participio, incenſus ira, ſopitos ſuſcitat ignes. Et in aduerbio, dulce loquitur, inſulſe, ſapide dictum.

Septima poſitio, Metaphoræ propinquæ ſumuntur a ſenſu & guſtu corporis ad animum:

& in ſacris literis ſpeciatim ex corporis partibus, animæ partes tranſlate ſignificantur. A uiſu, reſpicere, pro curare: conniuere, pro diſſimulare: ab auditu, audire pro obtemperare: ab olfactu, ſubolere, pro ſuſpectum habere, & tacite reſciſcere: putere, pro diſplicere: a guſtu, guſtare labijs, pro leuiter attingere: ſapere hæreſim, concoquere odium euomere iram: a tactu, ſentire, pro intelligere: complecti, pro amare: refricare cicatricem, animus horret, ſtupet: a geſtu corporis, exporrigere frontem.i. exhilareſcere: corrugare frontem, ideſt moleſte ferre: perfricare frontem.i. pudorem deponere: ponere ſupercilium, hoc eſt modeſte ſe gerere. Huius generis translationibus diuinę ſcatent literæ: in quibus a partibus & actibus humani corporis ſæpiſſime fit translatio, cum de Deo, & interiore homine fit ſermo: ut cum dicitur, Deũ uel animam habere manus, pedes, oculos, ſurgere, uidere, & loqui: quas libro de Interiore homine late expoſuimus.

Octaua poſitio, Metaphoræ remotæ ab his fere rebus ſumuntur. Ab homine ad brutum: ut prudẽs formica, perfida uulpes, canis aſſentator, ingratus lupus: & contra, a bruto ad hominem: ut lupus pro uoraci, latrare pro conuiciari. Ab animali ad non animal; ut iratũ

mare,

mare, geſtiunt parietes, mirantur ſyluę: & contra, a non animali ad animal: cor lapideum, floret ætas, homo florente ætate. Ab animali ad animal: coruus inequitat ſui, apes paſcunt: & contra, a non animali ad non animal: literæ florent, uitia pullulant, uirtutum concentus, concionum fluctus, uoluptas eſca malorum, texere hiſtoriam. In ſumma, ut quidam ſcribunt, ſenſus, & corpus uitæ particeps, duo ſunt potiſſimi metaphoræ fontes, unde multi emanant riuuli. Alij uero omnem translationum uarietatem ad hæc capita reuocant: ut aliæ a rebus diuinis, & cæleſtibus, aliæ ab elementis, alię ab ijs rebus quæ elementis conſtant, ducantur: uel hoc pacto, a rebus diuinis, ab igne, ab aere, ab aqua, a terra, & ab animalibus ratione carentibus. A diuinis eſt illa apud Virgilium

Henr.

Claud. Min. i Tal.

Virg. Eclog. 1.

O Melibęe Deus nobis hęc ocia fecit.

Pro Cæſare, Deum dixit: & Cicero, In qua tu mihi Deus ſemper uideri ſoles: Vide quam ſis in iſto genere Deus: & diuinitatem Oratoris, pro excellenti facultate dixit. Et ut Socrates apud Platonem refert, mos fuit Laconum, ut hominem excellentem diuinum appellarent. Dicitur ergo Deus pro homine benefico: Sol, pro uiro illuſtri; ſtella pro fœmina conſpicua, elementa pro literis: ignis pro amo-

In 2. orat.

In Mem.

re:

re: aura & uentus pro uanitate: mare pro immenſa copia: terram parentem appellamus, & arborem malam, malum hominem.

Nona poſitio, illuſtriores metaphoræ ex ſeptem potiſſimum capitibus ſumi ſolent. Ex nauigatione, habere uentos ſecundos, tenere clauum reip. facere naufragium, mutare uelificationem, emergere e fluctibus, & multæ aliæ. Ab agricultura, ſerere beneficium, ut fructũ metas, parce ſeminare, & parce metere, diſſeminare diſcordias, inijcere petitioni ſecurim, irrigare riuulis orationem, claudere riuulos, exhaurire ærarium. A uenatione, aucupari uerba, irretire laqueis, ineſcare homines, odorari ueſtigia. A re medica, ſanare rempublicam, refricare uulnera, hęrere in uiſceribus, inurere notam. A re equeſtri, laxare habenas, admouere calcaria, excurrere in laudum campo, domare iram, frenare cupiditatem. A re militari, adhibere machinas, triumphare gaudio, deijci de præſidio, cauſſæ arcem inuadere. Ab incendio, & igne, & aqua; ut inuidiæ faces, inflammare animum, extinguere gloriæ lumen, ſplendere uirtutibus, abluere ſordes. Et denique ab omnibus artibus, ut limare, pingere, ſarcire, texere: & rerum humanarum uocabula multum ſplẽdent, cum rebus tribuuntur inanimatis: lana diſcit mentiri

tiri colores, ſidera ſuadent ſomnum, uocat carbaſus auras. Verum, dum capita quædam, ſiue fontes translationum indico, nemo exiſtimet eas ſolum ex certis quibuſdam rebus ſumi, cum ex omnibus duci poſſint: ſiquidem tã late patet Metaphora, quam ſimilitudo, quæ in omnes pene res ſeſe diffundit.

Decima poſitio, ad aptas Metaphoras faciendas, recteque transferendum, hæc fere ſpectanda ſunt. Primo cauendum eſt, ne ſit nimis dura, & deformis; cuiuſmodi hæ eſſe putantur: Conſpuere alpes niue, qua uſus eſt Horatius: caperare, hoc eſt criſpare frontẽ: reſ- Li.2.Sat.5 *publica caſtrata morte Camilli: Quæ durior uidebitur, lenienda erit. Secundo, ne nimis longe petatur, ut non in alienum locũ irruere, ſed potius in ſuum uideatur migrare: ut ſi dicas, ſyrtis patrimonij, melius ſcopulus dixeris, cum magis in promptu ſit ſcopulus, quam ſyrtis: Charybdis bonorum, melius uorago. Tertio, ne maior aut minor ſit, quam oportet, ut ſunt iſtæ: comeſſationis tempeſtas, puer ferreus in ſtudijs; nimiũ puerili ætati tribuitur; at de homine, apte dicitur, adamantius, &* Hier. ad Marc. *chalcẽterus: ſaxea uerruca, hæc nimis rem extenuat, ut Quinctilianus docet: quam tamen aliqui defendunt, ob maximam ſimilitudinẽ,* Maz. *ob quam humilitatis uitium negligitur. Si*

quis

quis autem hoc uitium uitare uult, a Metaphora ad ſimilitudinem confugiat: Vt ecce, non dices ſolem eſſe lucernam ſimpliciter, ſed adde, mundi, ut Danthes dixit. Hanc doctrinam tradidit Demetrius, qui translationem periculoſam in imaginem, ſeu ſimilitudinem, quod poetæ faciunt, conuertendam eſſe dixit: cæterum poetæ interdum humiles ſimilitudines non refugiunt, ut ſunt, quæ ab apibus, formicis, aliiſque abiectis rebus ſumuntur; quas tamen grauibus uerbis tractant. Quarto curandum eſt, ne uerbum translatum ſit anguſtius, quam fuiſſet proprium: Quid te adiri abnutas? melius uetas, aut prohibes. Quincto, ne rebus tribuantur uerba, quæ eis non conueniunt: ut ſi diceres, illotis manibus aggredi: attingere illotis pedibus, inepte dicitur, cum aggredi manibus, & attingere pedib. non conueniat: nec haurire fructus, pro capere dixeris. Sexto, non ſit ſordida, aut obſcoena: ut, arrigere aures apud Terentium, luxuriare ſegetes, Glaucia ſtercus curiæ. Septimo, Non ſit diſſimilis, cum potiſſimum commendetur ob ſimilitudinem: ut ſi diceres, cæli ingentes fornices. Octauo, denique cauendum eſt ne uerbum translatum ſyllabas habeat inſuaues & aſperas: in quod uitium incidit Dionyſius elegiarum ſcriptor, ferreus, uel æneus cognomento

Danth.

In Andr. act. 5. ſce. 4.

mento

mento uocatus, qui aliquando poeſim, ſtridorē Calliopes appellauit: & Flaccus, de Procis Penelopes uerba faciens duriter dixit,

Ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curas.

Suauius dixiſſet, ad ſonitum, uel cantū. Quod ſi rem aſperam & odioſam exprimere uelis, nihil peccabis, ſi uoce aſpere translata uteris: ut bonus fecit Poeta, cum imperitum cantorem notare uoluit, dicendo,

Ecclog. 3. ——Non tu in triuijs indocte ſolebas.
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen.

Vbi quattuor translatis uocibus mirifice ignorantiam cantoris expreſſit: quæ omnes aſperitatem quandam a ſuaui cantu alienam habēt: quod ſi dixiſſet,

Clamāti variū palea diffundere carmē,

totidem tranſlatis uſus fuiſset uocibus, ſed minus ad id quod volebat exprimendum idoneis, cum non tantum aſperitatis habeant. In ſumma, Metaphora ſit appoſita, iucūda, illuſtris, & eiuſmodi, ut ſenſu aliquo, maxime oculorum percipiatur.

Vndecima poſitio multæ ſunt Metaphoræ utilitates quas nunc breuiter recēſebo. Valet ergo Metaphora ad aliquid exprimēdū quod alias enuntiari non poſſet, aut non ita bene: ad

do-

docendum ob perſpicuitatẽ; ad delectandũ ob feſtiuitatem, & ob animi, tum inuenientis, tũ audientis agitationem, quæ ſine uoluptate eſſe nequit: ad animos permouendos, ob energiã & grauitatem: ob uarietatem ad amplificandum & exornandum: & denique ad rem ſordidam, & turpem honeſte exprimendam.

Duodecima poſitio, in Metaphoræ uſu hæc animaduertenda ſunt. Primo non idẽ eſt Poetarum & Oratorum uſus in Metaphoris: illis conceduntur duriores, & interdum nõ multum nitidæ, Oratoribus non item: illi frequentius, hi rarius Metaphorica oratione utuntur: quod cum Plato non obſeruauerit, qui ſæpius metaphoris, quam imagine utitur, id in eo damnauit Demetrius: cui repugnare uidetur Ariſtoteles, qui imagines magis Poetas, quam Oratores decere docuit. Verum de illis imaginibus loquitur Phalereus, quæ breues ſunt, & ſine ullo ornatu ponuntur, in quas lubricæ translationes, ut ſupra diximus, conuertuntur. Secundo, Non eſt ab ea Metaphora recedẽdum, a qua initium ſumpſit oratio, hoc eſt, ſi ſit gratia exempli a fontibus ducta, nõ deſinat in incendium. Tertio, in grauiore dicendi genere, plures & maiores adhibentur Metaphoræ, ut in concionibus, in panegyricis, in tragœdijs, & epicis: at uero in Cic.lib.3. de orat. Fab.lib.8 c.6

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

genere familiari pauciores, et molliores. Quarto, cum aliquam perſonam loquentem facis, ei congruas tribue translationes; ut agricolæ metaphoras a re ruſtica ſumptas, militi a re militari, & nautæ, a re nautica. Quincto, denique ut modicus translationum uſus illuſtrat orationem, ita frequens obſcurat; & auditores tędio afficit, affectationemque omnino ab arte repellendam, manifeſtat: at uero continuus, in Allegoriam & Aenigma exit.

Decimatertia poſitio, Metaphora eſt omnium troporum præſtantiſſimus. Tum quia nullus eſt ſplendidior, nullus frequentior, nullus, ad id quod uolumus, explicandum accommodatior: tum etiam quod aliquot troporum modos ſub ſe continet: ut hic ſummam delectationem, quam ſecum affert, omittam, cuius ſequenti poſitione quaſdam rationes ſubijciam.

Decimaquarta poſitio, cauſſæ ob quas metaphoricus ſermo delectat, hæ fere ſunt. Prima, quia indicat ingenij acumen; non enim ingenioſus is uidetur, qui illis ſolum utitur rebus, quæ ante pedes iacent, cuiuſmodi ſunt uerba propria, ſed is, qui longe petita cum induſtria ſumit: atqui ex ingenij commendatione magna capitur oblectatio. Secunda, qui tranſlationem audit, alio ducitur cogitatione, ad illud uidelicet ex quo ſimilitudo eſt ducta, congruen-

gruentiamq; eius cernit; qui animi celeres in diuerſa motus, ut ſupra dicebam, maximam delectationem afferunt. Tertia, quia humana mens occulta quadam naturæ propenſione ſimilibus oblectatur; ut in pueris patet; qui ex pictis rebus, cum ſimilitudinem percipiũt, delectationem capiunt, ut ſi pictum inſpiciant equum: quare cum metaphora ſimilitudinem neceßario includat, profecto uoluptatem pariet. Poſtremo, quoniam in translationibus & rationis, & ſenſus intercedit uſus, cum ab ijs rebus ſumantur, quæ ſub ſenſum cadunt: ac proinde duplicem delectationem procreat. Illæ itaque potiſſimum translationes animos commouent, quæ ſenſum aliquem afficiunt, & præſertim oculorum, qui eſt omnium acerrimus. Quare, cum dicimus, odor urbanitatis, admouetur translatio ad odoratum, in quem non cadit urbanitas: mollitudo humanitatis ad tactum, murmur maris ad auditũ, & dulcedo orationis ad guſtum: qui loquendi modi rem in conſpectu animi ponunt, quam uidere non poſſumus. Atque hæ rationes de illis ſpeciatim intelligendæ ſunt metaphoris, quæ ornatus, & utilitatis gratia inueniuntur: Illa uero quam inopia excogitauit priuatam ac manifeſtam, cur placere debeat, rationem habet.

Ariſt. in Poet.

K Vlti-

Vltima poſitio, hic tropus ſumitur ab eo loco topico, qui ſimilium comparatio dicitur. Nam ut in eius definitione diximus, metaphoræ natura in quadã ſimilitudinis ratione eſt ſita. Quo autẽ pacto ſimilitudo inueniri poſſit, in quarto de Inuentione libro, capite tertio diximus. His ita poſitis, & confirmatis, quibus quę nobis de hoc tropo dicenda erant, continentur omnia: reſtat, ut ad factas dubitationes reſpondeamus.

Cic.lib.3. orat. *De prima, iam diximus, quid ſimilitudo & metaphora differant: quæ, licet ſine ſimilitudine eſſe nequeat; tamen eſt ab ea longe diuerſa; ſicut etiam traductio illa, quæ ad ſchemata pertinet; ac proinde a ſcriptoribus ſeorſim explicantur.*

De ſecunda, aptę metaphoræ nunquam ſumuntur niſi a rebus, quæ aliquo pacto conueniunt. Nam licet interdum in natura non conueniant, ſatis eſt, ut aliquo accidenti ſint ſimiles; ita ut aliquam analogiam habeant, ut res illæ habent, de quibus in argumentatione facta eſt mentio: idque uerum eſſe ex ijs, quæ diſputata ſunt, planum omnino eſt.

De tertia, fatemur illam diuiſionem eſſe minus bonam, & non omnes metaphoras continere, ut ſupra demonſtrauimus: Concedimus etiam plures, quam duas fuiſſe inueniendæ

dæ metaphoræ cauſſas. Neque, ut alias monuimus, a Magiſtris dicendi, enumerationes, diuiſioneſque ad unguem factæ requirendæ ſunt; cum eis ſatis ſit interdum ſumma rerum capita attingere. Et ſane Ariſtoteles optimus diuidendi artifex, ſub unica metaphora omnes complexus eſt tropos, ut M. Tullius libro de Oratore perfecto. Li. 3. rhet. in poet.

De Metonymia, & Synecdoche. Diſputatio XI.

HAc diſputatione duas complectemur troporum ſpecies, cum & affinitatem quandam habeant, & pauciora, quam quæ de metaphora diximus, de eis dicenda ſint: ac primum quidem de Metonymia: de qua antequam quicquam dico, quaſdam dubitationes in medium afferam.

Prima, cum Metonymia potiſſimum ex cauſſis efficientibus ſumatur, debuit prius tractari, quam metaphora, quæ a loco ignobiliori, ut eſt ſimilium locus, ducitur. Et cur non prius de Synecdoche? ut facit Fabius, cum hæc a loco totius ſumatur, qui prior eſt, cum ſit locus intrinſecus, ut libro primo & ſecundo de Inuentione docuimus.

Secunda, imperfecta eſſe uidetur Metonymię definitio, quā Fabius fecit, & multi, qui de figuris ſcribunt, approbant: quoniam alijs tropis aptari poteſt, quod, ut Tullius ſcripſit, eſt uitium in definiendo maximum. Dicunt enim Metonymiam eſſe nominis alieni, pro proprio nomine poſitionem: quę oratio, alijs etiam tropis quadrat; cum in metaphora, in Synecdoche, & Metalepſi nomen alienum pro proprio ponatur.

Ioan. Suſemb. Clau. Minoe.

Tertia, nec uerum eſſe uidetur, quod multi Fabium ſequentes, affirmant, a ſola cauſſa ſumi: cum, ut uiri docti tradunt, ex alijs etiā locis ſumatur.

Quarta dubitatio, nulla videtur eſſe diſtinctio inter Metonymiam, et Synecdochen, cum in ambabus ex uicino ſumatur nomen, ut ex adiunctis, ex antecedentibus, & conſequentibus. Atque hę ſunt dubitationes, quę nobis in præſentia occurrunt: ad quas explicandas, et ad propoſitæ figuræ naturam enucleandam, has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, hæc figura a Grammaticis gręce Metonymia, Latine, Tranſnominatio, denominatio, nominis tranſmutatio, ſeu pro nomine poſitio dicitur: Rhetores Hypallagen, hoc eſt ſubmutationem uocant, quod per eam, quaſi ſubmutentur nomina; ut cum pro bello, dici-

dicitur Mars, & pro pane, Ceres.

Secunda poſitio, huius figuræ deſcriptio a Fabio tradita, & a multis recepta, non eſt bona. Quoniam re uera, ut ſecunda dubitatione diximus, in alios tropos cadit; id quod nullo modo negari poteſt. Videant igitur, qui artes ſcribunt, ſolum aliena colligendo, quid agant: & nihil temere approbent, ſed quę dicunt, diligenter perpendant, atq; excutiant: uerũ labor nos impedit, aut certe Dialecticę diſciplinę ignoratio; quo fit ut rerum potius collectores, quã iuſti arbitri ſimus. Poſſes igitur, hãc figuram hunc in modum deſcribere, Metonymia eſt tropus ex cauſſis effecta, ex ſubiectis adiuncta, contra ue ſignificãs: & ſi uis addere, copiæ augendæ cauſſa; cum ob hanc rem priuatim inuenta ſit. Hanc deſcriptionem eſſe bonam ea ratione probares, quia ſatis plane per genus, & differentiam, uim huius figurę exponit: ac proinde alijs tropis aptari minime poteſt. In cuius explicatione non immorabor, quando per ſe eſt ſatis manifeſta. Pet. Ram. Audom.

Tertia poſitio, quattuor ſunt Metonymiæ genera, ſi capita, ſiue locos unde ſumitur, animaduertamus: ex cauſſis, ex effectis, ex ſubiectis, & ex adiunctis: Quæ cum ſint inter ſe uicina, merito ſua nomina inter ſe commutant: ut in ſubiectis patet exemplis. Metonymia

cauſſæ efficientis, cum inuentor, & auctor pro ipſis effectis rebus ponitur: ut Ceres, pro frumento, ſiue farina & pane: ſine Cerere & Libero friget Venus, id eſt, ſine cibo & uino, amor friget; allegoria hic eſt: Cicero, pro ſuis ſcriptis; ut, id in Cicerone non legitur. Metonymia cauſſæ materialis eſt,

Hor. lib. epiſt.2. li. 1.

Non domus & fundus, non æris aceruus & auri,
Aegroto domini deducit corpore febres

Aes, & aurum, pro nūmis æneis, & aureis uſurpantur. Metonymia effecti, cum ex effectis efficiens ſignificatur: ut ſpes obſcura, quia reddit incertos: cæca expectatio, quia cæcos, & ignorantes efficit.

Hor. li.1. ode.4.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumque turres.

Pallidum proprie dicitur, quod palleſcit; ſed quia mors mortuum efficit pallidum, ideo dicitur pallida. Hinc tam Oratores, quam Poetæ plurima ſumunt epitheta: ira præceps, hilaris adoleſcentia, ſegne otium, inſolens uictoria. Metonymia ſubiecti, eſt cū nomen propriū rei ſubiectæ ad rem adiunctam ſignificandam ponitur; ut, ſi continens pro re contenta ſumatur. Eſt hic modus frequens, cum locus pro incolis uſurpatur. Teſtis eſt Italia, Gallia.

Cic. pro Marc.

lia.i.Itali, & Galli: In me carcerem effudiſti, ideſt eos qui in carcere erant. Cic. in Pomp.

Inuadunt urbẽ ſomno, uinoq; ſepultã. Aen. 2.

Huc referuntur illa, cum ex poſſeßore res poſſeſſa intelligitur: Vcalegon ardet, id eſt Vcalegonis domus. Eſtque hic modus frequens in proſa. Apud me, id eſt domi meæ: fui apud Pompeium. Sic dicimus, deuorari hominem, cuius patrimonium deuoratur. Metonymia *adiuncti eſt, cum ex adiunctis res ſubiecta ſignificatur. Sic nomina uirtutum, & uitiorum pro bonis & malis uiris, & mult rum aliarum rerum pro perſonis, quibus ſunt adiunctæ ponuntur: Quo modo Cicero luxuriem, crudelitatem, auaritiam, & ſuperbiam, pro luxurioſo, crudeli, auaro, & ſuperbo poſuit. Sic ſignum pro re ſignata: pubes, pro iuuene, toga pro pace, & literis, arma pro bello, & arte bellica: conſilia pacis, & togæ ſocia: Sic adiunctum temporis pro ſubiectis, O tempora o mores, pro perditis, & male moratis ciuibus: Et apud Virgilium,*

Aen. 2. Cic. 3. de orat. Orat. 2. in Catil. Pro M. Marc.

Aſpera tũ poſitis miteſcent ſecula bellis

Aliquando in uno uerbo duplex latet Metonymia*; ut uictoriæ ferocitatem extimeſcere, id eſt uictoriam ferocem, quæ facit uictorem ferocem. Et ut adhuc huius ampliſſimæ figuræ plura ſubyciam exempla: eos modos quos* Aen. 1. Pro. M. Marc.

multi numerare ſolent, qui ſub iam dictis continentur, breuiter recenſebo. Primus, inuentor pro re inuēta, ut Vulcanus pro igne. Secundus, auctor pro ſuo opere: quo referres illum tropum, quo inſtrumentum pro re ipſa ponitur; ut uirga, pro punitione, crux pro afflictione. Tertius, cauſſa efficiens, pro effectu, uel contra, incidit in uim, in inſidias: triſtis ſenectus, frigus pigrum, mœſtus timor. Quartus, dux ſeu Imperator, pro ijs, qui ſub ipſo ſunt: Cæſar uicit Gallos, id eſt eius milites. Quinctus, ſignum pro re ſignata: ut ſceptrum pro regno, gladius pro magiſtratu, crux pro Chriſtianis, Luna pro Turcis. Sextus, continens pro re contenta; calix pro uino, quem modum aliqui ponunt ſub Synecdoche. Septimus, contentum pro re continente; uina coronant; pro uaſis; & poſſeſsor pro re poſseſſa, iuit ad diui Franciſci, de ſene guſtauit, id eſt de eius pecunia. Octauus, facinus pro eo, qui illud perpetrauit; punire peculatum, id eſt peculatorem: ſed hunc modum referres ad tertium. Nonus, cum pro denominato ponitur denominans, uel, ut Dialectici loquuntur, abſtractum pro concreto: ut ſi hominem uocares peſtem, & labem, & æſtimationem, agrū æſtimatum: qui loquendi modus eſt Hebræis familiariſſimus. Decimus, cum aliqua perſo-

na,

na, ut Deus, proceres, populus, & priuatus homo ponitur pro illa ui, ſeu moribus, aut qualitate, quæ illis priuate tribuitur: Vt Cupido pro amore, Minerua pro conſilio & ſapientia, Pluto pro diuitijs, Sardanapalus pro mulieroſo, Cato pro ſeuero, Cicero pro diſerto, Narciſſus pro pulchro, Dædalus pro ingenioſo, Irus pro paupere, Zoilus pro calumniatore, Momus, ſiue Ariſtarchus pro cenſore, Siculus pro acuto, & denique Cretenſis pro mendaci.

Quarta poſitio, in Metonymia hæc obſeruanda ſunt. Primo, ſigna non nimis longe petantur, nec ſint inepta: unde ebrium, non appellares rubeum, nec liuidum pallidum, nec rem inuentam pro inuentore pones, quod tamen faceret Poeta, & quidem raro. Secundo, cum hic tropus, uniuerſe loquendo, magis carminibus, quam orationi ſolutę congruat, Oratori cauendum erit, ne in Poetarum denominationes excurrat; quem diligens bonorum auctorum obſeruatio cautum reddet. Tertio, in hoc tropo uſus animaduertendus eſt, ne in Acyrologiam, id eſt in impropriam locutionem incidamus. Quarto, denominatiuorum uſus liberior eſſe poterit, cum ad augendum, & ornandum maxime conferat.

Quincta poſitio, Metonymia hanc priua-

tam

tam habet utilitatem, & hunc in finem eſt re perta, ut copiam pariat. Quę doctrina manifeſtior eſt, quam ulla probatione indigeat.

Sexta poſitio, conuenienter Metonymia, poſt Metaphoram, & ante Synecdochen ponitur. Primum patet, quia Metaphora eſt illuſtriſſimus omnium tropus, latiuſque patet: & quod caput eſt, tum a ſimilibus, quę ut ſimilia ſunt, idem eſſe cēſentur, ſumatur, mutationem habet paruam, & ad proprietatem magis accedit. Alterum probatur, quia hæc multo latius uagatur, ac etiam longe luculentior eſt, quam Synecdoche.

Septima poſitio, hic tropus, ut ex dictis planum eſt, ex his locis dialecticis ſumitur: a cauſſis, ab effectis, a ſubiectis, et ab adiunctis: quid autem iſta ſint, perſpicue libro tertio de Inuentione expoſuimus. Atque ex his facile allatas dilueres dubitationes.

De prima, quidquid ſit, de dignitate locorum, ex quibus hi tropi ſumuntur; in pręſentia potius attenditur dignitas, quę in ornatu, & uſu oratorio ſpectatur, quam locorum: ac proinde de illis prius agitur, qui magis orationem illuſtrant, & uſum habent maiorem.

De ſecundo, quid ſentiendum ſit de illa deſcriptione, ſupra docuimus: nec ulla neceſſitas nos cogit, ut cuiuſcunque definitionis tu-

telam

telam ſuſcipere debeamus,

De tertio, & quarto quid ſentiendum ſit, ex allatis & probatis poſitionibus manifeſtum eſt, de quibus cum nihil ſit dicendum, alium aggrediamur tropum.

De Synecdoche acturus tres rationes, diſputandi gratia, contra ea quæ de hoc tropo dicuntur, affero. Prima, hic tropus non eſt diſtinguendus a Metaphora, cum & Ariſtoteles, & M. Tullius Ariſtotelem ſecutus, ſub Metaphora eum collocauerit. Sunt, inquit Cicero, finitima illa minus ornata, ſed tamen non ignoranda: ut cum intelligimus ex parte totum; ut cum pro ædificijs parietes, aut tecta dicimus, & quæ apud ipſum ſequuntur, Lib. 3. de orat.

Secunda, contra definitionem quam multi approbant, quæ ita habet, Synecdoche eſt, cum aliud ex alio quocunque modo intelligitur: quibus ſane uerbis, quod ſciens negaret nemo, quicunque tropus comprehenditur, cum in omnibus aliquid aliquo modo intelligatur.

Tertia, falſum eſt id, quod Quinctilianus de hac figura agens, ait, Synecdochen eſſe, cũ aliquod ſubtrahitur uerbum, quod ex cæteris ſatis intelligitur: ut cum Virgilius dixit,

Nouimus, & qui te tranſuerſa tuentibus hircis, Eclog. 3.

ubi ſubintelligitur, uiderunt, uel aliud quippiam;

piam; cũ hic loquendi modus pertineat ad eã figuram grammaticã, quæ Eclipſis uocatur.

Quarta, in eo multi errare cum Quinctiliano uidentur, quod multos hic numerent modos, quorum alij pertinent ad Metonymiam, alij uero non uidentur diſtiguendi. Et ſane exẽplum illud, quod affert ad demonſtrandum, eũ modum, quem appellat, ex antecedentibus, & conſequentibus, non ad figuram aliquam, ſed ad locum topicum eſt referendum. Exemplum ſumptum ex Virgilio eſt hoc.

Eclog. 2. Aſpice, aratra iugo referũt ſuſpẽſa iuuẽci

Quibus uerbis, ex loco adiunctorũ probatur, diẽi horam eſſe tardam: cũ aratores iam ab arando ceſſauerint. Sed alijs rationibus omiſſis, ad huius figuræ uim declarãdam, accedamus.

Prima poſitio; hic tropus græce dicitur Synecdoche, hoc eſt, comprehenſio: Latini Intellectionem uocarunt: ea, ut exiſtimo, de cauſſa, quod per hãc figuram unum per aliud, uel certe aliquid amplius, aut minus, quam dicimus, intelligatur; ut iracundior Adria, pro quouis tempeſtuoſo mari.

Secunda poſitio, ſi allata non placet Synecdoches definitio, hoc pacto definias, Synecdoche eſt tropus, quo ex parte totum, contraue, cum energia ſignificatur. Dixi cum energia; quia illud habet proprium per hunc tropum

mo-

modificata dictio, ut quandam euidentiam, & emphaſim habeat, ut ex ijs, quæ ſubijciam exemplis planum fiet.

Tertia poſitio, Synecdoche eſt tropus diſtinctus a Metaphora, & Metonymia. Manifeſta eſt hæc poſitio ex earum diuerſis definitionibus.

Quarta poſitio, ſi generatim loquamur, unum eſt Intellectionis genus: nempe cum ex parte totum, contraue ſignificatur. Eſt enim, ut Dialectici docent, ſpecies pars generis, & genus ſpeciei totum, idem de numero multitudinis, & ſingulari dicas. Sed doctrinæ gratia poſſes eam ſic diuidere, Synecdoche eſt duplex, una partis, altera totius: illa duplex, una membri, altera ſpeciei: hæc etiam duplex, altera integri, altera generis: integrum uocatur id, quod ex mole, aut quaſi mole conſtat, ut domus, & corpus humanum, cuius pars dicitur membrum. Synecdoche membri eſt, cum ex membro integrum ſignificatur: ut Otecta ipſa miſera, pro domo. Speciei, cum ex ſpecie genus ſignificatur; ut cum parricidam uocamus eũ, qui matrẽ, uel conſanguineos necauit, & cum infinitum numerum dicimus, pro magno: Plautus, ſexcenta licet eiuſmodi proferre: Cicero, cuius ex ludo, tanquam ex equo Troiano, innumeri principes exierunt. Sic ſingularis

Audom.

Phil. 2.

Lib. 2. Orat.

gularis numerus pro plurali, Romanus uictor, pro Romanis, apud Liuium ſæpe. Synecdoche integri, ſeu totius eſt, quando ex toto pars ſignificatur:

Aen. 1. Pabula guſtaſſent Troiæ, Xanthumq. bibiſsent.

Cic. epiſ. 1. lit. 4. *hoc eſt, partem pabuli, & Xanthi. Orbis terrarum bello ardet, id eſt imperium Romanum, ſeu orbis pars. Synecdoche generis eſt, quando ex genere ſignificatur ſpecies. Virtus in armis iuuat, id eſt fortitudo: Hominem perdidimus, dixit Cicero, pro Catilina: Sic, orator pro Tullio: & numerus pluralis pro ſingulari: ut Oratores uiſi ſumus. Vbi animaduerte nomine generis intelligi aliquid magis commune, quo modo etiam ſpecies dicitur genus. Sed iam eos modos, quos alij ponunt, ut plura ſubijciamus exempla, breuiter attingamus.* Ger. Duc. *Qui igitur minus artificioſe hunc tropum tractant, eius octo numerant modos. Primus, cũ pars pro toto ponitur; ut caput pro homine, anima pro animante, ætas pro anno, penates, lares, fociq. pro domo.* Pro Ros. Bracr. *Secundus, totum pro parte; fontem ignemq. ferebat: cælum rubet, id eſt aliqua cœli pars. Tertius, materia pro re ex ea confecta: ut argentum pro pecunia, ferrum pro gladio, lignum pro cruce, &* Virg. lib. 2. Geor. *pinus pro naui.*

Tunc

Tũc alnos primũ fluuij sẽſere cauatas.

hoc eſt naues ex alno confectas. Quartus ex uno plura; ut hoſtis pro hoſtibus, miles pro militibus. Quinctus contra, cum ex pluribus unus, ſic Lęlios, Catones, & Curios dicimus, pro Lælio, Catone, & Curio. Quinctus, ex ſpecie genus, ut Auſter. & Eurus pro quocunque uento, panis pro quouis cibo.

Chaoniam pingui glandem mutauit
 ariſta,
Poculaq. inuẽtis Acheloia miſcuit uuis

hoc eſt, omnes arborum fructus, & omnes aquas. Et contra, ex genere ſpecies: ut uinum pro ceruiſia, ales pro aquila, & uentus pro zephiro. Septimus, cum ex antecedentibus conſequentia; ut, ſubdidit equo calcaria, ideſt cucurrit, uirgineam ſoluit zonam, ideſt uiolauit: lupi Merim uidere priores. Denique, qui hos modos recenſent, concludendo dicunt, hunc tropum fieri, quoties unum ex altero quocunque modo intelligitur: Vt, redactus ad paupertatem, pro diues erat: factus eſt piger, ideſt diligens fuit: uixerunt, pro mortui ſunt: Fuimus Troes, ideſt iam actum eſt de nobis. Latius itaque patere affirmant, quam ut regulis comprehendi poſſit. Cæterum, nonnulli ex his modis magis ad Metonymiam, quam ad Synecdochen pertinent. Virg.

Quin-

Quincta poſitio, in huius tropi uſu hæc animaduertenda ſunt. Primum, uſitatior eſt apud Poetas, quam apud Oratores: Vt enim Orator dicet, tectum laremque, pro domo, ita non dicet, pinum pro naui, & pro equo quadrupedem: ſpectanda igitur erit hac in parte bonorum auctorum conſuetudo. Deinde, modus ille in quo ex ſpecie deſignatur genus, non eſt ita facilis, & ita uſitatus: Quare non erit facile uſurpandus. Poſtea ſi huc referas antecedentia & conſequentia, conferet hic tropus ad rem aliquam illuſtrandam, & ſub oculos ſubijciendam: ut fecit Horatius, cum ueris initium deſcripſit. Poſtremo, illud habet quaſi proprium hæc figura, ut ſit apta ad augendum, & ad euidentiam, & emphaſim exprimendam.

Ode.4.libr.1.

Sexta poſitio, Hic tropus, ex uno tantum loco topico ſumitur, uidelicet, a toto, uel ut alij uolunt, etiam a circumſtantijs, ſeu ab adiunctis, & ab antecedentibus, & conſequentibus.

Quod autem ad allatas dubitationes attinet, quid dicendum ſit, ſatis ex dictis perſpicuum eſt; ideo nihil ad eas diluendas priuatim dicam.

De

De Catachreſi, & Metalepſi. Diſputatio XII.

DE his duabus tropi formis, quas hac diſputatione explicandas propoſuimus, maior eſt inter ſcriptores difficultas, an in tropis re uera numerari debeant, & an ſint ſpecies ab alijs diſtinctæ. Vt igitur, eorum uim planius explicemus, quæ occurrunt dubitandi rationes, eas, de ſingulis agendo, proponam: & primum de Catachreſi ſic diſputo.

Primo, cuiuſcumque rei abuſus in omni arte cenſetur malus, ac proinde damnatur; ut ſi quis ſerra hominem occideret, & eloquendi falcutate ad oſtentationem uteretur, & denique, ſi princeps poteſtatem ſibi conceſſam in tyrannidem conuerteret: igitur nulla in arte dicendi, quæ proprietate præcipue commendatur, abuſio (id enim ſonat Catachreſis) admittenda eſt: & impropria locutio a Grammaticis in uitijs reponitur, quam acyrologiam uocant.

Deinde, Catachreſis per nos non eſt tropus a Metaphora diſtinctus: male igitur ſeorſim de ea tractatur. contra uero, uidetur eſſe di-

ſtinctus tropus: quoniam, ut Fabius ratiocinatur, Catachreſis ibi eſt, ubi nomen deeſt: at uero Metaphora ibi, ubi aliud reperitur nomen, igitur ſunt diuerſi tropi.

Præterea, non uidetur bona illa Catachreſis deſcriptio, quam affert Quinctilianus, & multi, ut bonam, admittunt: quæ ſic habet, Catachreſis eſt quæ non habentibus nomen, ſuũ accommodat, quod in proximo eſt: quoniam hæc deſcriptio conuenit omnibus tropis, ut ex dictis perſpicuum eſt.

Poſtremo, in quouis tropo eſt abuſio quædam, cum in omnibus uox a propria ſignificatione deflectat: nam qui dicit, prata rident, Cererem expediunt, uerbo ridere, & nomine Cereris abutitur: erunt igitur tropi omnes abuſiones quædam.

De hac figura duæ ſunt ſcriptorum ſententiæ, quarum prima facit Catachreſim ſpeciem tropi, ab alijs ſeiunctam. Ita Fabius ſentit, & multi alij qui eum ſequuntur. Altera uero alicui tropo ſubijcit, uel Metaphoræ, uel Synecdoche, uel alij. In qua opinione Ciceronem, Ariſtotelem, & nonnullos alios reponeres. Nos de hoc tropo, quid ſentiendum ſit, ſequentibus poſitionibus explanabimus.

Prima poſitio, Catachreſis, eſt uox græca

ducta

ducta a uerbo catachraome, quod abutor, & ſupra modum, immoderateque utor ſignificat: Latine Abuſio uel immoderatus uſus: cum in hac figura cernatur quædam maior in trãſferendo licentia: ut cum, grandem dicimus orationem, & paruum animum, & exiguas uires.

Secunda poſitio, Catachreſis, ſi aliorum non placet deſcriptio, hoc pacto definiri poteſt, Eſt quædam durior, ſeu licentior uerbi translatio: uel alieni nominis abuſio. Abutimur, inquit Cicero, ſæpe etiam uerbo non tam eleganter, quam in transferendo (hoc eſt in metaphora) ſed etiam ſi licentius, tamen interdum non impudenter. Vel denique, ut aliqui ſcribunt; Catachreſis eſt duritia quædam cuiuſcumque tropi. Maz.

Tertia poſitio, Catachreſis non eſt propria tropi ſpecies ab alijs diſtincta; ſed eſt ueluti quædam dura metaphora, tropus ue. Primum probatur hæc doctrina hac ratione efficaciſſima: quia, ſi eſt diſtincta a metaphora, maxime ob eam cauſſam, quam attulit Fabius, & non pauci approbant: atqui iſta nulla eſt; quoniam etiam metaphora, id quod aduerſarij fatentur, aliquando neceſſitatis cauſſa fit, & Catachreſis interdum eſt, ubi proprium nomen non deeſt: ut, cum grandem orationem, Ioan. Suſem. Lib. 3. de orat.

pro magna, dicimus; ubi, ut Cicero ait, eſt Catachreſis; & tamẽ oratio proprie magna, uel parua dicitur. Eſt igitur Catachreſis licentior translatio, ſiue proprium ſuppetat, ſiue deſit uerbum. Deinde ipſiuſmet Quinctiliani uerbis, qui ait, Poetas ſolere abuſiue, etiam in ijs rebus, quibus nomina ſua ſunt, uicinis potius uti. Dicamus igitur cum doctis uiris eſſe translationis ſpeciem, modum ue, ſiue inopiæ, ſiue uoluptatis cauſſa fiat: quæ ideo hoc eſt ſortita nomen, quia paullo licentius transfert. Vt ſi dicas, equitat in arũdine longa, acres intendunt arcus, ſaxa iaculantur, exiguus animus, breues & magnę uires, librorum folia, oculis perlegere, uir gregis, id eſt caper, labilis memoria, cor nitidum, ingenium obtuſum: per hanc figuram, piſcinam appellamus fontem, & ſicarium eum, qui quocunque gladio cædem cõmiſit, & parricidam, qui matrem necauit. Quod ſi quid diſcriminis inter Metaphoram, & Catachreſim ponere uis, dicas illam requirere ſimilitudinem, hanc uicinitatem: illam eſſe magis liberam, & frequentiorem, hanc uero contra.

Streb. Ram.

M. Lo. Merc. *Quarta poſitio, quidam hunc in modum hanc figurã diuidunt: Catachreſis duplex eſt; una quæ inopiæ cauſſa fit, qua etiam in oratione ſoluta utimur; ut cum pyxidem uocamus*

mus uas ex quacunque materia factum, cum tamen illud uaſis genus ſignificet, quod eſt ex buxo confectum: altera, cum pro uitijs uirtutes uicinæ ponuntur, & contra: ut ſi dicas auarum pro parco, temerarium pro forti, loquacem pro eloquente, cum uituperare uis: ſi autem laudare, dices fortem pro temerario, magnanimum pro ſuperbo, prudẽtem pro callido, & ſeuerum pro crudeli. Addunt alij aliam, cum ſit metri cauſſa, qua utuntur Poetæ: ut, ſperare pro timere, & perlegere, pro uidere.

Quinta poſitio, quod attinet ad uſum huius tropi, hæc animaduertenda ſunt. Primum, maior conceditur abutendi licentia Poetis, quam Oratoribus: illi enim dicent, ſperare pro timere, damnare, pro obligare; hi non item, quibus non eſt denegata, cum proprio uerbo deficiuntur, & cum laudare, & uituperare uolunt. Deinde, ſi uocabuli laboremus inopia, illud inquiramus, quod maiorem affinitatem cum re, quam explicare uolumus, habet; ut patet in his exemplis; frigus opacum, aura ſuauis. Poſtea, ad hunc tropum fingendum, cum ſit metaphora quædam, metaphoræ cognitio iuuabit: quamuis interdum etiam ad alios tropos iam explicatos poſſit reuocari. Denique, in omni arte, & diſciplina

tradit concedendus eſt huius tropi uſus. De utilitate, fineque, & loco unde ducitur, nihil occurrit dicendum, cum non ſit forma quædam ab aliis distincta. Valet tamen, quod eſt cum aliis commune, ad aliquid explicandum, quod alias explicari non poſſet; habetque interdum maiorem emphaſim, & a ſimilibus atque ab adiunctis fluit. Huc refertur a quibuſdam Acyrologia, id eſt impropria locutio; quæ tamen magis ad uitia reuocanda eſt.

Rationibus in contrarium allatis hunc in modum ſatisfaceres. Hic, in uerborum tractatione abuſus, cum non ſine neceſſitate, et aliqua ratione fiat, non eſt damnandus: cum omnes fere artifices interdum ſuæ artis inſtrumentis abutantur. Quare exempla illa in primo argumento allata, non ſunt ad rem. Tunc autem in uitiis numerabitur, cum nulla cum uirtute, aliquo uerbo utemur.

Ad ſecundam rationem, ideo diſtincte de hoc tropo egimus, quia aliquo pacto ab aliis, quamuis non ſpecie, diſtinguitur.

Ad tertiam quid reſpondendum ſit, patet ex dictis; ex quibus etiam facile quartam ſolueres: ad Metalepſim igitur accedamus.

Quod ad hunc tropum attinet, illa ſe primum dubitatio offert, quod uideatur a numero troporum reiiciendus; tum quia nullus, aut

certe

certe rariſſimus eſt eius uſus, ob quam fortaſſe cauſſam quidam nihil de eo ſcribunt: tum etiam quod eſt obſcuriſſimus, & ualde improprius tropus. Ideo de eo loquens Fabius dixit, quem tropum magis affectamus, ut habere uideamur, quã ut ullo in loco deſideremus.

Deinde, in hac figura nulla uidetur eſſe mutatio, & ſi quæ eſt, ad alios tropos pertinet: non erit igitur in tropis numeranda, uel tanquam diuerſa ſeorſim explicanda.

Poſtremo, eius definitio a multis perperam traditur, cum dicitur, eſſe tropum, qui ex alio in aliud uiam præſtat: quoniam ideſt omnibus tropis commune, cum in omni tropo ex una re in aliã migremus. Quidam igitur hunc tropum omnino negligunt, & de eo nihil dicunt: Alij uero in tropis numerant, ab alijs diſtinguunt, & diligenter explicant. Alij denique ad alios tropos reuocant, de quo nos ita ſtatuimus. Tale Lul.

Prima poſitio, hic tropus grece Metalepſis, latine Tranſumptio, tranſpoſitio, & tranſlatio dicitur: ſic dictus, quod ex ſe nihil ſignificet, ſed ad aliquid intelligendum gradum faciat; ut clarius in ipſis exemplis dicetur.

Secunda poſitio, hic tropus, non eſt omnino negligendus, & ſilentio prætereundus. Quoniam etſi rarior ſit, tamen eſt argutior, et quã-

dam ingenij commendationem habet, & quæ eſt abſtruſior, eo eſt obſeruatu difficilior. Et ut illud obiter dixerim, in diuinis literis multis in locis reperitur.

Tertia poſitio, non uidetur uerum quod alij qui affirmant, longe quęſitam metaphoram Metalepſim nominari. Nam hoc eſt tropi uitium, ut ſupra diximus: at uero metalepſis cũ laude et gratia fit: igitur. Quod ni uelis ad Metaphoram, uel Catachreſim aut Metonymiam Nic. Bles. *reuocare, poſſes eam hoc pacto definire, & ab alijs definiendo ſeiungere.*

Quarta poſitio, Metalepſis eſt tropus, quo aliquod uerbum ad aliquid ſignificandum quaſi gradatim traducitur. Cum itaque res diuerſę, quaſi per gradus ab una ad aliam procedendo cognoſcuntur, ita ut uerbum ipſum ex homonymia, tanquam medius quidam gradus uiam muniat, ad id quod intelligitur, metalepſis cenſebitur: ut in hoc Virgiliano patet exemplo;

——Speluncis abdidit atris.

Atrum ſignificat nigrum in coloribus, & obſcurum in aere; quæ uero loca ſunt profunda, ea ſunt obſcura: per Metalepſim igitur pro profundiſſimis, atris dixit. Itum eſt ergo per atrum ab obſcuro in profundum. Item alibi.

Ilice

Ilice ſub nigra pallẽtes ruminat herbas.

Nigra per Metalepſim dixit, pro umbroſa. Idem alio loco hac pulcherrima, & cum magno decoro uſus eſt Metalepſi, cum dixit,

Poſt aliquot mea regna uidens, mirabor ariſtas. Eclog. I.

Hic per ariſtas, ſpicas, & per ſpicas, æſtates, et p̄ æſtates annos intelligimus: ubi quædã remota cernitur Metonymia, qui tamẽ tropus ui cinius cauſſam per effectũ ſignificat. Quare hę locutiones, amor cæcus, vinũ lętum, vorax gu la, lacrymabile funus, per metonymia efferun tur: quos tamen modos alij ad Metalepſin reuocant. Itaque in Metalepſi fit longior tranſi tus ab vno ad aliud, qui nõ fit in Metonymia, vbi proxime, & aperte ex vno in aliud tranſi tur: ac proinde quidam hunc tropum ad Meto nymiam reuocant. Nec deſunt qui dicant, Tranſſumptionem fieri, quoties una ſpecies pro alia accipitur, quæ habent generale nomen, quod illas continet: vt, mouere, eſt commune verbo afficere, quod proprie in ſenſibus uſurpatur, & uerbo impellere, quod congruit ijs, quæ locum mutant: unde ſi dicas, ſenſus impelli, erit Metalepſis, quia non ſolum proprio, ſed etiam communi relicto uocabulo, alienum uſurpas. Denique, alij minus probabiliter dicunt, tunc fieri Metalepſim, cum per cauſſas Lul. Ger. Buc.

effi-

efficientes demonſtratur effecta.

Quincta poſitio, hic tropus non eſt ita rarus, ut aliqui arbitrantur, & ſane a diuinis ſcriptoribus multis in locis vſurpatur, ſicuti etiam a Grecis. At uero apud Oratores rarior eſt, quam apud Poetas, cum ſit obſcurior & intellectu difficilior: & ita potius cognoſcendus, quam in oratione adhibendus eſt. Quod ſi quiſpiam eo uti uoluerit, obſcuritatem uitet; qualem agnoſceres, hoc in loco apud Horatium.

Lib. 1. ode. 1.

Sunt quos curriculo puluerē Olympicū.
Collegiſſe iuuat.

Hoc eſt, quos ludus olympicus delectat: & rurſus apud eundem:

Eſt qui nec veteris popula Masſici.
Nec partem ſolido demere de die
Spernit.

pro eo, qui totum ipſum diem genio uentrique indulget.

Quod uero attinet ad rationes in contrarium allatas, facilis eſt ſolutio. Neque enim quod hic tropus videtur rarus, quod fortaſſe ob eius ſubtilitatem, ſeu obſcuritatem, non facile obſeruatur, eſt a troporum numero excludendus.

Quod in Metalepſi ſit aliqua mutatio, immo maior quædam, ſeu longior tranſmigratio,

ex

ex eius definitione ſatis manifeſtum eſt: ex qua etiam conſtat aliquo pacto ab alijs tropis diſtingui, ac proinde ſeorſim de eo agẽdũ fuit.

Quod vero attinet ad illam definitionem, ſi ea non placet, ut re uera non facile cuique placeret, ea admittatur, quam nos attulimus. Atque de his duobus tropis hactenus. Quibus poſſem ſubijcere Antiphraſim, in qua eſt quædam tranſmutatio a contrario in contrarium: tamen quia maximam cognationem habet cum Ironia, de qua paullo infra agemus, propterea in eum locum eius tractationem reijcio, & ad Allegoriæ explicationem ſtylum conuerto.

De Allegoria & Aenigmate. Diſputatio XIII.

LOngam ſane conficerem diſputationem, ſi non ſolum quæ a Magiſtris dicendi, ſed etiam a diuinarum ſcripturarum interpretibus, de Allegoria præſertim, & de Aenigmate ſcribũtur huc congerere uellẽ: Sed quoniã nũc nõ Theologi, ſed Rhetoris perſonam agimus; ideo ea ſolum de propoſitis figuris dicemus, quæ ad bene dicendi uſum exercitationemque pertinent. Ideo autem unica di

ſputa-

ſputatione de hac duplici loquendi forma agę mus, quod ab una ad aliam facilis ſit migratio; ut ex ijs quæ dicemus, planum fiet: cur autem hoc loco, ex ijs quæ diſputando in utramque partem afferentur rationes, facile intelligi poterit. Et vt dubitationes, quas allaturi ſumus, melius percipiantur; quæ ſint de Allegoria & Aenigmate ſcriptorum placita, ea priore loco afferam.

Quidam igitur has loquendi formas non in troporum numero ponendas, ſed ad ſchemata reijciendas eſſe exiſtimarunt. Alij uero contra in troporum ordine collocari uolunt: quam ſententiam multi ſequuntur, quos poſtea citabo. Rurſus in eo etiam Rhetores non ignobiles diſſentiunt, an Allegoria, ſi in tropis reponatur, ſit uera tropi ſpecies ab alijs diſtincta: quod aliqui affirmant, alij vero omnino negant. Sed iam aliquot ſubijciamus rationes, ob quas dicendi artifices in uarias opiniones abire potuerunt.

Primum, quod Allegoria non ſit reijcienda a tropis, ea ſuadet ratio, quia ſemper continet uerborum tranſlationes, ſine quibus conſtare nequit: erit igitur tropus quidam: vt ecce. Nolite dare ſanctum canibus, hoc eſt res ſacrę, & diuina arcana nõ ſunt indignis et profanis propalãda. Itẽ in hac Horatiana ſentẽtia,

Con-

Contrahes uento nimium ſecundo
Turgida uela.

hoc eſt in rebus proſperis ne te efferas. Contra uero, quod inter ſchemata reponenda ſit, ex eo probari poteſt, quod tropus ſit figura unius tantum dictionis, quę non complectitur aliquam integram ſententiam, ut Allegoria continet: igitur non erit tropi ſpecies, modus ue.

Deinde, qua ratione probabitur, eſſe tropum ab alijs diſtinctum, quoniam, alij tropi in unius uocis translatione, ſeu mutatione fiunt: at Allegoria in pluribus, cum integram conficiat ſententiam: igitur, ſi tropus eſt, ab alijs ſeiungendus erit. Contra uero, quod non diſtinguatur, hoc pacto probares. Allegoria eſt continuata, ſeu longior quædam Metaphora: at breue, & longum inter ſe ſpecie non differunt, ut exempli gratia linea unius, & linea multorum pedum: igitur.

Pręterea, quod attinet ad Allegoriæ definitionem, quam omnes fere approbant magiſtri, quæ ita habet, Allegoria eſt inuerſio, aliud uerbis, aliud ſenſu oſtendens, ac etiam interim contrarium, non uidetur bona; Quoniam prima huius deſcriptionis pars omnibus tropis quadrat: altera uero propria eſt Antiphraſi, & Ironię: quare damnanda uidetur:

ut etiam illa, qua dicitur, Allegoriam eſſe perpetuam metaphoram, cum non ſemper Metaphoram contineat.

Denique, ut alias rationes omittam, circa Aenigma illa occurrit dubitatio; quod Aenigma tanquam uitium teterrimũ ab omni oratione reÿcitur, & in uitÿs orationis reponitur; ergo nõ eſt in figuris recenſendum, nec unquam uſurpandum.

Atque ex allatis rationibus, alias quaſdã opiniones circa præſentem diſputationem adnotare licet. Nam, quod attinet ad illam difficultatem de ſerie, ſiue ordine in quo Allegoria collocari debeat, poſſet aliquis dicere, ad utrũq; ordinẽ, hoc eſt, ad tropos et ad figuras pertinere: ita ut ſit tropus, quatenus uerba cõtinet translata: figura uero, ut quãdam exprimit ſententiam. Neque enim abſurdum eſt, ut Dialectici norunt, unam & eandem rem, ob diuerſas rationes in uarÿs collocare generibus. Rurſus, quod ad Allegoriam attinet, aliqui arbitrantur ſolum confici ex uerbis metaphorice translatis, ac proinde dicunt eſſe quandam perpetuam metaphoram: Alÿ uero etiam ab alÿs tropis, ueluti a Metonymia, & Synecdoche duci poſſe arbitrantur. De Aenigmate, aliqui fortaſſe ob rationem allatam, penitus ab oratione reÿciendum putarent:

rent: alij uero admitti interdum poſſe exiſtimant. Quid autem de his propoſitis dubitationibus ſentiendum ſit, nos ſequentibus poſitionibus plane explicare conabimur: ac primum quidem de Allegoria ita ſtatuimus.

Prima poſitio, hæc figura ſiue tropus, ſiue ſchema ſit, græce Allegoria, latine, Inuerſio, permutatio, & ſi licet ita loqui, ut Fabius loquitur, diuerſiloquiũ: ſic dicta, quod ἄλλο ἀγορεύει, ἄλλο δὲ νοεῖ. *i. aliud dicit, et aliud ſignificat.*

Secunda poſitio, Allegoria, ſimpliciter loquendo, uel in tropis, uel in ſchematis reponenda eſt. Quoniam una, & abſoluta eſt eius natura, ſicuti cæterarum rerum, quæ ſimpliciter in una reponuntur categoria. Quare, ſi uim tropi ſimpliciter habet, in tropis collocanda erit; ſi ſchematis, ad ſchemata reuocari debebit.

Tertia poſitio, Allegoria potius ad tropos, quam ad orationis figuras reuocanda eſt. Primum, confirmatur hæc poſitio ex M. Tullio, qui hac de re loquens, hanc pronunciauit ſententiam, Cum fluxerunt continuæ tranſlationes, alia plane fit oratio. Itaque hoc genus appellant allegoriam nomine recte, genere melius ille, qui iſta omnia tranſlationes uocat. Ubi allegoriam metaphoræ ſpeciem facere uidetur. Fabius, non modo tropum, ſed In orat.

etiam

etiam ſpeciem diſtinctam facit. Idem multi recẽtiores ſcriptores ut Ramus, Talæus, Claudius, Strebeus, Nicolaus Bieſius, & omnes fere qui de tropis aliquid ſcripſere. Deinde, eandem poſitionem probat prima ratio initio huius diſputationis allata, quæ ad hanc doctrinam confirmandam ſatis uidetur idonea. Præterea, ſi in ſchematis ponenda eſt Allegoria; aut eſt ſchema uerborum, & hoc falſum eſt, cum multæ inueniantur Allegoriæ, in quibus nullus apparet uerborum geſtus, ſiue habitus: aut ſententiarum, & id quoque eſt a ueritate alienum, cum paſſim Allegorias ſine ulla animi affectione prolatas inueniamus.

Lib.2.c.8.

Quarta poſitio, Allegoria nõ eſt ſpecies tropi ab alijs diſtincta. Hoc eſt, licet Allegoria ab alijs tropis aliqua ratione differat, & ea præcipue, quia ſententiam continet; tamen non conſtituit nouam tropi ſpeciem. Hoc aſſeuerauerim cõtra opinionem Fabij, cui expreſſe Cicero loco paullo ante citato, refragatur, quo cum conſentiunt ij, qui eam deſcribẽtes dicũt, eſſe perpetuam Metaphorã, ſeu orationem pluribus Metaphoris cõtextam. Adde etiam quod in ſecunda ratione dicebamus: ut enim ea quæ quantitate maiore aut minore conſtant, eiuſdem naturæ eſſe cenſentur; ita Metaphora, quæ ſæpe unico fit uerbo, eadẽ

erit

erit cum Allegoria, quæ fit pluribus. Ex quibus colligeres, Fabium ſecum pugnare, cum ait Allegoriam interdũ ex proprijs fieri uerbis: quoniam iam non eſſet tropus. Nec exemplum quod ex Virgilio affert, quicquam ualet, cum ibi nulla ſit Allegoria, ſed uera uerbis ſimplicibus narretur hiſtoria. Eclog. 9.

Quincta poſitio, falſum eſt Allegoriam ſolum fieri uerbis per metaphoram tranſlatis, cum etiam fiat per alios tropos, repetitos tamen. Hanc doctrinam, miſſa quorũdam ſcriptorum auctoritate, ipſis confirmabo exemplis, ex bonis auctoribus ſumptis. Lul. Audon. Min. *Nullo me modo poſſe ijſdem parietibus tuto eſse tecum,* Catil. 1. *ait Cicero, Catilinæ, qui in magno periculo eſſem, quod ijsdem mœnibus contineremur. Vbi parietes pro domo, mœnia pro urbe intelligis. Multorum te oculi & aures non ſentiunt, ſicut adhuc fecerunt, ſpeculabuntur atque cuſtodient: Oculi & aures pro oculatis, & auritis hominibus. Eſt hic Allegoria per Synecdochen repetitam. Item, cum haberet hæc* Agrar. 2. *reſp. Lucinos, Calatinos, Acidinos homines, non ſolum honoribus populi, rebuſque geſtis, uerum etiam patientia paupertatis ornatos. Et tum, cum erant Catones, Philippi, Lælij, quorum ſapientiam, &c. ubi Lucini, Calatini, Acidini pro ciuibus honoratis, & pau-*

ſperibus ponuntur: Catones & alij pro ſapientibus, ut ipſemet auctor exponit. Apud Iuuenalem Satyra ſecunda, Allegoria ex Synecdoche ſumpta.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent.
Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia uiuunt.

Sauromatas, & Oceanum pro quouis remoto populo dixit, Curios pro temperatis, bacchanalia, pro quolibet intemperãtiæ genere. Hæc, contra ſimulatores, & hypocritas dicuntur. Et apud Virgilium,

Eclog. 4. Alter erit tum Tiphys, & altera, quæ uehat Argo
Delectos Heroas; erunt etiam altera bella,
Atque iterũ ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Quibus uerbis alios gubernatores, naues, & bellatores, & hoſtilia oppida ſignificat. Similiter hæc Allegoria, ſine Cerere, & Baccho friget Venus ducta eſt a Metonymia.

Ram. *Ex quibus inferres, errare eos, qui a ſola Metaphora Allegorias duci, & continuam meta-*

Metaphoram eſſe putarunt: quamuis ab ea, ut a tropo omnium frequentiſſimo, ſępius ſumatur: & non bene a quibuſdam deſcribi, dum aiunt, eſse collationem quandam, in qua ſimile oſtenditur, nec tamen altera pars collationis expreſſe additur: quaſi ſit quædam imperfecta ſimilitudo.

Sexta poſitio, Allegoria eſt tropus, ex aliorum troporum frequentatione factus, qui aliud uerbis dicit, aliud ſignificat, & aliquã animi ſententiam manifeſtat. Hanc Allegoriæ deſcriptionem non eſſe omnino ineptam, ex ijs quę dicta ſunt facile intelligi poteſt: ex quibus etiam manifeſtior eſt, quam, ut ulla expoſitione, & probatione egeat.

Septima poſitio, Allegoria diuidi poteſt in ſimplicem, & miſtam. Simplex ea dicitur, quæ totam occupat orationem, ut eſt hæc apud Virgilium Ioan. Suſemb.

Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor, li.2.Geor.
Et iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla.

hoc eſt, iam immenſam abſolui materiam, finis faciendus eſt operi. Miſta eſt ea, in qua aliquid proprie cum trãslatione dicitur; ut eſt hæc apud Ciceronem. Equidem cæteras tempeſtates, & procellas in illis dumtaxat flu-

ctibus concionum ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas. Hic commiſcetur Allegoria, cum dicitur, in illis fluctibus concionum. Et in ſacris literis, cuius uentilabrum in manu ipſius, & purgabit aream ſuam, & colliget triticum in horreum ſuum, paleas autem igni comburet inextinguibili: permiſcetur Allegoria, cum dicitur, igni inextinguibili. Rurſus alij diuidunt in Allegoriam, quę ſpectatur in uerbis, ut ſunt iſtæ, pedem conferre, pro argumentis decertare; in arenam deſcendere, uictas manus dare, id eſt fateri ſe uictum: iugulum petere, id eſt cauſſæ caput aggredi: & in eam quæ in ſentētia cernitur, cum ſcilicet res aliqua ſignificatur ſimilitudine quapiam; quæ tamen ſimilitudo non exprimitur: ut ecce, Vino uendibili ſuſpēſa hędera nihil eſt opus, hoc eſt, res quæ per ſe eſt commendabilis nulla commendatione eget. Interdum utraq; in eadem reperitur oratione; ut hoc in loco apud poetam Lyricum.

Mat.

Li.i.ode.4

O nauis referent in mare te noui
Fluctus: o quid agis fortiter occupa
Portum; non ne uides ut
Nudum remigio latus
Et malus celeri ſaucius Africo,
Antenneq; gemant.

Vbi, nauis quaſſa remp. fluctus ciuilia bella.

por-

portus pácem deſignat. Denique, Allegoria duplex eſt, altera quæ ſimilitudinem continet, & eſt imperfecta quædam ſimilitudo, cui ſi adderetur redditio, fieret integra, & perfecta: ut ecce,

Claudite iam riuos pueri, ſat prata biberunt. Vir. Ecl. 3.

Hoc eſt, finem canendi facite: ſimilitudo, fieret, ſi ita diceres, quemadmodum obſtruendi ſunt riuuli, cum prata ſatis irrigata ſunt; ita orationi finis imponendus eſt, cum auditores audiendo ſunt defeſſi. Altera, quæ ſimilitudinem non continet; ut ſunt illæ, quas ſupra in quincta poſitione attulimus.

Octaua poſitio, in uſu Allegoriæ hæc animaduertenda ſunt. Primo, uitetur obſcuritas, ne migret in ænigma: quo fit, ut Oratores, qui perſpicue loqui uolunt, Allegorias per ſimilitudines, quas Iconas Græci uocãt, explicare ſoleant. Secundo, non ſit nimis crebra, ne orationem ineptam, & faſtidioſam reddat. Et ideo eorum, qui eam mundi partem incolunt, unde ſol naſcitur; ſermo minus placet, quod multis Allegorijs ſit aſperſus. Verum illud Allegoriæ genus, quod eſt in uerbis, poteſt eſſe frequentius, cum ſit paruis ingenijs, & quotidiano ſermoni accommodatum. Tertio, quo genere trãslationis fuerit inchoata Alle-

 goria,

goria, eodem etiam finiat: ut apud Tullium,
Pro Quīt. *cum ait, Quo ſit, ut qui tela depellere, & uulneribus mederi debeam, tum id agere cogar, cum etiam telum aduerſarius nullum iecerit: ne ſi ſecus fiat, illud Horatianum cani poſſit.*

Et cum amphora cœpit inſtitui, cur
In Poet. urceus exit?

Quarto adhibeatur crebrius in prouerbijs, ſiue ſententijs prouerbialibus: cuiuſmodi innumeras aptiſſime factas inuenies in diuinis literis, & ſpeciatim in libro Prouerbiorum, & in eo, qui Eccleſiaſticus inſcribitur. Eas igitur legat, qui hoc in genere uult excellere. Denique illud genus Allegoriæ multum probatur, quod eſt illuſtre, non obſcurum; & illud maxime, in quo Allegoria, cum ſimilitudine, & metaphora eſt coniuncta. Illu-
Pro Mar. Cœl. *ſtrium allegoriarum exempla ex Tullio ſumpta ſunt huiuſmodi. Sed quoniam emerſiſſe iam e uadis, & ſcopulos præteruecta uidetur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur. Item, Nam qui locus quietis, &*
lib. 1. ora. *tranquillitatis plenus fore uidebatur, in eo maximæ moleſtiarum, & turbulentiſſimæ tẽpeſtates extiterunt. Item, Nec tuas unquam rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos*
Pro Rab. Perduel. *S. Titij nauem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum uideres. Item hæc, quæ*

ſimi-

ſimilitudine, & metaphora conſtat, Quod fretum, quem euripum tot motus, tantas, tam uarias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, et quantos æſtus habet ratio comitiorum. Dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita, ſæpe & perturbat omnia & totam opinionem parua nonnunquam mutat aura popularis. Similitudo eſt in his uerbis, Quod fretum, quem euripum, inconſtantia comitiorum: Allegoria in his, quantos æſtus: Metaphora in his, Aura popularis. Itẽ hæc, O fallacem hominum ſpem fragilemq; fortunam, & inanes noſtras contẽtiones, quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, et corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quã portum conſpicere potuerunt. Atque de Allegoria hæc dixiſſe uolui: ſequitur, ut de Aenigmate dicamus. Pro Mur. In 3. orat.

Nona poſitio Aenigma eſt obſcura, & ambigua quædam Allegoria, ad id, quod dicitur occultandum ſtudioſe excogitata: ſeu, oratio obſcura rem notam, quam ſignificat, ambagibus tegens: unde, & Griphus dicitur. Hanc doctrinam confirmant hæc Tullij uerba in quadam ad Atticum epiſtola, Si erunt plura ad te ſcribenda, ἀλληγορίαις *obſcurabo: alibi allegorias Aenigmata uocat. Vnde Mancinellus,* Lib. 2.

Obſcurus ſermo cunctis Aenigma
uocatur.

Mater me genuit, mox gignitur ex me.

Quod de glacie ex aqua concreta, quæ in aquã redit, intelligitur. Vbi cariſſime uenditur aqua? reſpondebis, apud œnopolas. Et hoc de lacrymis dictum:

Dic mihi quod flumen ſoleat cõſcen
dere montes.

Hoc mihi ſi ſoluis, Oedipus alter eris.

Symb.71. *Hoc item alterum Bocchij in ſuis ſymbolis, ſuper hac ſententia, Occaſionem qui ſapis ne amiſeris.*

O nihil eſt, CC. bis centũ, nunciat A nil:
S, quinctum, primum, I, rurſus, &
O, nihil eſt.

Principium nihil eſt: bis centum plu-
rima; quinque
Non ſatis eſt, Vnus ſat, uenit inde
nihil.

Et licet obſcura uideantur carmina,
poſſunt,
Si bene percipias, ſingula clara loqui.

Et apud Calentium, ſuper his duabus uocibus, Vis, Ius.

Dictio mortales auget monoſyllaba
curas,
Si teneat medium litera prima leuat.

Aut

Aut hęc, aut aliud, totum ſibi uendicat orbem,
Fœmina ſi neutrum uicerit, orbis ait.

Et ego aliquando iunior quibuſdam cum iuuenibus, non ſine utilitate luſi:

Si mihi ſunt oculi, non ſunt illis lumina certe;
Qui uxorē tentant ducere luminibus.

Decima poſitio, Aenigma non eſt tropi ſpecies. Hoc affirmauerim contra Fabij ſententiam, quam multi ſequuntur: idque hac ratione firmiſſima communio, quod Aenigma ſæpe nullis modificatis uerbis fiat, ut hoc apud Latinum poetam.

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo) Eclog.3.
Tris pateat cœli ſpatium nō amplius ulnas.

Vndecima poſitio, Aenigmatis uſus, generatim loquendo, non eſt in ullo genere orationis ſimpliciter damnādus. Quamuis ergo hęc loquendi ratio aduerſetur perſpicuitati, quæ eſt prima orationis, uirtus, tamen, ſi ex cauſſa ſuis in locis adhibeatur, uitio dandū non erit. Hæc doctrina confirmatur primum ex bonorum auctorum conſuetudine. Vſus eſt ænigmate Cicero in oratione pro Roſcio Amerino cū dixit, Multos cęſos non ad Thraſimenū lacū,

ſed

ſed ad Seruilium uidimus: quis ibi non eſt uul neratus ferro Phrygio? Quamuis Manutius
Paul. Mã. *exiſtimet eſſe uerſum ex Poeta ſumptum. Obſcuram etiam ſententiam continent hæc apud Virgilium carmina:*

Libro 4. Geor. Hoc faciũt, nimio ne luxu obtuſior vſus
Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes.

Omitto hic diuinos ſcriptores, in quibus nonnulla per ænigma dicuntur, ut illud Sanſonis,
Iud. 14. *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo; Quibus uerbis tecte ſignificatur ex leone mortuo exiuiſſe apes, & mel: quod de Chriſto myſtice intelligẽdum eſt. Multa denique Sybillæ, multa Ethnici ſcriptore de ſuis dijs obſcure dixerunt. Deinde, quoniã ratio ipſa ſuadet, ut ſi quæ nobis dicẽda ſũnt, quorum notitia non eſt omnibus manifeſtanda, ea tecte, & obſcure dicamus: quod non in uitijs, ſed in uirtutibus ponendum eſt. Ideo olim Philoſophi, & Poetæ, & qui ſacra tractabant Theologi per Aenigmata ſuam doctrinam occultiorem tradebant: idque pri-*
Clem. Alex. *uatim Pythagorei a ſuo magiſtro edocti, obſeruabant. Solebant etiam apud priſcos homines ioci cauſſa proponi Aenigmata, ſeu io-*
Athen. *culares Griphi: quos qui ſoluebat, certa carnium portione donabatur: qui uero ignorabat,*

bat, muriæ poculum haurire cogebatur. Huc pertinet illud, de quo Suidas meminit, Vir & non uir, percuſſit auem non auem, lapide non lapide, ſedentem ſuper ligno non ligno: hoc eſt, Eunuchus, ueſpertilionem, pumice, ſuper ferula. Ideo Pollux aliquando dixit, Aenigma eſſe, uel riduculoſum, uel iocoſum. Suid. Pollux.

Duodecima poſitio, Aenigmatis uſus in oratione debet eſſe rarus; & magis Poetis, quam Oratoribus conceditur: & magis illis, qui ad priuatos homines, quam eis, qui ad multos ſcribunt: ut patet ex Tullio in epiſtolis ad Atticum: in quibus interdum ſententias uerborum inuolucris inuoluit.

Decimatertia poſitio, Aenigma duci ſolet a loco ſimilium, contrariorum, accidentium, ab hiſtoria, & homonymia: de quo hæc habui dicere.

De argumentis ſupra allatis, primum, quod attinet ad priorem partem, eſt a nobis; ſecunda uero pars, nihil nos urget. Neque, enim neceſſe eſt, ut tropus in una tantum conſiſtat dictione: & ſi argumentum quicquam probat, ſolum concludit differre magnitudine, quod libenter concedimus. Nec propterea, quod interdũ ſententiã cõtinet, ad ſententiarũ figuras pertinebit, cum non omnis oratio, quæ ſentẽtia exponitur, pro figura haberi debeat.

Vnde

Vnde patet etiam ad ſecundum, quod attinet ad primam partem: ſecunda uero noſtram confirmat ſententiam.

De tertio, tota illa deſcriptio ſoli Allegoriæ aptari poteſt, quod facile quiſque animaduerteret: et ſi illa nõ placet, ea quã attulimus placeat, aut alia excogitetur melior.

De quarto, quid ſentiendum ſit, patet ex ijs, quæ ſupra de uſu Aenigmatis diximus. Sit igitur huic diſputationi finis.

De Antiphraſi, & Ironia. Diſputatio XIIII.

CVr de his duabus figuris, tropisue ſimul agere uelimus, ſupra docuimus: cur autem hoc loco, eam aſſignamus rationem, quod ex illis modis, quibus unam uocem ad aliam transferri poſſe diximus, ille reſtet explicandus, cum a contrario in contrariũ fit migratio. Quæ autem hic occurrunt dubitandi rationes, hæ ſunt.

Primum, hi duo loquendi modi non uidentur differre: Quid, enim aliud ſignificat Antiphraſis, quam contrariam locutionem? & Ironia quid aliud eſt, quã oratio, qua aliquid contrarium ſignificatur?

Dein-

Deinde, de utraq; dubitare licet, an ad tropos, an ad figuras ſententiarum pertineant: & quod in ſchematum numero poni debeant, id ſuadere uidetur, quod per hos loquendi modos aliquam modificatam, & integram enuntiemus ſententiam: ut ex ſubijciendis patebit exemplis.

Præterea, Antiphraſis uidetur pertinere ad Analogiam, ſiue Etymologiam, quæ nominum ſimilitudinem, & originem conſiderat: quare, non erit numeranda in tropis, nec eius explicatio ad Rhetorem, ſed ad Grammaticum pertinebit.

Denique, Ironia eſt fictio, & ſimulatio quædam: at omnis ſimulatio, & fictio damnari ſolet: igitur in uitijs reponenda erit. Atque ex multis dubitationibus, quas in medium afferre potuiſſem, haſce attuliſſe ſufficiat.

Quod attinet ad ſcriptorum ſententias: quidam has figuras in tropis ponunt; quidam ad ſchemata reijciunt: quidam uero in utroque ordine collocant. Rurſus, quod attinet ad Ironiam, aliqui dicunt ſemper continere illuſionem, alij uero contra ſentiunt. Denique aliqui faciunt Antiphraſim Ironiæ ſpeciem: alij uero ab ea ſeiungunt. Vt autem allatis dubitationibus ſatisfaciamus, duo nobis prænotanda ſunt.

Tri-

Primum, Etymologia, ut Grammatici docent, nihil aliud eſt, quam uocis ratio, qua docetur quo pacto una uox ab alia ducatur, & procreetur. Quæ deductio, uel fit a ſimili uoce per analogiam, ſimilitudinemque; ut ſi dicas, ſellam dictam eſſe quaſi ſeddam, a ſedendo, & locupletem, quod ſit locorum plenus, & curam, quod cor urat: uel a contrario, ſiue diſſimili, cuiuſmodi hæc afferri ſolent exempla. Bellum dictum eſt, quod minime ſit bellum, lucus quod minime luceat, Parcę, quod minime parcant. Verum alij aliunde has uoces ductas arbitrantur: bellum, quaſi duellum, ideſt duorum bellũ: lucus a luce, quæ in ſacrificijs adhibetur: Parcæ, quia parcunt, cum e tribus una tantum filum recidat. Sed quidquid de his ſit, certum eſt quaſdam uoces a contrario duci. Nam Græci quas Erinnyas, quod mentem corrumpant, prius dicebant, poſtea Eumenidas appellare maluerunt. Morus arbor, quod non ſit ſtulta arbor, cum omnium poſtrema germinet, & cito fructus ferat. Schola, ideſt otium græce, Latine ludus, quod ab omni otio & ludo ſit aliena. Illa itaque uox, quæ a contrario ducta, cõtrarium ſignificat, ad Antiphraſim pertinere putatur; quamuis non ſemper in uoce a cõtrario ducta ſpectetur; Si quod aliqui de hoc tropo agentes ſcribunt, ſpectemus.

Pier.

Deinde,

Deinde, notandum eſt, quamuis illud diſcriminis a quibuſdam inter ſimulo, & diſſimulo ponatur, quod diſſimulare, ſit eorũ, quæ ſunt, ſimulare eorum, quę non ſunt, & ita diſſimulamus uera, ſimulamus falſa: tamen, ſi ſimulatio & diſſimulatio uniuerſe ſumantur, quatenus in utraque falſum dicitur, vnum pro alio poni poterit. Siquidem tam falſum dicit, qui uocat Catilinam ironice bonum uirum, quam qui Catonem, non bonum uirum. Quo fit, ut Ironia, in qua aliud uerbis dicitur, aliud ſignificatur, merito ſimulatio & diſſimulatio uocari poſſit, ac uocetur. Quę, licet illud habeat cum Allegoria commune, quod aliud dicat, aliud ſignificet: tamẽ in eo differunt, quod per Allegoriam potius quiddam diſſimile, per Ironiam uero contrarium ſignificatur. Nec propterea idem eſt cum Antiphraſi, quia hæc in uno uerbo, illa uero in ſentẽtia conſiſtit. Cuius tres modos ponit Fabius: unum per Confeſſionem; ut, cum in Ligariana Tullius ait, Habes igitur Tubero, &c. Verum hic nulla eſt ſimulatio, ſed rei uere geſtę narratio: alterum per Conceſſionem: ut, Virgarum metum Nauarchus redemit; humanum eſt: quod ironice dicitur: tertium per Conſenſionem, cum crimen aduerſarij laudamus, ut grauius premamus: & cum ſuademus aliquid, ut diſſuaſione, Fab. Demet. Phal.

ſionem, quā propoſitam habemus per ductum inflexum conſequamur. Quo modo Iuno ſuadet Veneri Aeneæ commoda in Africa, ut a profectione in Italiam reuocet. Sed dicet aliquis, quomodo per has figuras poßumus percipere contrarium ſenſum, cum uerba id repræſentent, quod ſignificant? Huic dubitationi in ipſis poſitionibus ſatisfaciam, ad quas, his notatis, accedo.

Prima poſitio, Tropus, quem græce Antiphraſim uocant, Latine, Contraria dictio, ſiue locutio dicitur: unde Mancinellus,

Antiphraſis, uox eſt ſignans contraria dicto.

Cur autem ſic uocetur, patet ex ijs quæ primo loco adnotauimus.

Secunda poſitio, Antiphraſis, non eſt idem omnino, quod Ironia. Ita venerabilis Beda, libello de tropis, ut alios omittam: ubi ait Antiphraſim non uoce pronunciantis, ut Ironia ſignificare contrarium, ſed ſuis tamen uerbis, quorū eſt origo contraria. Quare, licet Antiphraſis, ſi uim uocis ſpectes, poſſit Ironicæ locutioni aptari; ut contrariam locutionem deſignat, tamen, in præſentia, non pro contraria ſententia, ſed pro uoce ex contrario ducta, & contrarium ſignificante, ſumitur.

Tertia poſitio, Antiphraſis eſt tropus, quo

unica dictione contrarium ſignificatur: uel dictio e contrario ſignificans: uel ut alij uolunt, unius uerbi Ironia. Hęc poſitio patet ex doctrina primo notando explicata. Ex quibus colligeres, Antiphraſim non eſſe numerandam in tropis orationis, ſi qui ſunt, & multo minus in utroque ordine ponendam, ut quidam faciunt. Nec me latet eſſe quoſdam, qui huc reuocant illos loquendi modos per Catachreſim, quibus uitium pro uirtute ponitur. Suſem.

Quarta poſitio, Antiphraſis, ut quibuſdã placet, duobus fit modis: uno per priuationẽ: ut ſi dicas, illaudatus, pro cõtemptus; & innabilem Stygiam paludem: altero per æquipollentiam, ſeu iſodynamian, ut ſi, pro doluit, dicas non lętatus eſt. Contrarium poſuit Terẽtius, auctore Donato, cum ſeruitutem dixit pro dominatu: & Romani uitandi ominis cauſſa hoſpitem, hoſtem uocabant. Don.

Quincta poſitio, hic tropus ducitur a loco Etymologiæ, ſiue contrariorum: ualetque ad uituperandum, & illudendum, Ironiæque inſeruit: de qua has alias ſubijcio poſitiones.

Sexta poſitio, Ironia eſt uox græca, Latine ſimulatio, diſſimulatio, diſſimulantia, illuſio, & irriſio; ſicuti, iron, cauillator, ſimulator, diſſimulator, & irriſor.

Septima poſitio, Ironia eſt tropi ſpecies.

N Eſt

Eſt hæc poſitio pro communi ſententia, in qua Fabius, & ante ipſum M. Tullius; de qua in tertio oratorio ita loquitur, Hæc maxime irrepit in mentes alia dicentis, alia ſignificantis diſſimulatio: quæ eſt periucunda, cum in oratione non contentione, ſed ſermone tractatur. Si igitur per Ironiam aliud dicitur, aliud ſignificatur, tropus profecto erit. Quare, non ſibi conſentit Fabius, qui uno in loco in tropis reponit, alibi in ſententiarum figuris collocat.

Lib.8. ca. ult.

Lib.9.c.2.

Octaua poſitio, Ironia non eſt Allegoriæ ſpecies. Eſt hæc poſitio contra eundem Fabium, & multos alios, qui eum ſequuntur: quam hæc firmiſſima communit ratio: quoniã Allegoria non eſt tropus ab alijs ſeparatus, Ironia autem maxime, igitur: illa ex ſimilibus ut plurimum ducitur, hæc ex diſſentaneis tantum.

Nona poſitio, Ironia eſt tropus a contrario in contrarium: cum ſcilicet uoce aliquid pronuntiamus, & contrarium ſubintelligi uolumus, ut in hac oratione, Id populus curat ſcilicet: & in hac, Ille bonus uir nobis pſaltriã (ſi Dijs placet) parauit. Hanc itaque uim habet hic tropus, ut uideamur laudare, cum uituperamus, hortari, cum dehortamur, ſignificare maius, cum minus, facile, cum difficile, uerum, cum falſum, ſimilia, cum diſſimilia, dicimus.

Ter. in Andr. act. 1. Sce. 2.

Adel. act. 3. Se. 4.

mus, & cauſſam quæ non eſt, pro cauſſa affer re: Siue id negando, ſiue confitendo, ſiue defen dendo, ſiue accuſando, iraſcendo, metuendo, optando, gaudendo, miſerendo, permittendo, probibendo, & quouis alio modo fiat.

Decima poſitio, Ironia non continet ſemper illuſionem irriſionẽ ue aduerſarij. Et ideo non placent ij, qui eam definientes, illuſionem eſſe aiunt: fit enim interdum ſola diſſimulatione: ut ſi quis ironice loquendo, modeſtiæ gra tia, quæ in ſe habet bona, ea diſſimularet. Quod hoc loco affirmamus, nonnulla demonſtrabunt exempla, quæ paullo poſt afferemus. Fab.

Vndecima poſitio, Ironia, ex quorundam ſententia, diuidi poteſt in affirmãtem, & negantem. Hæc eſt affirmans, Heus bone uir, curaſti probe: Hæc uero, qua Africanus uſus eſt in centurionem abſentiam a pugna ex cuſantem, quod ad cuſtodiam in caſtris reman ſiſſet, Non amo nimium diligentes, negans: quo aliqui referunt iſtas, Non agam tecum iu re ſummo: non dicam quod fortaſſe obtinerem. Putant enim in præteritionibus contine ri Ironiam; ut cum dicitur, prætereo, omitto. Tal. Ter. in Eun. Ver. 1.

Quid memorẽ infandas cædes? quid facta tyranni
Efferam? Aen. li. 8.

Rurſus eam diuideres in ſimplicem, & conti-

nuatam. Symplex eſt, quæ unicam continet
Ver.7. *Ironiam, ut iſta, Quid ais bone cuſtos defenſorque prouinciæ? & hæc;*
I nunc, & reb. nimium confide ſecúdis.
Continuata eſt, in qua plures frequentantur Ironiæ: quæ multam gratiam ſecum affert, ut in his patet exemplis. Senator populi Romani, ſplendor ordinis, decus atque ornamentum iudiciorum, exemplar antiquæ religionis. (Pro Cæcin.) *Item, Luget ſenatus, mæret equeſter ordo, tota ciuitas ſenio confecta eſt:* (Pro Mil.) *Et apud Virgilium,*

Aen.4.
Egregiam uero laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque puerq; tuus: magnū & memorabile numen,
Vna dolo diuum ſi fœmina uicta duorum eſt.

Vbi & uocis, & rei magna eſt diſſenſio, ſi uerba recte pronuntientur, quod eſt in Ironia omnino neceßarium.

Duodecima poſitio, oratio quæ Ironiā continet, niſi pronuntiatione, uultu & geſtu iuuetur; non ſolum frigeſcit, uerumetiam id affirmat, quod negat, & id laudat, quod uituperare debet: Vt ecce,

Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine uites.

quę ſi ſine geſtu & ſimulationis nota ſenſum contrarium facit. Quare, Ironia pronuntiatione potiſſimum elucet, ac etiam alicuius uerbi, & contrarij adiunctione; ut ſi dicatur, is nos docebit, qui nihil didicit unquam. Et denique perſonæ, ſeu rei natura, de qua habetur ſermo.

Decimatertia poſitio, uerba quæ in Ironia adhibentur, ſunt fere iſta: ſcilicet, uidelicet, uero, quaſi, quaſiuero, credo, ſane, ita ſane, ſi dijs placet, & horum ſimilia.

Decimaquarta poſitio, Ironia ſuo loco poſita, multas utilitates habet. Ob acumen dicentis ingenium commendat: ob ſales gratiamque delectat: uim habet maximam ad reſiſtendum, refellendum, laceſſendumque: ad riſum mouendum plurimum confert; cum, ut quidam ſcribunt, riſus ex hac una eliciatur figura; a qua omnia ſcommata, de quibus ſequenti diſputatione agemus, proficiſci multi arbitrantur. Denique, ne plures huius figuræ utilitates percenſeam, ad orationem dilatandam ualet; cum quæ ſine Ironia dicta ſunt, per Ironiam enuntiare liceat: Vt ecce, non magnam laudem adeptus es, egregiam uero laudem adeptus es: non id curat populus, id ſcilicet populus curat. Vtimur autem Ironia, non ſolum in laudationib. & ſubſannationi-

bus, ſed etiam in admirationibus, querelis, precationibus, & deprecationibus: unde uariæ oriuntur Ironiæ ſpecies, ut quidam exiſtimarunt.

Lul.

Decimaquinčta poſitio, Ironiæ uſus ex ſe, non eſt malus, nec in uitijs numerandus. Nã in ſacris literis quædam referuntur a Deo, & a Chriſto per Ironiam dičta: ut illud, ecce Adam, quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. Et illud, Dormite iam, & requieſcite. Et Socrates, qui Apollinis iudicio hominum ſapientiſſimus habitus eſt, ob huius figuræ congruentem uſum laudatus, & εἴρων appellatus fuit. Sane ferunt, inquit Cicero, Socratem in hac Ironia diſſimulantiaq; longe lepore, atque humanitate omnibus præſtitiſſe. Et alio loco, De Græcis, dulcem, & facetum, feſtiuique ſermonis, atque in omni oratione ſimulatorem, quem εἴρωνα Græci nominarunt, Socratem accepimus. Et ut huic diſputationi ſit finis, ad allatas rationes breuiter reſpondebo.

Gen. 3.

Cic. 2. Acad. quæſ.

Li. 2. orat.

Li. 1. offic.

Prima, qua ratione ſit accipienda, ex ijs, quę poſuimus, & probauimus planum eſt: ac proinde nihil ſpeciatim ſubijciam. Ex quibus etiam patet ad ſecundam.

Quod attinet ad tertiam, non eſt huius loci multa de uerborum Analogia, & Notatione,

ne, etymoue diſſerere, de quibus conſulendi ſunt Grammatici: Ideo autem Antiphraſis ad hunc locum, & ad Rhetorẽ pertinet, quia in ea aliqua cernitur conuerſio, ſiue mutatio, in qua tropi uis ut ſupra docuimus, conſiſtit. Emman. li. 1. Gell.

De ultima, falſum eſt, fictionem eſſe ſemper uitium: immo ironica dictio, non ſolum in bene dicendi, ſed etiam in honeſte uiuendi ratione, cum uirtute uſurpatur, ut ex ijs, quæ docuimus, eſt manifeſtum.

De Adagijs, ſiue Parœmijs, & Sarcaſmis. Diſputatio XV.

E*A de cauſſa hoc in loco de Adagijs, quæ a Græcis Parœmiæ uocantur, et de Sarcaſmis, quæ Latini, dicta, appellant, ſcribere uolo, quod illa fere ſemper Allegoriam, hæc uero Ironiam contineant. An uero, tam Parœmiæ, quam Sarcaſmi in tropis ſint ponendi, & an ſint troporum ſpecies ab alijs diſtinctæ, & ſi ſint, an ſub alijs contineãtur ſpeciebus, nolo in præſentia diligentius in utranque partem diſſerẽdo inquirere. Quid igitur alij ſenſerint, quid tenendum ſit, breuiter docebo, et quæ magis cognitu digna ſunt, quibuſdam poſitionibus manifeſtabo, & quidem*

priore loco de Paræmijs agam.

Prima poſitio, celebre dictum, a Græcis Paræmia uocatur, quaſi dicas obuia oratio et ſententia; a Latinis Adagium, quaſi, abagium, ab ambage, teſte Varrone, quia ambit orationem, neque in una aliqua re conſiſtit: ſiue, quaſi circumagium, quod paſſim per hominum ora uagetur: & Prouerbium, quaſi omnibus commune uerbum. Vel ut alijs placet Paræmia, non a uia, quaſi ſit trita, & parodica ſententia, ſed a uerbo, ita, ut οἶμος, *unde ducitur, potius uerbum, quam uiam ſignificet: ut ex latina uoce colligere licet, et prouerbium, dictum ſit, quaſi ad uerbum, & præter primum, & commune uerbum, ſiue uerbi ſenſum, ſignificationemue. Sicuti etiã Proœmiũ dicitur, quaſi pręter, uel ante orationem, non ante uiam.* Var.

Donatus. *Secunda poſitio, Paræmiæ definitio a Donato tradita, non uidetur bona: Paræmia, inquit ipſe, eſt accommodatum rebus, temporibuſque prouerbium. Quæ deſcriptio non minus inepta eſt, atq; eſſet iſta, qua Anthropos, ideſt homo definiretur, Anthropos eſt ratione utens homo: ut omittam nonnullas alias rationes, quibus refelli iure poſſet. Nec etiam probatur illa, quam tradidit Diomedes, Paræmia eſt prouerbij uſurpatio: quare Paræmiæ*

non

non erit Prouerbium ex Diomede, ſed Prouerbij uſus: ut ſi definiens hippum, ideſt equum, diceres, Hippos eſt, equi uſurpatio. Minus ẽt bona eſt illa, quam quidam dedit, cum dixit, Celebre dictũ ſcita quapiã nouitate inſigne, Quoniam hæc finitio cuique conuenit ſententiæ, cum tamen ſententia, proprie loquendo, non ſit idẽ, quod Prouerbium: cũ ſentẽtia, ſit dictum quoddam ſimplex & apertum; ut eſt illud, Simile appetit ſimile. Ex quibus quaſdã alias definitiones, quæ potius ſententiæ conueniunt, facile refelleres, in quarum confutatione immorari nolo. Alij igitur hoc pacto Paræmiam ſiue Prouerbium, & Adagiũ, quod ſic dictum putant, quod a propria ſignificatione agatur, ad aliud ſignificandum, definiunt, Paræmia eſt oratio uulgata, allegorica, ſiue ad aliud alludens: ut ſunt iſtæ, Canis caninã non eſt: Anſer inter olores: Phryx plagis melior fit: Sero ſapiũt Phryges. At uero nõnulli Prouerbium, quod ab Ironia duci arbitrantur, hunc in modum deſcribunt, Prouerbium eſt ſententia generalis, cũ figura Ironiæ paucis concepta: Et ita eos reprehendunt, qui dicunt eſſe ſolam Parabolam. Itaque in Prouerbio aliquid aliud affirmatur, quam in uerbis ſignificatur. Cum enim dico, Vinum dioptra, uel, In uino ueritas, non ita ſentio, quaſi

Alex. Scal. Lul. lib. 4.

in populo ſit miſta ueritas; ſed quod ebrij, quæ ſi cum uino ueritatem ebiberint, uera ſecreta que omnia effutire ſoleant. Similiter, cum dicitur, Oculus in ſceptro, Faſces, faſces, gloria crocodilus, & cum Heſiodo, Dimidium plus toto. Erit itaque Parœmia generalis ſententia uerbis non proprijs cum Ironia elata. Cæterum, breues quoque ſententiæ abſque Ironia, ſiue allegoria, & alluſione, in prouerbium adſcitæ fuerunt; ut ſunt iſtæ, Velle inſtar omnium: ſapiens ſolus longæuus, Ne quid nimis: Turpe eſt dicere, non putaram: Antidotum uitæ patientia: quę, re uera, prouerbia non ſunt, ſed ſententiæ prouerbiales.

Suſem. *Tertia poſitio, ad Parœmiæ conſtitutionem hæc requiruntur. Primum, ut ſit dictum celebre & uulgo iactatum. Deinde, ut a communi hominũ ſermone aliqua rõne diſcernatur, & antiquitate, & eruditione commendetur.*

Quarta poſitio, Parœmiæ uſus plurimum ualet in familiaribus colloquijs, & in epiſtolis, quibus nonnihil uenuſtatis ac uoluptatis affert; modo apte, & ſuo loco adhibeantur: crebrior enim uſus affectatum obſcurumque ſermonem reddit. Quod ſi parœmia minus apta uideatur, mollienda erit, dicẽdo, ut aiũt, ut eſt in prouerbio. Valet etiam in conſilijs dandis; quæ interdum tanquam locus communis

munis tractari poſſet. Ex omnibus autem Pa rœmiis illæ uenuſtiores cenſentur, quæ illuſtrē aliquam continent metaphoram, uel tropum aliquem. Atque de Parœmia hęc dixiſſe ſuffi ciat: plura libro quarto, cum de ſententijs agam dicturus. Antequam autem in altera hu ius diſputationis parte aliquid de ſpeciebus, quas multi Ironiæ ſubijciunt, ſcribo, quid de hac re uir quidam doctus ſenſerit, quæ ipſe fu ſe, & non ſatis plane docuit, colligendo, breui ter perſpicueq; aperiam. Ironiam, diſſimulationem eſſe ait, hoc eſt, ut exiſtimo, alluſionē, & inſinuationem alicuius ſententiæ quam (li cet uerbis non exprimamus) ſubintelligi uolumus. Et quia in Hyperbole, & Allegoria, talis continetur ſententia, ideo hæ duę figuræ non tropi, cum tropus in una conſiſtat dictione, ſine ulla ſimulatione, ſed ſchemata ſunt, ſicut & ipſa Ironia: ex qua tanquam ex fon te omnis oritur riſus: ſub quo continetur quid quid per dicacitatem ſeu inſectationem, leporem, & urbanitatem dicitur. Dicacitas, eſt quicquid ad laceſſendum profertur: facetiæ, & ſales, omnis ſermo hilarior: Vrbanitas uero, cum ex ſerio & graui, tum ſoluto & molli ac proinde etiam modeſto genere cōſtet, non eſt ab alijs duobus ſeparata. Iocus in decipiendis expectationibus conſiſtit, quem Grę

Lul lib. 4. cap. 11.

ci

ci paradoxon, & hypomonin, id eſt ſuſtentationem uocant, Demetrius, Griphon. Quare tres facit ſimulationum ſpecies, diaſyrmum, charientiſmum, & aſtyſmum, uel aſteiſmum, Latine, inſectationẽ, leporem, & urbanitatem diceres. Inſectationem partitur in cauillum, & dictum, quod Græci ſcomma appellant. Hoc breui, & acuta conſtat dicacitate: ille eſt fuſus, & æquabilis apparet in tota oratione, uel eius parte. Scõma ſubdiuidit in mycteriſmum, & ſarcaſmum. Cauillum ſiue ſophiſma in epicertomeſin, & in chleuaſiam ſeu Chleuen. Vnde quattuor facit Ironiæ ſpecies, Allegoriam, hyperbolem, amphiboliam, uel ut ipſe loquitur, amphibologiam, & paragramma, hoc eſt uerborũ, ſenſuum ue deprauationem: quæ ex quattuor ſumitur locis, cum per contraria, ſimilia, relata, maiora, & minora fieri poſſit. Denique, docet ex ironia, non ſolum riſus, ſed etiam prouerbia proficiſci. Prouerbium autem eo mõ definit, ut ſupra in ultima definitione diximus. Sed iam ad has ſingulas loquẽdi formas, ſiue tropi, ſiue ſchemata ſint, explicandas tranſeamus. Quod autem in numero figurarum poni debeant, ex eo patet, quod ſint loquendi modi a communi uſu remoti, & arte gratiaque non careant. De his ergo has ſtatuo poſitiones.

Pri-

Prima poſitio, Sarcaſmos uox eſt gręca, ducta a uerbo σαρκάζειν, quod eſt ringi, ſiue ringere, uel rictum inſtar canis diſtendere: Et ita ſignificat amarulenter, ſeu cum aliqua iræ ſignificatione irridere: quæ irriſio non minorem audienti dolorem affert, quam carnis laceratio: quoniam graue aliquid, fœdumque obijcit, nec riſum, ſed offenſionē propoſitam hēt. Alij uero ſic dictū putāt, quod ſarx, latine caro, proprie de cadauere, aut ſtatim morituro, dicatur: unde carnifex, qui carnē facit: et qa hæc irriſio in uictos, uel mortuos, uel mox morituros uſurpatur, ideo ſarcaſmus dicitur. Latini minus ſignificanter, inſectationem dixerunt: ac proinde pręſtat uocabulo græco uti.

Secunda poſitio, Sarcaſmus, eſt iocus cum amaritudine, ſiue irriſio quędam amarulenta, plenaue odio hoſtilis irriſio: hoſtilis inquam ſubſannatio, qua uictor uicto, aut hoſti inſultat, uel calamitatem exprobrat, unde frequenter poſt uictoriā uſurpatur: Vt, Turnus in Eumedem apud Virgilium: Aen.12.

En agros, & quā bello Troiane petiſti
Heſperiam, metire iacens, & cęt.

Item apud eundem,

I nunc, & uerbis uirtutē ill. de ſuperbis.

Item apud eundem,

—— Referes ergo, & nuncius ibis, Aen.Li.2.

Peli-

Pelidæ genitori, illi mea triſtia facta.
Et in ſacris literis, ſperauit in Domino, eripiat eum: Aue Rex Iudæorum. Similes illi fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis: quo ſarcaſmo, cum aliquando Iulianus ſe laceratum fuiſſe exiſtimaſſet, grauiter uerberauit Virgines, quas hunc uerſiculum canentes transeundo audiuit, iuſſitque ne amplius canerent: cuius imperio illę minime paruerunt: uerum hoc exemplum, etiam ad urbanitatem, uel Diaſyrmum reuocares. Ex quibus intelligeres ſarcaſmum eſſe poſſe ſine Ironia.

Niceph. li. 10. c. 11.

Tertia poſitio, Mycteriſmus, narium corrugationem ſignificat, & quaſi naſi ſuſpenſionē. Mycter enim, Iulio Polluce auctore, naſum deſignat, quem olim ſubdolæ irriſioni dicatum fuiſſe legitur. Vnde apud Perſium, ſuſpendere naſo, eſt ſimulate, ſed non obſcure irridere. Ideo naſuti & naſum habere dicuntur homines natura ironici. Quidam, latine ſubſannationem uocant.

Quarta poſitio, Mycteriſmus eſt ſimulata quidem, ſed non latens deriſio, quæ magis geſtu, quam uerbis exprimitur; quo fit, ut eius exemplum ſolum re ipſa dari poſſit. Quidquid igitur cōtractis naribus irridendo dicitur, Myctériſmus erit: cum ſcilicet naſu ſuſpenſo quēpiam faſtidimus, & tanquam a tergo ſubſannamus

namus atque contemnimus.

Quinƈta poſitio, epicertomeſis, quem cauillum, aliqui Mordacitatem appellant, eſt ironia quędam, per quam cum riſu perſonam eludimus: Vt, ſi cuipiam dicas, ſtrepit anſer inter olores: aſinus ad lyram: execrabatur ſacerdotem, qui talem Verrem reliquiſſet. In hoc differt, ut Rufinianus ait, a Sarcaſmo, quod Sarcaſmus acrior ſit morſus, quo fœdiora obijciũtur. Eſt itaque hic loquendi modus ſpecies Diaſyrmi, hoc eſt uexationis extra cædem; quo iocantes aduerſarij diƈta diluimus; ut in Mureniana totus ille in Sulpitium de iure ciuili locus: uel perſonam eleuamus, ut cum dicitur, Num & Saul inter prophetas? Quod ſi res ipſa extenuetur, & in contemptũ ducatur, Exuteniſmus dicitur: Vt, epiſtolis bellum gerit: populus iſte labijs me honorat. Eludit itaque Diaſyrmus, irridet, obijcit, & inſultat, ut aduerſarij auƈtoritatem imminuat: ut, Cum faƈto opus eſt, loqueris: & apud Virgilium, Rufin.

Larga quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi
Tunc, cum bella manus poſcunt, patribuſque uocatis
Primus ades; ſed non replenda eſt curia uerbis.

Sexta poſitio, Aſtyſmus, uel aſteiſmus, la-

tire.

tine, Vrbanitas, eſt urbanus, ac facetus iocus; uel longe ſæpe petitus ac inexpectatus de re aliqua abſurda iocus: uel faceta urbanitas ruſtica ſimplicitate carens, facetum ſcilicet & ciuile ſcomma. Vt eſt illud apud Virgilium:

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui;
Atque idem iungat uulpes, & mulgeat hircos.

Lud. Viu. in hunc locum.

Hoc eſt, qui Bauium poetam non bonum amplectitur, exoſculetur etiam Meuium poetam multo peiorem, & quæ abſurda, & contra naturam ſunt, faciat. Huc pertinet, quod Nero in ſeruum furacem dixit, Nihil eſſe ei clauſũ, neque ſignatum. Vrbanitas ergo ſola feſtiuitate & ingenij acumine delectat; & ad auditorum uoluptatem inſtruitur, abſque magna affectatione inſectandi. Et ideo utitur metaphoris acutiſſimis, & deceptionibus, prouerbijs, & verborum ſenſuumq. deprauatione. Quare, qui hoc ſalis genere uti uoluerit, is ingenio acuto eſſe debet, & dicendi dexteritate præſtare. Sunt qui Aſtyſmum leporem uocent, dicuntque leporem non eſſe in uerbis, ut multi exiſtimant, ſed in ſententia: unde Cicero, facetiarum leporem, & in iocando lepos, dixit.

Septima poſitio Charientiſmus, ſic a gratia dictus, latine lepos, eſt cum dura & acerba

dicta

dicta gratioſis & mollioribus uerbis mitigan- Bedæ.
tur, & molliuntur: ut ſi cum Dauo, piſtrinum deprecando diceres, Bona uerba quæſo. Charientiſmus ergo, quod durum uideri poteſt, mollit, uel minuit: Ariſtoteles hypocriſmon appellat: Vt cum dicitur, Non in doctus homo: quo aliqui referunt, illum tropum, qui pro fuga, peregrinationem, pro petulanti, hilarem ponit. Vtimur Charientiſmo, quando hominem ira commotum ac perturbatum uerbis le-nire percupimus. Nam, ut ſapiens ait, Reſpõſio mollis frangit iram. Verba, quibus in Charientiſmo utimur, ſunt fere iſta: Bona uerba quæſo, bene ominare, & ut Plato dixit, Lib. 1. de rep.
εὐφημεῖν*, uel ominata loquere: meliuſue ominare: Dij meliora, abſit, Deus auertat, prohibeat hæc Deus. Sunt tamen qui dicant, eſſe ſcomma cum amœnitate mordax.*

Octaua poſitio, Cheue, ſiue Cheleuaſmos, quam uocem aliqui non approbant, eſt iocus, qui per deceptionem irridet: ita, ut qui audit, merito poſſit quærere, Men' ergo ludis? Qui potiſſimum in decipiendis expectationibus, & in animis ſuſpendendis, addita inexpectata ſententia, deprehenditur. Vt fecit amicus quidam, qui cum multos iuuenes facetijs fabuliſque detineret, propoſita hac quæſtione, quam Medici de Iecoris natura tractare ſolent, mul-

gis in utramque partē diſputatis, tandem con cluſit, Fegato, non e altro che fegado.

Nona poſitio, Mymeſis, latine Imitatio, cum alterius geſtus, aut uerba per imitationem non ſine aliqua Ironia referuntur; cuiuſmodi eſt illa in diuinis literis, Tunc di-
Pſal. 125. *cent inter gentes, Magnificauit Dominus facere cum eis; hoc eſt res magnas cum iſtis fe*
Frāc. Vat. *cit: Magnificauit Dominus facere nobiſcū, facti ſumus lætantes, hoc eſt, Dominus res maximas nobiſcū, ſiue noſtra cauſa egit, noſq. læti facti ſumus.*

De Antonomaſia, Periphraſi, Hyperbole, & Onomatopœia. Diſputatio XVI.

*Q*Vę hac diſputatione explicanda propoſuimus, dictionis, orationiſue figuræ, ab alijs diſtinctæ, uel nō, uel oīno a figuris reijciendæ ſint, nec ne, accuratius examinare nolo, cū ex ijs, quæ hactenus ſcripſimus, ſatis aperte iſta omnia explicari poſſint. Ideo autem hoc loco de eis agēdum putauimus, uel quod figuram dictionis ſapiant, & ex illis ut plurimum fiant, uel etiam quod nouas dictiones nobis ſubminiſtrent. Rem igitur aggredietes, de Antonomaſia has poſitiones affero.

Prima poſitio, Antonomaſia, latine Pronominatio, eſt quædam nominis permutatio, ſiue fictio; qua alicui, quaſi cognomen quoddam conueniẽs, tribuitur, cum. ſ. loco nominis aliquid aliud ponitur: Vt, ſi pro Roma, urbem dicas, & pro ſapiente, Catonem.

Secunda poſitio, Antonomaſia his modis fieri poteſt. Primo, cum patronymica loco propriorum ponuntur: ut, Priamides, pro Hectore, aut pro certo Priami filio, Romulides pro certo Romano: qui modus ſolis Poetis eſt permiſſus. Secundo, cum poſseſſiua quædam patriæ, uel gentis nomen, pro proprio uſurpatur; quod etiam Oratoribus eſt conceſſum: ut, Cytherea, aut Cypris pro Venere, Saturnius, pro Ioue, Cyllenius pro Mercurio, Stagirites pro Ariſtotele, Arpinas pro M. Tullio, & Mantua pro Virgilio. Tertio, per epitheton, quo modo tam Oratores, quam Poetæ libere utuntur; ut, Thalamo, quæ fixa reliquit: Impius, pro Aenea, ſenes pro perſona Aen. 4. *heri apud Terentium. Quarto, cum appellatiuum ſtudij, artis, officij, aut dignitatis, locum proprij nominis per excellentiam obtinet: ut Philoſophus, pro Ariſtotele, Poeta pro Virgilio, Cæſar pro Carolo, Apoſtolus, pro Paulo, & Saluator pro Chriſto. Quincto, cum propria nomina pro appellatiuis ob affectum*

tis in utramque partẽ diſputatis, tandem conclusit, Fegato, non e altro che ſegado.

Nona poſitio, Mymeſis, latine Imitatio, cum alterius geſtus, aut uerba per imitationem non ſine aliqua Ironia referuntur; cuiuſmodi eſt illa in diuinis literis, Tunc dicent inter gentes, Magnificauit Dominus facere cum eis; hoc eſt res magnas cum iſtis fecit: Magnificauit Dominus facere nobiſcũ, facti ſumus lætantes, hoc eſt, Dominus res maximas nobiſcũ, ſiue noſtra cauſa egit, noſq. læti facti ſumus.

Pſal. 125.
Frãc. Vat.

De Antonomaſia, Periphraſi, Hyperbole, & Onomatopœia. Diſputatio XVI.

*Q*Vę hac diſputatione explicanda propoſuimus, dictionis, orationisue figuræ, ab aliis diſtinctæ, uel nõ, uel oĩno a figuris reijciendæ ſint, nec ne, accuratius examinare nolo, cũ ex ijs, quæ hactenus ſcripſimus, ſatis aperte iſta omnia explicari poſſint. Ideo autem hoc loco de eis agẽdum putauimus, uel quod figuram dictionis ſapiant, & ex illis ut plurimum fiant, uel etiam quod nouas dictiones nobis ſubminiſtrent. Rem igitur aggredietes, de Antonomaſia has poſitiones affero.

Prima poſitio, Antonomaſia, latine Pronominatio, eſt quædam nominis permutatio, ſiue fictio; qua alicui, quaſi cognomen quoddam conueniẽs, tribuitur, cum.ſ. loco nominis aliquid aliud ponitur: Vt, ſi pro Roma, urbem dicas, & pro ſapiente, Catonem.

Secunda poſitio, Antonomaſia his modis fieri poteſt. Primo, cum patronymica loco propriorum ponuntur: ut, Priamides, pro Hectore, aut pro certo Priami filio, Romulides pro certo Romano: qui modus ſolis Poetis eſt permiſſus. Secundo, cum poßeſſiua quædam patriæ, uel gentis nomen, pro proprio uſurpatur; quod etiam Oratoribus eſt conceſſum: ut, Cytherea, aut Cypris pro Venere, Saturnius, pro Ioue, Cyllenius pro Mercurio, Stagirites pro Ariſtotele, Arpinas pro M. Tullio, & Mantua pro Virgilio. Tertio, per epitheton, quo modo tam Oratores, quam Poetæ libere utuntur; ut, Thalamo, quæ fixa reliquit: Impius, pro Aenea, ſenes pro perſona Aen. 4. *heri apud Terentium. Quarto, cum appellatiuum ſtudij, artis, officij, aut dignitatis, locum proprij nominis per excellentiam obtinet: ut Philoſophus, pro Ariſtotele, Poeta pro Virgilio, Cæſar pro Carolo, Apoſtolus, pro Paulo, & Saluator pro Chriſto. Quincto, cum propria nomina pro appellatiuis ob affectum*

ſis in utramque partē diſputatis, tandem concluſit, Fegato, non e altro che fegado.

Nona poſitio, Mymeſis, latine Imitatio, cum alterius geſtus, aut uerba per imitationem non ſine aliqua Ironia referuntur; cuiuſmodi eſt illa in diuinis literis, Tunc di-
Pſal. 125. cent inter gentes, Magnificauit Dominus facere cum eis; hoc eſt res magnas cum iſtis fe
Frāc. Vat. cit: Magnificauit Dominus facere nobiſcū, facti ſumus lætantes, hoc eſt, Dominus res maximas nobiſcū, ſiue noſtra cauſa egit, noſq. læti facti ſumus.

De Antonomaſia, Periphraſi, Hyperbole, & Onomatopœia. Diſputatio XVI.

QVę hac diſputatione explicanda propoſuimus, dictionis, orationisue figuræ, ab alijs diſtinctæ, uel nō, uel oīno a figuris reijciendæ ſint, nec ne, accuratius examinare nolo, cū ex ijs, quæ hactenus ſcripſimus, ſatis aperte iſta omnia explicari poſſint. Ideo autem hoc loco de eis agēdum putauimus, uel quod figuram dictionis ſapiant, & ex illis ut plurimum fiant, uel etiam quod nouas dictiones nobis ſubminiſtrent. Rem igitur aggrediētes, de Antonomaſia has poſitiones affero.

Pri-

Prima poſitio, Antonomaſia, latine Pronominatio, eſt quædam nominis permutatio, ſiue fictio; qua alicui, quaſi cognomen quoddam conueniēs, tribuitur, cum. ſ. loco nominis aliquid aliud ponitur: Vt, ſi pro Roma, urbem dicas, & pro ſapiente, Catonem.

Secunda poſitio, Antonomaſia his modis fieri poteſt. Primo, cum patronymica loco propriorum ponuntur: ut, Priamides, pro Hectore, aut pro certo Priami filio, Romulides pro certo Romano: qui modus ſolis Poetis eſt permiſſus. Secundo, cum poßeſſiua quædam patriæ, uel gentis nomen, pro proprio uſurpatur; quod etiam Oratoribus eſt conceſſum: ut, Cytherea, aut Cypris pro Venere, Saturnius, pro Ioue, Cyllenius pro Mercurio, Stagirites pro Ariſtotele, Arpinas pro M. Tullio, & Mantua pro Virgilio. Tertio, per epitheton, quo modo tam Oratores, quam Poetæ libere utuntur; ut, Thalamo, quæ fixa reliquit: Impius, pro Aenea, ſenes pro perſona Aen. 4. *heri apud Terentium. Quarto, cum appellatiuum ſtudij, artis, officij, aut dignitatis, locum proprij nominis per excellentiam obtinet: ut Philoſophus, pro Ariſtotele, Poeta pro Virgilio, Cæſar pro Carolo, Apoſtolus, pro Paulo, & Saluator pro Chriſto. Quincto, cum propria nomina pro appellatiuis ob affectum*

aliquem ſeu proprietatem proprijs inhærentem, accipiuntur: ut, Verres, pro fure: Sardanapalus, pro molli: Crœſus pro diuite: Craſſus, pro agelaſto: Venus pro formoſa: Ariſtides, pro iuſto. Sexto, cum nationum nomina pro attributis ipſarum ſumuntur: ut Pœnus, pro perfido: Cretenſis, pro mendaci: Pigmæus, pro breui: Phrygius, pro ſeruo. Denique ſunt qui ad Antonomaſiam reuocent denominationes, quæ per dignitates, definitiones, etymologias, & deſcriptionem alicuius præclari dicti, aut facti aſſignantur: ut, Academiæ princeps, pro Platone: Familiæ Stoicæ aßertor, pro Zenone. Ars bene dicendi, pro Rhetorica: auri ſacra fames, pro auaritia: Os aureum, pro Chryſoſtomo: Sapientiæ ſtudium, pro philoſophia: Plurimorũ locorũ poſſeßor, pro locuplete: qui Carthaginẽ euertit, ꝓ Scipione. Sed hos loquendi modos alij ad Periphraſim reuocãt.

Tertia poſitio, Antonomaſia, nõ eſt tropus ab alijs diſtinctus. Patet expreſſe ex allatis exemplis, quæ ad Synecdochen, uel Metonymiam pertinent: Quare nõ erit ab alijs tropis ſeparanda, ut multi faciunt: quod tamen doctrinæ cauſſa fieri poteſt.

Quarta poſitio, Circa Antonomaſiam hæc animaduertenda ſunt. Primum, ne denominatio fiat a re, ſeu perſona ignota. Deinde huius

figuræ

figuræ uſus liberius Poetis, quam Oratoribus conceditur, ut patet ex dictis: his enim non permittitur denominatio a parentibus, a patria, & nominibus poſſeſſiuis ſumpta, aliæ tamen conceduntur. Poſtremo, confert ad copiã, & grauitatem. Atq. de Antonomaſia hæc habui, quę docerem: nunc de Periphraſi, quam multi ad ſchemata reijciunt: Verum ob eam cauſſam hoc loco de ea agere uolui, quod magnam cum Antonomaſia affinitatem habet.

Quincta poſitio, Periphraſis, latine Circuitio, Circũlocutio, loquendi circuitus, fit cum pluribus uerbis, id quod vno, aut certe paucioribus dici poterat, explicatur: Vt, Romanæ eloquentiæ parens, pro Cicerone: humanæ ſalutis auctor, pro Chriſto: Deum pater atq. hominum rex, Ethnici pro Ioue dicunt: Romanæ conditor arcis, pro Romulo.

Sexta poſitio, Periphraſis, ſi eſt tropus, nõ eſt ab alijs diſtinctus. Differt autem ab Antonomaſia, quod in hac ſimplex uox ſimplici cõmutatur: per illam uero uox una pluribus circumſcribitur. Quod ſi ad ſchemata reuoces, in illis erit collocanda, quæ ad orationem amplificandam conferunt, & ad definitionem.

Septima poſitio, Periphaſis, quattuor præcipue modis fieri ſolet. Primo, cum patria, ſecta, ſtudium, facinuſue proprij nominis loco

ponitur: ut, Venuſinus, ſeu lyricus poeta, pro Horatio: Peripateticæ ſcholę princeps, pro Ariſtotele: uoluptatis aſſertor, pro Epicuro: Monſtrorum domitor, pro Hercule: & Troiani belli ſcriptor, pro Homero. Secundo, per etymologiam; cum ſcilicet nominis rationem explicamus: ut, homo cibo uentrique deditus, pro paraſito: literarum magiſter, pro Grammatico. Tertio, notatione, ſeu deſcriptione Rhetorica, cum res aliqua per attributa, & notas ſignaque pingitur: ut, Qui cubito ſe emungit, pro ſalſamentario: Caput uno ſcalpit digito, pro molli homine. Et pro ciconia,

Cādida uenit auis lōgis inuiſa colubris.

Quarto, definitione dialectica, qua quid res ſit oſtenditur: ut, Rationis capax, pro homine: ars bene dicendi, pro Rhetorica: Qui ærariū ciuitatis expilat, pro peculatore.

Octaua poſitio, his præcipue de cauſſis fit periphraſis, eaque utimur. Prima, neceſſitatis cauſſa, cum nimirum, uel nomē deeſt, ut mola aſinaria, pro ſaxo molari: uel ſi eſt, ignoratur: & cum obſcuriores auctorum loca explicamus: & in auctoribus uertendis. Secunda, ad honeſtatem ſeruandam: ob quam cauſſam, ad requiſita naturę dixit Salluſtius, & diuus Cyprianus de circumciſione loquens, Voluptatum ſeminarium, & libidinum officinam. Tertia,

co-

copiæ, uel ornatus, gratia, quo modo Poetæ anni partes ſæpe latiſſime deſcribunt: Oratores paullo preſſius. Sed modus eſt adhibendus, ne migret in uitium Periſſologiæ: neque uſus ſit immodicus, ne in Aſiatiſmum, is qui dicit, labatur.

Sed iam de Hyperbole agamus, de qua non nihil dubitare licet. Primum, Hyperbole non in tropis, ſed in figuris orationis uidetur ponẽda, cum nihil uertat, & proprijs fiat uerbis orationemque amplificet & augeat. Deinde, non uidetur figura diſtincta ab Auxeſi et Meioſi, quę rem augent, quod etiam Hyperbole facit. Denique, eius uſus uidetur omnino dãnandus, cum ſemper falſitatem contineat: ut cum dicitur, It clamor cælo, ſole lucidior, teſtudine tardior, quæ omnia falſe dicuntur. Quid autẽ ad has difficultates reſpondendum ſit, huius figuræ naturam quibuſdam poſitionibus explicando, plane patefaciam.

Nona poſitio. Hyperbole, latine, ſuperlatio, eminentia, exceßus, & ementiens ſuperiectio, quam Cicero deſcribens: ait eſſe Traiectionem minuendi, augendiue cauſſa repertam. Eſt ergo hyperbole, cum res iuſto altius uocabulo attolitur, uel deprimitur: uel oratio quæ augendo minuendoque fidem ſuperat. Vt, ſi augendi cauſſa dicas, Melle dulcior, niue candi-

dior, ſpongia bibacior, plus millies audiui: Quibus tanquam gradibus, mihi uideor in cœlum aſcendiſſe, non in patriam reuertiſſe. Et apud Virgilium Corydon,

Cādidior cignis, hedera formoſior alba.

Ci. pro domo ſua. Eclog. 7.

Minuendi cauſſa, teſtudine tardior, uix oſſibus hæret, Codro pauperior: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum, ut in diuinis literis dicitur. Ideo quidam duas faciunt Hyperboles partes: quarum vna minuitur, altera augetur id, de quo eſt ſermo.

Decima poſitio, Hyperbole potius ad ſchemata, quam ad tropos pertinet. Eſt enim veluti quidam orationis habitus ac geſtus, in quo ſchematis natura eſt ſita, vt ſequenti diſputatione dicemus; & ſępiſſime in uerbis proprijs fit. Ideo autem in tropis a quibuſdam numeratur, quod plus minuſue ſignificet, & in aliquid aliud traducat, quod eſt tropi proprium. Minus placent ij, qui tropi audaciam appellant. Sed per me cuique liceat eam ſequi ſententiam, quam uoluerit.

Vndecima poſitio, Hyperbole non eſt eadē figura cum Auxeſi, & Meioſi: Quoniam hæ ita rem augent, aut minuunt, ut fidem non excedant, quam excedit Hyperbole; quo fit, ut nunquam integram mereatur fidem: ob quā etiam cauſſam nō eſt idem cum Amplificatione, quę

intra fidei terminos continetur.

Duodecima poſitio, Hyperbole ex uarijs lo cis ducitur. Primo ab ipſa re, cum res pro per ſona ponitur: ut peſtis, pro peſtilente, ſcelus, pro ſcelerato, & per comparationem, ipſa nequitia nequior, cęcitate cęcior, non modo malus, immo ipſa malitia. Secundo a rebus ſimilibus; ut oleo tranquillior, vitro fragilior, aura leuior, pice nigrior. Tertio, ab animantibus; ut muliere loquacior, coruo uiuacior, luſcinia uocalior. Quarto, a perſona falſorum deorum, ut, Venere formoſior, Mercurio facundior, Proteo mutabilior, Momo mordacior. Quincto, a perſonis fabuloſis: ut, Tantalo ſitientior, Penelope caſtior, Niobe fœcundior. Sexto, a perſonis comœdiarũ, Thraſone Terentiano glorioſior, Thaide blandior, Dauo uerſutior. Septimo a perſonis hiſtoriarum; ut, Sanſone robuſtior, Nerone crudelior, Timone inhumanior, Fabio cunctantior. Octauo, a gentibus, Cretenſe mendacior, Scytha aſperior, Scytho tauris hoſpitalior. Nono ab officijs; ut, carnifice immanior, milite glorioſior, & tyranno crudelior. In ſumma, extollit aut deprimit Hyperbole, uel rebus ſupra fidem acceptis, ut ſi dicas, eſt ſole illuſtrior, uel uerbis grauiorib. appoſitis, ut ſi occiſum dicas, cęſum, & latronem mediocriter malum hominem.

De-

Decimatertia poſitio, Hyperbole his potiſſimum modis fieri ſolet. Per denominationem; ut alter Ariſtarchus: per comparationem, vt noſter hic Cicero: per ſimilitudinem, uita leuior pluma: & per epitheton, Ciceroniana eloquentia.

Decimaquarta poſitio, etſi Hyperbole debet eſſe ultra fidem, tamen non ultra modum; ne in Cacozeliam perueniatur. Tunc itaque Hyperbole uirtus erit, cum res de qua loquimur, naturalem excedet modum. Et cum ſæpe ad riſum perueniat, ſi aptus erit, urbanitatis, ſecus ſtultitiæ nomen aſſequetur. Cum itaque omnibus hominibus amplificandi deſiderium inſitum ſit, ideo oratio, etiam in ore uulgi, magis rem, de qua habetur ſermo, augere, quã minuere ſolet: ſed, ut diximus, ſeruandus eſt modus, quem adulatores potiſſimum in laudando non ſeruant.

Decimaquincta poſitio, qui Hyperbole utitur, non mentitur, quamuis, ſi locutionis uim ſpectes, hyperbolica locutio falſum contineat. Non enim in eum finem adhibetur, ut id credatur, quod dicitur, ſed ut aliquid maius cogitetur, quod uerbis ſine ſuperlatione prolatis exprimi non poteſt, & ut per incredibile pene incredibile, & per falſum uerũ credatur. Mentitur igitur Hyperbole, ut ad uerum ducat; nõ

ta-

tamen ut mendacio fallere uelit. Cũ itaq. dicitur, niue candidior, maximus quidam deſignatur candor. Hæc dixerim ob eas hyperboles, quæ paſſim in diuinis literis reperiũtur, in quibus nullum, uel minimum eſt mendacium, quidquid homines quidam mendaciſſimi, ſtulte & impie dicant: ſed de hac re alibi. Ex quibus inferre licet, non bene ſentire eos, qui Hyperbolem Ironiæ ſpeciem faciunt, cum is qui hyperbole utitur, ſua natura nihil ſimulet, ſed ueritatem exprimat. Et quoniam Hyperbole quandam parrheſiam, ſiue licentiam habet, ne nimis audax, & libera uideatur, mitigari poterit, addendo, fortaſſe, fere, nonnihil, neſcio quid; ut fecit Dido, cum dixit, Lul.

Huic uni forſan potui ſuccũbere culpæ. Aen. 4.

Decimaſexta poſitio, hæc figura ualet ad augendum, & amplicandum, minuendumue, & ad id exprimendum, quod alias exprimi nõ poterat: ac proinde uſum habet non rarum, maxime in amplificationibus: & denique adagiorum generi eſt ualde accommodata. Reſtat ut de Onomatopœia dicamus, quamuis nonnulla ſupra, de nominum innouatione agentes, huc pertinentia dixerimus.

Decimaſeptima poſitio, Onomatopœia, Latine, Nominis fictio, ſiue formatio, nihil aliud eſt, quam noui nominis confictio. Addunt alii

qui

qui, Rei alicuius nouæ, ut fingendi nominis cauſſam exponant, quæ eſt rerum nouarum inuentio: Sed nihil opus fuit iſta additione, cum interdum rerum iam exiſtentium fingantur nomina. Addunt alij, ad imitationem ſoni, quem ſignificare debent: quæ uerba addi non debuerunt; cum non ſemper fingantur nomina, quę ſonos, aut res quæ ſonum edunt, ſignificent: in quibus tamen exprimendis ſoni rationem habendam eſſe non inficiamur: et ideo non male, nunc noue dicitur, Bombarda, & Scloppus, ut olim dictum eſt, cucullus, ſibilus, taratantara, coaxare, & pipilare.

Decimaoctaua poſitio, Onomatopœia ex his potiſſimum fluit locis. Ab animalium uocibus, a quibus dicimus, mugire, hinnire, grunnire, rugire, rudere, balare, crocitare, et bechare. A rerum inanimatarum colliſione: ut, tinnire, ſibilare, ſtridere. Ab hominum, & beſtiarum moribus, quorum imitationem ſignificant: ut, Platoniſſare, patriſſare, bouinari, capriſſare, & garrire. A deductione, hoc eſt, cum per paragogen, ſeu inflexionem ex quadam analogia, & congrua ſimilitudine, nouorum uerborum fit deriuatio: ut, ſicut dicimus philoſophari, ita theologari, rhetoricari: ut areſcere, ita ſilueſcere: ut laureati, & nummati; ita laruati, perſonati, & galeati:

ut,

ut proſcripturit,ita exiturit : ut a baiulo baiulum dicimus,ita a gerulo gerulum: & ut labeones,ita buccones , & manducones , id eſt homines uentri deditos; quæ uerba Græci παραγόμενα uocant . Huc referres diminutiua ; ut uillum, a uino : ocellus,ab oculo : ſimiliter frequentatiua , & alia id genus deriuatiua ; quæ non habentur in uſu , ſed recens formata uidentur.

Decimanona poſitio, in uſu Onomatopœiæ hæc ſpectanda ſunt. Primum,nemo in fingendis nominibus maiorem ſibi licentiam ſumat, quam neceſſitas præbet. Deinde , cum nomina per ſimilitudinem finguntur, non tam ſimilitudo , quam conſuetudo ſpectanda eſt ; alias enim nullum certum eſſet ſermonis genus : unde,licet olim dicerent,doctiſſimum,non tamen pijſſimum . Poſtea,rarus ſit uerborum nouatorum uſus , & maxime in oratione ſoluta : in qua ſi raro , & ſuis locis nouato utamur uerbo,non ideo erit minus illuſtris. Verum in rebus diuinis explicandis , in auctoribus uertendis,uerborum nouatio , inopia urgente , ut id , quod dicitur, clare explicetur, damnanda non erit . Quare , ſi quis græca uertendo ſcripta, ut ſententiam , & uerborum uim melius exprimeret,aliqua innouaret uerba,damnandus non eſſet: ut , ſi pro ſpermalogos , ſemini- Ci.Phi. 3.

uer-

uerbius, uel locutuleius hoc eſt, uerba fundens, pro antipelargin, reciconiari, pro alopekizin, uulpinari, & denique pro demophagos, populiuomorus diceretur.

Vigeſima poſitio, Onomatopœia non eſt tropi ſpecies. Namque nihil uertit, cum uerti non poſſit, quod de nouo fit: ſed ſolum rei anonymæ, ideſt quæ nomine caret, nomen imponit. Et ut huic diſputationi, & alteri huius libri parti finem faciam, illud ad extremũ addiderim, me nihil de epitheto hoc loco ſcribere uoluiſſe, quod nec tropus ſit, nec ad tropos ullo modo referri poſſit: de quo tamen alio dicetur loco, cum quarto libro de rerum copia diſputabo. Ad eas rationes, quibus de Hyperbole dubitatum eſt, nihil reſpondeo, cum qua ratione ſoluendæ ſint, ex allata doctrina, ſit manifeſtũ. Ad aliã igitur huius libri partẽ, in qua de ſchematis agendũ eſt, aggrediamur.

Quid, & quotuplex ſit ſchema, quæ eius cauſſæ, effectus, & utilitates.
Diſputatio XVII.

ELeganter ornateque dicere uolenti figurarum notitiam omnes dicendi Magiſtri adeo neceſſariam eſſe exiſtimarunt; ut quidam elocutionem, oratori

maxi-

maxime propriam, nihil aliud eſſe quam tropum, & figuram affirmare non dubitauerint. Cum ergo hactenus de tropis egerimus, ſequitur, ut de figuris quæ ſchemata uocantur, iuxta propoſitum ordinem agamus. Quarum doctrina, ut eſt magis utilis, & neceſſaria; ita etiam multo difficilior, adeo, ut nulla arte comprehendi poſſe uideatur; idque aliqui ingenue fatentur, et hæc argumenta demonſtrãt.

Primum, quoniam figurarum nullus eſt certus numerus, nulla certa appellatio, & ratio, nulla denique certa methodus: idque uel ex eo patet, quod ex tam multis figurarum ſcriptoribus nullus in numero, nomine, definitione, ordineque omnino cum alio conuenit: aliter enim de his Aquila, aliter Rutilius, aliter Rufinianus, Fabius, Iſidorus, Caſſiodorus, Beda, Pagninus, & recentiorum ſexcenti aliter ſcripſerunt: ut omittam, quod Ariſtoteles de figuris nihil fere dixit, & Cicero quædocuit, confuſe, et incerte docuit. Quare figurarum notitia ita difficilis exiſtimanda eſt, ut nulla arte comprehendi poſſit. Fab. li. 9. c. 3.

Deinde, hanc doctrinam eſſe omnino incertam, atque inconſtantem hæc apertiſſima docet Quinctiliani ſententia, qui de figuris uerborum loquens, ita ſcribit, Verborum uero figuræ mutatæ ſunt ſemper, & utcumque uo- Lib. 9. c. 3.

luit

luit conſuetudo,mutantur. Itaque ſi antiquũ ſermonem noſtro comparemus,pene iam quidquid loquimur,figuræ eſt:ut,huic rei inuidere, non, ut omnes ueteres, & Cicero præcipue, hanc rem: & incumbere illi,non in illum, & plenum uino,non uini.

Preterea dubium eſt,an prius de figuris dictionis, quam ſententiarum agendum ſit, & quod priore loco de his agere ſit neceſſe, illa ſuadet ratio, quoniam ſententia antecedit dictionem, cum prius aliquid mente concipiamus,& poſtea enunciemus: eſt itaque ſententia natura prior,ac proinde eius figuræ prius tractandæ eſſent.

Quinct.li. 9.c.1.

In hac diſputatione, quod ad numerum figurarum attinet, quidam exiſtimant, nullo modo poſſe certum numerum aſſignari: in qua ſententia fuiſſe uidetur Tullius,qui aliquãdo dixit, In re infinita uitioſum non eſſe prætermittere aliquid; ut cum, ait,de ornamentis uerborum ſententiarumque præcipitur, res enim eſt infinitior:& in tertio oratorio numerum figurarum auget,quẽ in oratore minuit. Fabius plures agnoſcit, quam Tullius: poſteriores multo plures addiderunt. Alij uero certum eſſe figurarum numerum arbitrantur,& earum multitudinem ad certa capita reuocari, ordineque aliquo tradi poſſe exiſtimarunt:

In Top.

Fab.l.9.c. 5.& 7.

Prut.li.10. c.11.

qua

qua autem ratione, dicetur poſtea. Quod attinet ad ordinem, Fabius prius ſententiarum figuras tractandas eſſe exiſtimauit: cui refragantur alij. De ſchematum quoque natura uaria fuit ſcriptorum ſententia: nam Alexander Rhetor figuratum ſermonem, non eſſe genus dicendi a naturali ſermone diuerſum, affirmauit. Quidam alius dixit, eſſe ſimulatũ quẽdam ſermonẽ, ſiue naturalis ſermonis ſimilitudinẽ. Nos quid de ſchematũ natura, & de propoſitis difficultatibus ſentiẽdum ſit, aliquibus poſitionibus explicare conabimur. Ioa. Gn.

Prima poſitio, orationis, ſiue ſententiarum ornamenta, uoce gręca per metaphoram ſchemata uocantur: quæ metaphora ſumpta eſſe ab hiſtrionum perſona & habitu, qui uaria orationis genera, uarus ueſtimentorum formis pronuntiant. Quo uocabulo aliquando proprie uſus eſt Plautus, cum quendam hunc in modum loquentem fecit, Ego huc proceſſi, ſic cũ ſeruili ſchemate: Schema ergo, habitũ, modũ, figuram, gradum, ſpeciem, atque ſaltandi artem ſignificat. Latini formam, habitum, ac geſtum orationis uertunt. Eodem itaque modo ſe habent ſchemata in oratione, ut habitus, & motus, geſtuſue in corporis actione. Vt itaque uni corpori ueſtimenta plura aptari poſſunt, quorum alia ad uenuſtatem, alia ad grauita- In Amph. Cic. in orat.

T tem,

tem, alia ad luctum, alia ad uoluptatem ſunt accommodata. ita figurę uariæ, uni ſententię accommodare licet. Quo fit, ut ſicuti orationis pronunciatio ſine geſtus varietate & concinnitate ingrata & quaſi languens, & mortua uidetur; ita oratio ſchematis exuta quam Græci, aſchematiſton, id eſt non figuratam, ſiue carentem figuris uocant: cui contraria eſt oratio eſcheſmatiſmene, ideſt figuris, & quaſi habitu expolita. Vt enim uocum alia eſt propria, alia modificata, ſic orationum alia recta, alia figurata. Et quamuis hoc nomen ſchema, ſiue ſcheſis communi uſu pro figuris orationis accipi ſoleat: tamen Tullius aliquãdo hac uoce etiam tropos complexus eſt. Cæterũ, in hac & ſequentibus diſputationibus, ſchematis, et figuræ appellatione, orationis intelligemus ornamenta.

In orat.

Secund: poſitio, ſchema his modis deſcribi ſolet, ſchema eſt quędam arte nouata, tum ſcribendi, tum dicendi ratio. Quę deſcriptio non placeret ÿs, qui Grammaticas figuras, quę ſub hac definitione continentur, a ſchematis reÿciunt. Alÿ hoc pacto, figura eſt elocutio, qua orationis habitus a recta & ſimplici conſuetudine mutatur. In qua deſcriptione illud poſſet dubitari, an figura recte appelletur elocutio, quod alÿ uiderint: nobis hæc alia noua de

Io. ſuſem.

ſcriptio

ſcriptio non diſplicet. Schema, ſiue figura eſt nouata dicendi ratio, quę quaſi motum, ac geſtum, magnitudinemque orationi præbet, nulla uocum mutatione facta. Dicimus nouatam dicendi rationem, quia a communi conſuetudine aliqua parte recedit: quibus uerbis, eius deſignatur genus. Dicimus, nulla uocum facta mutatione, ut excludamus tropos. Dicimus, quaſi motum, geſtum, & magnitudinem, quia hos fere effectus ſchema in oratione facit, ut poſtea clarius explicabitur. Denique, cum ſchema, formam, ſpeciem, & geſtum ſignificet, orationis figuræ, ſunt quaſi lumina, inſignia, ſtellæ, illuſtrationes, conformationes, exornationes, colores, pigmenta, floſculi, habitus, geſtuſque orationis: his enim præclaris nominibus appellari ſolent.

Tertia poſitio, figurarum, ſiue ſchematum duo ſunt genera: alterum dictionis, alterum ſententiæ, ſiue unum uerborum, alterum ſententiarum. Vt hanc figuræ diuiſionem percipias, animaduerte, duplicem eſſe orationem, alteram in ipſa mente, & ratione, quæ nihil aliud eſt quam cogitatio, qua multæ res in unũ coguntur, & cogitando tractantur. Quæ oratio pro uaria animi conſtitutione affectioneq; uarias, ut paullo poſt dicetur, a ſuo naturali habitu recedendo, poteſt ſuſcipere formas.

Ariſt. 5. pol. *Alteram in ipſa uoce, quæ eſt mentis nuntia; quę per hermeniam, hoc eſt per interpretationem fit, cum quæ animo ſunt cogitata, uocibus, in hunc finem nobis a natura tributis, enuntiantur. Et quoniam hæc enũciatio uaria quoque uerborum forma a communi uſu remota fieri poteſt; hinc eſt, ut etiam in uerbis aliqui geſtus & habitus, figuraue notari queant. Cum itaque humana oratio & ſententijs, & verbis conſtet, omnis eius forma atque figura, uel dictionum, uel ſententiarum erit: dico dictionum, quia figura in uno uerbo eſſe non poteſt: ut enim tropus eſt ſingularum uocum, & cum aliqua tranſmigratione, ita figura coniunctarum, ſine migratione, mutationeue. Atque ex his explicatã, & probatam tertiam poſitionem habes. Nunc vtrãque figurę partem deſcribamus. Figura dictionis eſt ſchema ſiue habitus, quo oratio dictionibus uarie apteque collocatis exornatur. Verborum itaque ſchemata in uenuſta, atque concinna eorundem uerborum aliquem geſtum habentium collocatione conſiſtunt: qua ſublata,*

Ram. *mutatur, aut tollitur figura. Figura ſententię ut quidam uolunt, eſt in abſoluta ſententia totius orationis conformatio uel:*

Tal. *Eſt quę totam ſententiam aliquo animi motu afficit. et expo*

Chir. *nit. Nec me latet eſſe quoſdã, qui tria faciũt*

figura-

figurarũ genera, dictionis, orationis, & ſententię, ſed hi figurã uniuerſe ſumptã diuidũt.

Quarta poſitio, dictionis, & ſententiæ figuræ eo differunt & internoſcuntur; quod illæ, mutatis uerbis, non manent, hæ uero maxime. Et hoc quidẽ diſcrimẽ omnes Rhetores approbant, quod in hoc exẽplo facile cerneres. Nunc uero quid agat, quid moliatur, quid denique quotidie cogitet, quem ignorare noſtrũ putat? Hic eſt Repetitio uerborum figura, & Interrogatio figura ſententiarum, ſæpe enim unus & idem locus utriuſque figurę ornamentis illuminatur. Quod ſi eandem ſententiam, ita enunciares, Quid agat, & moliatur, ac denique quotidie cogitet, quem ignorare noſtrũ putat? Repetitio tollitur, Interrogatio manet, ſed ut adhuc melius, quod nunc doceo, intelligas, finge orationem, ueluti hominem quendam nudum quodam naturali motu incedentem; poſtea da ei geſtus quoſdam artificioſos, quibus ſaltatores, & paleſtritæ utuntur; eundem poſtea uarijs ueſtibus, uarie corpori accommodatis indue, ut pictores facere ſolent, qua in re Raphael Vrbinas mirifice excelluit. Et ſi placet, finge Herculem, orbem ſuſtinentem, Acheloum cornibus tenentem, cum hydra certantem, uel ab inferis Cerberum trahentem, quæ omnia ua- Cic. lib. 3. orat.

rijs profecto geſtibus efficeret: Eundem indue, uel leonis ſpolio, uel muliebri ueſte, uel ſuccincta, uel laxa, uel toto corpori impreſſa, uel ab humeris pendente. Tunc dicas ſententiarum figuras eſſe geſtus illos cum corpore coniunctos: uerborum uero, ueſtes uarijs modis corpori accommodatas; quæ quidem, corpore cum ſuis geſtibus manente, remoueri poſſunt.

Quincta poſitio, figuratus ſermo, partim eſt a natura, partim ab arte. Declaro, ſimulq; probo hanc poſitionem hunc in modum. Vt homines naturę inſtincta ſimplici utuntur ſermone, ita etiam aliquo pacto utuntur figurato, dum loquendo repetunt, interrogant, exclamant, & admirantur. At uero rectũ ſermonẽ in obliquum, imperantem in interrogantem, diſſolutum in continuatum, aut continuatum in diſſolutum, aut ſurſum uerſus totam dictionem ſic commutare, ut inde nihil prior ſententia detrimenti patiatur, is ſolum poterit, qui artem dicendi tenet: ſed rem conſideratione dignam aliquo pacto illuſtrare tentabo. Hanc ergo occupationem per confeſſionem,

—— Nec me Argolica de gente negabo.

lib. 2. Aen. *nemo, in uarios habitus, & formas mutare poterit, niſi qui uariandæ, & conformandæ orationis præcepta percalluerit. Qui interrogando diceret, Cur me Argolica de gente negabo? Et*

Et optando. Vtinam de gente Argolica non eſſem: Denunciando, ſcitote me de gente Argolica eſſe: ſubiiciendo, Etſi mihi timendum ſit, nũquam tamẽ me Argolica de gente negabo: & geminando, Fateor fateor inquam, me de gente Argolica eſſe, uel Græcus ſum, fateor, de gẽte Argolica: uel per antitheton, non Troianus ſum, aut Phrygius, ſed Græcus, fateor, de gente Argolica: & ne plures modos afferam, in multas alias formas eandem ſententiam tranſformaret. Acceſſit itaque ars, quæ notauit omnes ſermonis habitus, & eorum naturam, uſũque expoſuit. Figuratus itaque ſermo in quo bona eloquentiæ pars elucet, habet quidem ortum a natura, ſed ab arte perfectionem accepit; ut alibi de tota dicendi artẽ diximus. Neque eſt omnino idem cum naturali ſermone, ſicuti nec eloquentia arte comparata, eadem cũ ea, quæ eſt á natura tributa. Ex quibus intelligeres, non ſatis bene dixiſſe eos, qui figuram ſimilitudinẽ naturalis ſermonis eſſe docuerũt: cum ſit naturalis ſermo obſeruatione tamen & arte perfectus.

Li.1. de arte dicen.

Dion.lõg. lib.de ſubſer.

Sexta poſitio, quamuis difficile ſit certam rationem figurarum tradere: tamen, eſſe poteſt, etiam eſt, licet a multis non ſatis perfecte tradatur. Siquidẽ figurarum definitiones, diuiſiones, & uſus explicari certa methodo potuerunt,

fuerunt, & explicata ſunt etiam licet de numero non ſit una omnino ſententia, eſſe tamen poteſt; cum animi habitus, & orationis formæ in infinitum uariari nequeant: quamuis re uera ſit omnino difficile abſolutam earum methodum, & numerum, ob ſcriptorum uarietatem, ſtatuere: cum præſertim multi multas recenſeant dicendi formas, quæ ueram ſchematis effigiem non habent. Nos, quod ad ordinem attinet, quod & alij conati ſunt, cum aliquo ordine eas tradere curauimus: certam vero methodi & numeri rationem ad unguem præſcribere, cum id non modo difficile, ſed etiam adynaton nobis viſum fuerit, non ſumus conati: illud tamen, quantum in nobis fuit præſtitimus ne quam prætermitteremus, de qua mentio apud bonos ſcriptores facta fuerit, in quibus nonnullas notares, quę uim figuræ non uidentur habere.

Septima poſitio, in figurarum tractatione potius a figuris verborum, quam ſententiarū auſpicandum eſt. Hoc contra Fabij opinionē, & quorundam aliorum, meliorem ſententiam ſequendo, affirmauerim, Nam, ut inſita hominum mentibus notio docet, ea prius tractanda ſunt, quę faciliora & notiora ſunt, ut uere & ſapienter Philoſophorū princeps docuit Ariſtoteles: atqui, quod nec Fabius, nec ullus a-

Ariſt. 1. Phyſ. c. 1.

lius

lius unquam negaret, uerborum ſchemata ſunt multo faciliora, & notiora; ab illis igitur inchoandum erit. Et ut Fabij rationem ſuperius allatam, ſimul ſoluamus, & noſtram opinionẽ confirmemus, hunc in modum diſputo, Quæ natura ſunt priora et magis ſimplicia, primo loco ponenda & tractanda ſunt, hoc enim axioma pro ſe ſumit aduerſarius: dictio eſt natura prior & ſimplicior, quam ſententia, cum ſit ſententiæ pars, ueluti lapides partes ſunt parietis: prius igitur dictionis figura explicanda erit. Quod ſi Fabij nomine obijcias, ſententiam concipi prius in mente, quam uerbis proferatur: ac proinde ſententiæ figuram præcedere oportere, hanc ratiocinationẽ facile diluerẽ. Concedo itaque ſententiam eſſe priorem; ſed tamen dictio eſt ſimplicior, & nobis notior; ut omittam, quod in iſta ratione, quædam latet fallacia, quam nolo pluribus uerbis nunc aperire.

Octaua poſitio, agere de ſchematis, ad Rhetorem & ad Poetam pertinet. Etenim, ut prima diſputatione docuimus, duo ſunt elocutionum genera, unum oratorium, alterum poeticum, & cum elocutio bona ex parte a figuris petatur, tam Poetica, quam Rhetorica de figuris, quibus non eodem modo utuntur, neque, iiſdem omnino, aget.

Nona

Nona poſitio, ſchematum notitia eſt maxime utilis & neceſſaria. Nam, ut omittam quod ſchema orationem, iucundiorem, grauiorem, acrioremque reddit, quam tropus faciat, eandem uiribus auget, iacentem excitat, & quodammodo ad certamen armat, & ut multa paucis complectar, auditorem docet, delectat, & flectit: cum ſchemata ſint quaſi ſtellæ, quę lumen fundunt, & flores qui exornãt, & geſtus qui ui ſua commouent. Eadem nanque ſententia ſimpliciter prolata, minus neruorum ac uirium habet, quam ſi cum aliquo motu & geſtu ſit coniuncta, & quaſi contorta: Quare, ſi gratia exempli enthymema aliquo figuræ genere contorqueatur, acrius aduerſarium inuadet, grauioremque ictum faciet. Vt ecce, refellendus eſt tibi aduerſarius, qui te patriæ proditorem appellauit: ſume ad hoc faciendum, argumentum ex repugnantibus, cum hic locus ad diluenda crimina ſit ualde accommodatus: ſi ſimpliciter dixeris, te pro patriæ ſalute omnem profudiſſe pecuniam, ac proinde te proditorem appellari non poſſe, parũ habebit hæc confutatio uirium. Atqui ſi figuram aliquam adhibueris, multo pugnabit acrius. Sume ergo unam ex illis, quæ homini irato congruunt, ut Ariam, uel aliam generis eiuſdem, ſeu Interrogationem, & hoc geſtu

pugna,

pugna, Quis tam impudens inueniri poſſit, qui patriæ proditorem eum appellare audeat, a quo omnia ſua bona in reip. utilitatem ſunt conſumpta? Quod neruoſe Cicero dixit, Quouſque tandem abutere catilina patientia noſtram? Languidius dixiſset, Diu abuteris, Catilina patientia noſtra. Et Paulus multo, elegantius & neruoſius dixit, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audiuerunt? quomodo autem audient ſine prædicante: quomodo uero prædicabunt, niſi mittãtur, quam ſi ſine repetitione, interrogatione, et membrorum paritate, & ſimili deſinentia ſimpliciter dixiſſet, oportet mittere concionatorem, qui enunciet eum, in quem credant.

Nemo unquam Cęſare fortior, nemo magis intrepidus, quem non hoſtium aſpectus, non arma, non congreſsus perterrere poterant: & tamen unius hominis, intra domeſticos parietes breuis, ſed tamen ſchematis ornata, uel potius armata oratio, ita concuſſit, ut e manibus quos tenebat libelli exciderint, Ita enim Tullius contra Cæſarem, iudicem & aduerſariũ, in Ligariana defenſione congreſſus eſt armatus. Quid enim Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat: cuius latus ille mucro petebat: qui ſenſus erat armo- Plutar.

rum

rum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Hic in tota ſententia, apoſtrophę cum interrogatione, hic membra paria, ſimiliter deſinẽtia, hic metonymiæ, hic ſynecdochæ, & ne plures exornationes & geſtus paucorum uerborum obſeruem, hic metaphoræ. Quare, ut corporis geſtus multum ad perſuadendum ualent, ita & orationis ſchemata.

Decima poſitio, ad rectum figurarum uſum hęc tria præcipue neceſſaria ſunt. Primum, cognoſcendum eſt, quæ figura cuique animi perturbationi ſit accommodata: ut irato reticentia, hyperbole, imprecatio, maledictio, & harum ſimiles: ei qui uehementer aliquid deſiderat, commoratio, repetitio, aggratulatio, ſupplicatio, & ſic de alijs. Deinde, quæ figuræ, & loci inter ſe cognationem habeant, cũ figuræ ex locis promantur, ac proinde illis inſeruire debeant. Et ſane in hoc maxime dicentis ars perſpicitur, quod eas figuras eligat, quæ ſunt ad rem, quam exponere uult, magis accommodatæ. Poſtremo, cum figuræ dictæ ſint a natura eorum, qui loquuntur, quo modo homines aliqua perturbatione affecti loquantur, omnino animaduertendum erit; cum tunc rectiſſime dicamus, cum proxime ad naturam accedimus.

Vndecima poſitio, ſententiarum ſchemata ſunt longe illuſtriora, maioremque lucem & robur orationi tribuunt, quam uerborum lumina. Hanc doctrinam conſideratione dignã, uno uel altero M. Tullij loco confirmare licet; Sententiarum, inquit, figuris, quia frequentiſſime Demoſthenes utitur, ſunt qui putent eius eloquentiam maxime eſſe laudandam. Et uero nullus fere ab eo locus ſine quadam conformatione ſententiæ dicitur. Nec aliud quidquam eſt dicere, niſi omnes, aut certe pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias. Et alio loco, Itaque, quia ſententiarum ornamentis, & conformationibus præſtat Demoſthenes, idcirco a doctis Oratorum eſt princeps iudicatus. Virilem itaque dignitatem, præ alterius generis molli & delicata uenuſtate, obtinet: illic color & ſanguis orationis, hic nerui, thoriq; eſſe uidẽtur: illic delectatio ſẽtitur, hic motus efficitur, hic deniq; ψυχαγωγία elocutionis ſumma eſt. In orat. In Bruto.

Duodecima poſitio, ſchemata ex uaria animi ſcheſi, hoc eſt habitu, ſiue diſpoſitione, affectioneque originem habent: quem animi habitum dum oratio exprimit, figurata euadit. Quare, qui pro rei natura atque affectione, quæ exprimenda eſt, animum diſponere, ac diuerſo modo afficere nequit, is orationem eſchi-

matiſmenen hoc eſt figuris ornatam non faciet. In omnes itaque formas, in quas homines uarijs perturbationibus affecti mutantur; is mutari debet, atque eodem modo ſuos animi habitus exprimere, ut ij faciunt, qui ex aliqua animi affectione moti, loquũtur. Non.n. una eademque ratione eſt affectus aut loquitur, qui amat, ut is qui iraſcitur: neque is qui deſperat, ut is qui timet; & in ſumma, is qui triſtatur, ut is qui lætitia geſtit. Immo, in uno eodemque ſermone, dum ab uno in alium habitum transfertur animus, locutio etiam mutatur. Et, ut rem notatione omnino dignam aliquo illuſtremus exemplo, hanc Didonis ad Aeneam in uarios habitus geſtuſque mutatam, & transformatam orationem ſubijciã: cuius habitus, geſtuſque is melius perciperet, qui congruenti actione eam pronuntiaret.

Diſſimulare etiã ſperaſti perfide tãtum
Poſſe nefas? tacituſque mea decedere terra? — Virg. li. 4. Aen.
Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Didõ?
Quinetiã hyberno moliris ſidere claſsẽ,
Et medijs properas Aquilonibus ire per altum.
Crudelis: qd? ſi nõ arua aliena domoſq;

Igno-

Ignotas peteres, & Troia antiqua maneret,
Troia per undoſum peteretur claſſibus æquor?
Me ne fugis? per ego has lacrymas, dextramque tuam te
(Quando aliud mihi iam miſeræ nihil ipſa reliqui)
Per connubia noſtra, per inceptos hymenæos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum; miſerere domus labentis: & iſtam
Oro (ſi quis adhuc precibus locus) exue mentem.
Te propter Libycę gentes, Nomadumque tyranni
Odere; infenſi Tyrij; te propter eundem
Extĩctus pudor, &, qua ſola ſidera adibã,
Fama prior; cui me moribundam deſeris hoſpes?
Hoc ſolum nomen quoniam de coniuge reſtat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Deſtruat? aut captam ducat Gætulus Iarbas?

Sal-

Saltem, ſiqua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles; ſi quis mihi paruu-
lus aula
Luderet Aeneas, qui te tãtũ ore referret,
Non equidem omnino capta, aut deſer-
ta uiderer.

Ex hac itaque pathetica oratione plane cognoſcere licet, quid ſit ſchema, quid ſchemata in oratione efficiant, & quæ ſit figurata oratio.

Robo. *Decima tertia poſitio, is magis erit idoneus ad figuras faciendas, qui uarie animum ſuum formare poterit, & is uarie animum formabit, qui phantaſia pollet, qua rerum abſentium, & non exiſtentium imagines effingũtur, ac ſi exiſterent, & adeſſent; qua ſimiles efficimur ijs qui uere perpetiuntur, & uere affecti ſunt. Qui autem uere afficiuntur, ij tandem ſoli commouentur, & ſerio, non frigide, non ſimulate agunt, ac proinde auditores quoque commouent, & afficiunt. Hæc itaque animi facultas, qua aliquid facile fingimus, præſtat, ut ſine difficultate res atroces, aſperas, lætas, & iucundas dicendo conuenienter exprimamus, in Oratore, & multo magis in Poeta eſt neceſſaria: cum bonus Orator, bonuſq; Poeta eſſe non poſſit, ut ueteres tradidere ſcriptores, niſi is, qui* εὐφαντασιωτὸς *fuerit.*

Deci-

Decimaquarta poſitio, ex iſta bona animi affectione ſeu fingendi facultate, hæc conſequuntur effecta. Primum, ut orationem poſſimus efficere ornatam: Secundum, ut pathetice loqui ualeamus: Tertium, ut apte & accõmodate de rebus loquamur, hoc eſt, ut uerba accommodata ſint rebus de quibus habetur ſermo: ut iſta ſunt,

——Infixũ ſtridens ſub pectore uulnus;
——Foemineo ululatu.

Quartum, ut moratam efficiamus orationem: Quinctum, ut abũdemus metaphoris, quę per analogiam fiunt: Denique, ut in omni dicendi genere aptis utamur figuris. Fiet autem aliquis euphantaſiaſtos, uſu & exercitatione: ſi res ipſas præſentes inſpexerit; ueluti naufragium, alluuionem, hominem iratum, alijsve affectibus commotum. Neque enim potuiſſet apte bonus Poeta timentis habitum hoc carmine exprimere,

Obſtupuit, ſteteruntque comæ, & uox faucibus hæſit,

niſi hominem ſubito timore affectum aliquando uidiſſet.

Decimaquincta poſitio, omnium ſchematũ uarietates ad duo capita reuocari poſſunt, quorum primum uerborum, ſiue orationis figuras continet: alterum ſententiarum ornamenta

complectitur. Illud partim in, eorundem, aut ſimilium uerborum, partim in ſimilium ſonorum repetitione conſiſtit: hoc uero, quod latiſſime patet, in duas partes diſtribuunt, quarum una ea continet ſchemata, quę ad orationem figurandam, altera, quæ ad eandem augendam & dilatandam referuntur. Nos ad hæc capita reuocauimus. Primum, continet interrogationes, et quæ uim interrogandi habēt: ſecundum, eas figuras quæ commotionem aliquam animi ſpeciatim deſignant, vt ſunt exclamationes, & admirationes: tertium, quæ uim probationis habent, & his affines: quartum, quæ ſimilitudinem, & comparationem: quinctum, quæ uim augendæ & dilatandæ orationis: ſextum eas, quibus aliquid definitur, deſcribiturve: ſeptimum, quæ potius ad orationis ordinem, quam ad ornatum pertinent: Cur autem hunc ordinem in ſchęmatum tractatione ſecuti ſimus, cum de ſingulis agemus, plane aperiemus. Poßes etiam, quod ad uſum attinet, ad tria capita reuocare: quod aliæ figurę potiſſimum doceant, aliæ moueant, aliæ delectent: quamuis aliquæ, omnia hæc tria munera aut duo præſtent. Auctor quidam de re poetica agens, omnes Poetarum figuras ad hæc capita reuocauit, ad quæ etiam oratorias reuocari poſſe affirmauit, hoc modo. Per ſen-

tentia-

tentiarum figuras ſignificatur, aut id quod eſt, aut contrarium, id nimirum quod non eſt, per Antiphraſim. Id quod eſt, aut æque, per Tractatione̅, ſiue diatypoſin, & hypotipoſin: aut plus, per hyperbolen: aut minus, per Litoten: aut aliter, per Allegoriam: aut unam rem pluribus, per Periphraſin: aut plures uno modo, per Collectionem, ut eques, pro equitatu. Cæteræ omnes ad has reuocantur. Sed quam hæc diſtributio ſit idonea, & ad vſum accommodata, nihil attinet dicere. Atque ex his quæ diſputata ſunt, ſchematum naturam ſatis obſcuram, ſatis explicatam exiſtimamus: ex quibus etiam facile argumenta in contrarium allata dilueres.

Ad primum, quid ad hoc argumentum ſit reſpondendum, ex ijs quæ diximus intelligi licet. Fatemur hanc tractationem habere aliquid incertitudinis ob nonnullas rationes: ſed tamen ob alias aliquid certi in ea afferri poteſt, & affertur: quod eſt commune cum multis rebus, quæ in omni arte tractantur. Et his temporibus ob ſcriptorum diligentiam nõ eſt tam incerta hæc tractatio, ut olim erat.

Ad ſecundum, nomine figuræ uerborum eo loco Fabius non intelligit eas, de quibus nos in præſentia acturi ſumus, ut patet ex ſubiectis ab eo exemplis, quæ de elocutione &

phraſi loquuntur. Quod ſi per uerborum figuras eas intellexit, quæ ſchemata uocantur, errat profecto in afferendis exemplis.

Ad poſtremum nihil eſt cur aliquid dicamus prçter ea, quæ in octaua poſitione diximus.

De figuris uerborum; quæ repetitione & ſimilitudine fiunt. Diſputatio XVIII.

QVONIAM uero proxima diſputatione demonſtratum fuit in hac figurarum tractatione, a uerborum ornamentis auſpicandum eſſe, propterea de his priore loco unica diſputatione agemus. Et quia deinceps in rebus uerſabimur manifeſtis, ideo, aut nunquam, aut raro dubitandi rationes in medium afferemus. Antequam autem eas figuras explico, quæ ad hũc ordinem pertinere uidentur, quaſdam poſitiones ſtatuã, quibus aliqua uniuerſe de hoc figurarũ ordine docebo.

Prima poſitio, cum a communi ſimpliciq; loquendi forma receditur, ea ſeſe primum offerre uidetur figurata loquendi ratio, qua eadem uerba repetuntur: qua repetitione quodammodo in eadem re exprimenda commoramur:

mur: quod eſt ſimplici ſermoni multum affine.

Secunda poſitio, de certo harum figurarum numero, non eſt certa apud ſcriptores ſententia. Nam Cicero, aliquando quadragintatres uerborum figuras numerauit, alibi ſexdecim dumtaxat: Fabius longe plures cõgregat. alij trigintaſex, alij ſolum decem: & fortaße neminem inuenies, qui hac in re omnino cum alio conueniat. Li. 3. ora. Streb. ibi.

Tertia poſitio, huius ordinis figurę in quadam uerborum repetitione potiſſimum conſiſtunt, ac proinde communi nomine repetitiones appellantur: ſunt tamen uarij repetitionũ modi, ex quibus ſingulæ oriuntur figuræ. Quibus adijciuntur aliæ, quę non dictionem, ſed potius ſimilem ſonum repetunt.

Quarta poſitio, uniuerſe loquendo, huius ordinis figuræ hanc uim in oratione habent: conferunt ad exhortandum, obiurgandum, & ad exprobrandum: ad animi affectiones exprimendas, ueluti gaudium & lætitiã, & pręſertim repetitiones: & in ſumma, ut Cicero ſcribit, ualent ad petendum aduerſarium, atq; ad uenuſte loquendum: habent enim interdum uim, leporem alias & uenuſtatem. Hanc doctrinam, cum de ſingulis agetur, adhuc planius demonſtrabimus. Li. 3. orat.

 Quin-

Lud. Grã. *Quincta poſitio, ut omnium rerum pulchritudo, ſiue ſenſibus, ſiue intelligentiæ ſit ſubiecta, in quadam partium ſibi conſentientium concinnitate conſiſtit; ita figurarum, & maxime huius ordinis uenuſtas & decor in quadã uerborum inter ſe apte cohærentium proportione ſita uidetur: ut in his patebit exemplis.*

Euſeb. Emiſ. *Ferina immanitas eſt, Deum æſtimare minorem, quia maiora contulit: ut ideo a te minus accipiat honoris, quia plus contulit dignitatis. Vbi æqualium pugnantium, & ſimiliter cadentium membrorum proportionem uides.*

Sedul. *Item,*

— Heu noxia coniux.
Noxia tu coniux magis, an draco perfidus ille?
Perfidus ille Draco, ſed tu quoq; noxia coniux.

Beren. ſerinnat. mart. *Item, quidam de diuina miſericordia loquens, eam hac pulcherrima exornatione pingit, O ira miſericors, quæ ſic iraſcitur, ut ſubueniat: ſic minatur, ut parcat: ſic aufert, ut reſtituat: ſic tradit, ut eripiat: ſic deſtruit, ut muniat: ſic abijcit, vt recipiat. O quã ſalubris indignatio quæ ſic auertit, vt reſpiciat: ſic claudit, ut aperiat: ſic exigit, ut dimittat: ſic deicit, ut erigat ſic perdit, ut requirat: ſic amittit, ut cuſtodiat. Ex eodem itaque fonte, unde omnium rerum*

dimanat

dimanat pulchritudo, etiam uerborum decor atque uenuſtas proficiſcitur. His ita explicatis poſitionibus, quę ad hunc ordinem figurę ſpectant, eas nunc percenſebo.

Prima, cum eadem, & eiuſdem ſignificationis dictio proxime, citra moram, cum vocis impetu geminatur: quam Iulius, Anadiploſin, Aquila Palilogiam, alij Tautologiam alij epizeuſin appellant; Latine Conduplicatio, combinatio, & ſubiunctio. Hoc modo, Occidi occidi, non Sp. Melium: Viuis uiuis, non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Vos, uos appello, o fortiſſimi uiri: mea mea eſt iſta defenſio: Pro Mil. In Catil.

O ciues ciues, quærenda pecunia primum eſt. Horat.

Inquit Horatius; & apud Virgilium,

Ah Corydon Corydon; quæ te dementia cœpit. Eclo. 2.

Vtimur hac figura ad ſignificandam animi uim: ualet ergo ad amplificandum, ad aſſeuerandum, remque demonſtrandam: ualet in correctione, & commiſeratione. Confert itaque ad animos commouendos, & quaſi duplicato ictu feriendos. Interdum hoc ſchemate utimur ad eleuandum per Ironiam: ut, o bone bone uir, quam probe te geris. Pſal. 121.

Secunda, cum idem uerbum quod erat in Eclog.

fine ſententiæ repetitur initio alterius: quam Aquila, Anadiploſin, Iulius Palilogiam, alij Epanalepſin, ideſt, reuocationem, Hermogenes, Epanaſtrophen, id eſt conuerſionem, Martianus reduplicationem uocat; ut, Magna reipub. ſpes ſita eſt in iuuentute, iuuẽtute inquã illa, quæ a cunabulis ipſis honeſtis tum moribus, tum literis inſtituitur: & in ſacris literis, ſtantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ie-

Pſal. 121. *ruſalem, Ieruſalem quæ edificatur, ut ciuitas, & apud Virgilium,*

Pierides, vos hęc ſacietis maximaGallo,

Ecl. Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas.

Et apud Lucretium,

Floriferis ut apes in ſaltibus oĩa libant:
Omnia nos itidem depaſcimus aurea dicta:
Aurea perpetua ſemper dignisſima uita.

Et Cicero, Ab illo tempore annum iam tertiũ

Pro Mil. *& uigeſimum regnat, & ita regnat, ut & cæt. Hæc figura in uerſu heroico ſuauiſſima eſt, modo raro uſurpetur: additque energiam & emphaſim quandam maiorem, & ſuauitatis non nihil.*

Tertia, cum idem uerbum repetitur, ſed uno uel altero interiecto uerbo: hãc Iulius, Diacopen appellat, latine ſeparationem, uel ſectio

nem

nem diceres:hoc modo, Diuum, clementia Diuum: Dic age, dic: & in diuinis litteris, Virga directionis uirga regni tui: non ſic impij non ſic. Habet hæc figura emphaſim, & acrimoniam. Pſal.51.

Quarta, cũ idem verbum repetitur in principio, inciſorum, membrorumue alijs interpoſitis verbis. Hanc Beda & Iulius Anaphoram, & Epanaphoram, i. relationem, repetitionẽ, & regreſſionẽ, vocant: Rutilius Epiuolen. i. adiectionem. Exempla ſunt huiuſmodi: Multa memini, multa audiui, multa legi, nihil ex omnium ſæculorum memoria tale cognoui. Phil. 4. *Item, Tu in forum prodire, tu lucem conſpicere, tu in horum conſpectum venire conaris? Apud Virgilium,*

Nate meę vires, mea magna potentia ſolus,
Nate patris ſummi, &c.

Et apud Venuſinum poetam,

Otium diues regat in patenti,
Otium bello furioſa Thrace, Lib. 2.
Otium Medi pharetra decori. Odc.16.

Et Baptiſta Mantuanus.

Cura viris leuibus rerum ſolet eſſe nouarum:
Cura viris grauibus rerum ſolet eſſę ſuarum.

Quin-

Quincta, ſi eam cum quibuſdam a ſuperiore diſtinguere vis, cum non vnum, ſed plura verba in principio repetuntur: quam Iulius Epanalepſin. i. reſumptionem, vel repetitionem, Caſſiodorus, Perſeuerantiam vocat. Exemplum ſumo ex ſacris literis, quibus repetitio eſt ualde familiaris. Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael; niſi quia Dominus erat in nobis: Cum exurgerent homines in nos, forte viuos deglutiſsent nos: Cum iraſceretur furor eorum in nos; forſitã. i. certiſſime aqua abſorbuiſſet nos. De hac & proxima repetitionis forma, quidam tale proferunt iudicium. Dicunt ergo, hanc repetitionem habere venuſtatem, grauitatem, acrimoniamq;: & nullum eſſe exornationis genus, quo crebrius vti liceat, aut quod tam varijs dicendi generibus congruat: ex quibus, qui, & quantus ſit eius vſus, facile intelligeres.

Pſal. 123.

Trap. li. 5.

Sexta, Cum idem verbum, vel plura verba in fine repetuntur: quam Iulius Epiſtrophen, Aquila antiſtrophen. i. conuerſionem, & reuerſionem vocat, Rutilius epiphoram, quæ hoc modo fit, Pœnos populus Romanus iuſtitia vicit, armis uicit, liberalitate vicit: Pretium dedit, cui dedit? per quem dedit? aut quantum dedit? Et apud Virg.

Eclog. vI.

Sur-

Surgamus, ſolet eſſe grauis cantantibus vmbra:

Iuniperi grauis umbra: nocent, & frugibus vmbrę.

Inſtat, & urget hæc repetitio, remque amplificat, orationemq; exornat.

Septima, cum ſit repetitio in principio & fine eiuſdem verbi in eadem ſententia, membroue: hanc Iulius Epanadiploſin, Aquila Proſapodoſin, i. redditionem, Rutilius Epanalepſin, Cicero conduplicationem appellat: vt, vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam, gladium uagina vacuum in urbe non uidimus: Multi, & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi. Pſallite regi noſtro, pſallite: Virgilius.

Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.

Et Iuuenalis.

Creſcit amor numi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Habet hæc figura ſuauitatis, feſtiuitatis, & energiæ non nihil.

Octaua, cum repetitio ſit in principio & fine, in diuerſis ſententijs: Hanc Rutilius Cœnoten. i. coniunctionem uocat, Aquila Symplocen. i. connexum, & complexionem, alij Epanalepſin. i. conduplicationem: vt, qui Pruc.

ſunt

ſunt, qui fœdera ſæpe ruperunt? Carthaginenſes: qui ſunt, qui bellum crudeliſſimum geſſerunt? Carthaginenſes: qui ſunt, qui Italiam deformarunt? Carthaginenſes: qui ſunt qui ſibi ignoſci poſtulant? Carthaginenſes. Item, quid eras priusqnam te Deus conderet? nihil: Quid eras priuſquam te Chriſtus redimeret? minus quam nihil: Quid nunc futurus eſſes, ſi tibi ſubducat gratiam ſuam? nihil: Quid eſt ad veram felicitatem conducibile, quod tibi non largiter ſumminiſtrauerit? nihil: Quid habes, aut potes ex te ipſo? nihil: Quid igitur eſt quod aliunde ſperes boni? nihil. Item, ſi vis patienter tollerare aduerſa, vaca orationi: ſi uis tentationes, & tribulationes ſuperare, vaca orationi: ſi uis prauas affectiones conculcare, uaca orationi: ſi uis aſtutias Satanæ cognoſcere, & eius fallacias vitare, vaca orationi.

S. Bona.

Nona, cum ita ſit repetitio, ut uerbum primo loco deſignet perſonam, ſecundo vero perſonæ qualitatem, quaſi ſit deſcriptio præcedẽtis: quam ſcriptores non diſtinguunt a ſequenti: vt, Memmius ad illum diem, erat Memmius, hoc eſt ſui ſimilis, & ijſdem ſemper moribus: Cicero dixit, ſeruos non eßе ſeruos.i. ſeruilis conditionis: Ludouicus eſt vere Ludouicus: i. arx populi ſui. Et apud Virgilium.

Salluſt.

Ex

Ex illo Corydõ, Corydon eſt tpe nobis. Manc,
Hoc eſt, ut aliqui exponunt, dulcis cantus, uel Seru.
dulcis & aptus cantator.

Decima, cum idem uerbum repetitur, ſed in diuerſa ſignificatione: quæ Antanaclaſis ideſt reciproca motio, contraria uerbi refractio, ſiue reuerberatio, ut in pilæ ludo fieri ſolet: a uerbo antanaclao, quod refringo, & reuerbero ſignificat: Ut, amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid ſit amari: & Bernardus qui aptiſſime hanc figuram non raro uſurpat, de negligentibus animarum curatoribus loquens dixit, Accipiunt curas, ut uiuant ſine curis: non diligamus mundum, in quo nihil eſt mundum: veniam ad prçceptorem petiturus ueniã. Et Paulus, ἀπορούμενοι ἀλλ᾽ οὐκ ἀπορούμενοι *id eſt laboramus, ſed ad egeſtatẽ non redigimur. Hçc eſt ſuperiori uicina, & in utraque poteſt eſſe iocus, & ſuauitatis nonnihil. Rufinianus Antiſtaſin, alij etiam Enallagen uocant.*

Undecima, cum per iocum, dicacitatemve Bies.
uox aliquo pacto immutata repetitur: cum ſimilitudine literarum deflectimus uoces in contrarium: uel cum uocibus diuerſam ſignificationem habentibus ludimus: quam Græci, Paranomaſiam et Paronymian, Ariſtoteles Paragramma, Latini Agnominationem, & denominationem uocant, ut, Is mero, non Home

re

ro operam dedit, Quę figura, ut auctor Herennianus ſcribit, quattuor modis fieri poteſt. Literarum additione, ut, iſta non ſolum rata, ſed etiam grata mihi erunt: & apud Virgiliũ in Georg.

Auia cum reſonant auibus uirgulta canoris.

Mutatione; ut, ex aratore arator, hęc facta non ficta ſunt: in rebus ſecundis tumidi, in aduerſis timidi: præter propter uitam uiuere. Detractione, ut. Tu Sulpiti, actionem inſtituis, ille (Murenam intelligit) aciem inſtruit: maior, dixit Auguſtinus, eſt Dei miſericordia, quam hominum miſeria: Trãſlatione, ut, nolo eſſe laudator, ne uidear adulator: hæc non crudelitas, ſed credulitas eſt. Huc pertinet cuiuſdam uiri docti dictichon:

Pro Mur.

Pier.

De uitijs quod diuitiæ accumulantur apertum eſt,
Nomen idem uitijs, diuitijſq; datum.

Euch.

Alludit, ad id quod aliquando Eucherius Lugdunenſis epiſcopus de diuitiarum acquiſitione loquens dixit, Tali adminiſtratione res iſta capitur, tali cuſtode ſeruatur: adeo quædã ſocietas eſt, pene etiam nominis, duabus his rebus, uitijs, & diuitijs. Huc referres eam figuram, quam Hermogenes Parechesin, cum ex prioris dictionis ſono, confeſtim aliud uerbum

dedu-

deducitur, latine aliqui Aßonantiam uocāt: ut, uoce uocans Hecaten: uiuere uitam. Ruſinianus, Paregmenon, ideſt deductum & deriuatum uocat, ſed parum ab Paranomaſia diſtat. Atque ex his quæ diximus facile intelligeres quo pacto, Paranomaſia & Antanaclaſis differant. Hæc figura habet neſcio quid ſuauitatis non ingratæ, quam ibi uſurpares, ubi eſt iocandi locus: ſed leuis uideri poterit, niſi ſententiarum pondere impleatur. Io. Loni.

Duodecima, cum idem uerbum cum quadā diſtinctione & uarietate repetitur, quæ repetitio non faſtidium, ſed delectationem parit, & orationem concinniorem reddit: hanc Græci, Metabolen, Latini Traiectionem appellant, alij Traductionē, & eandem faciunt cū ſequenti: exemplum eſt tale, Qui nihil habet in uita iucundius uita, is cum uirtute uitam non poteſt colere. Item, eum tu hominem appellas, qui ſi fuiſſet homo, nunquam tam crudeliter uitam hominis petijßet. Item, Diuitias ſine diuitum eſſe, tu uero uirtutē præfer diuitijs. Nam ſi uoles diuitias cum uirtute comparare, uix ſatis idoneæ tibi uidebuntur diuitię, quæ uirtutis pediſequæ ſint, Itē, Itaque efficis, ut cum gratiæ cauſſa nihil facias, omnia tamen ſint grata, quæ facis. Item, In orat.

Scire

Perſ.Sat.1. Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Et ego dicere ſoleo, In hoc magno mundo, nihil eſt magnum, niſi animus magnus, qui magna facit nihili. Et apud Platonem, qui multum hac figura delectatus eſt, ἀγαθῷ οὐδεὶς, οὐδέποτε, περὶ οὐδενὸς ἐγγίνεται φθόνος.

Decimatertia, cum idem uerbum repetitur uariatis caſibus, quæ Polyptoton ideſt caſuũ multitudo nominatur; ut, Pleni ſunt omnes libri, plenæ ſapientum uoces, plena exemplorum uetuſtas. Item,

Litora litoribus, contraria fluctibus undas
Li.4.Aen. Imprecor arma armis pugnent ipſique nepotes.

Et Ioannes Picus eleganter, docte, & pie cecinit,

Nanque tua eſt noſtris maior clementia culpis,
Et dare non dignis, res mage digna Deo eſt.
Quamquam ſat digni, ſi quos dignatur amare,
Qui quos nõ dignos ĩuenit, ipſe facit.

Et Perſius,

Ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.

Quæ

Quæ repetitio non ſolum fit in diuerſo nominũ caſu, & genere, ſed etiam in diuerſo uerbi tempore; ut, ſunt, fuerunt, erunt: & in aduerbijs. Aquil. r.

Decimaquarta, ita fit interdum repetitio, ut quod erat prius ponatur poſterius, & contra: quam Iulius Metatheſin ideſt tranſpoſitionem, alij Antimetabolen, ideſt commutationem uocant, & ad ſententiarum figuras referunt, ad quas ſane referri poteſt; ubi nos iterum eam repetemus; quare hoc loco uno tantum exemplo contentus ero: Eripis ut perdas, perdis ut eripias. Io. Riu.

Decimaquincta, cum idem uerbum ſententiave ad conſummationẽ ſuperioris dicti repetitur, ut ſententia perficiatur: Iulius Plocen uocat, latine Implicationem, ſeu retractionẽ diceres: alij Apodoſin, & Epanodon, hoc eſt regreſſionem: ut, O uos quibus integer ęui ſanguis, ait, ſolidæque ſuo ſtant robore uires; uos agitate fugam: Vicerunt Romani uicerũt, mari Carthaginenſes, terra Gallos. Et apud Paulum, Chriſti odor ſumus Deo, alijs quidẽ odor mortis. &c. Dignus es noĩe ſtudioſi, & indignus; dignus ob pallorẽ, indignus ob negligentiã. Huc fortaſſe ptinet illud Martialis: 2 Cor. 2.

Digna tuo curſis, indignaque nomine dicam

Frigida es, & nigra es: non es, & es Chione.

Item & hoc Virgilianum,

Pan etiã Arcadia mecũ ſi iudice certet,
Pã etiam Arcadia dĩcat ſe iudice uictũ.

Sed, & hęc etiam ad ſententiarum ſchemata reijci poſſet.

Decimaſexta, cum ſit repetitio per frequẽtationem coniunctionum copulatiuarũ, diſiunctiuarum, aliarumve: hanc Polyſyndeton .i. uarie coniunctũ uocant. Cicero, Me præ cæteris, & colit, & obſeruat, et diligit: Virgilius,

Aen. 8. Bronteſque ſteropeſque, & nudus membra Pyracmon.

L.1.2. Faſt. *Et apud Ouidium:*

Nec prece, nec pretio, nec mouet ille minis.

Pro Mar. *Nec contentionum magnitudine, inquit Cicero, nec numero prĝliorum, & cæt. Vtimur itaque hac figura non ſolum in oratione numeris conſtricta, ſed etiam in ſoluta. Verum illa copulatiuę dictionis repetitio, liberius conceditur Poetis: quod ſi ratione carminis fiat, ut a pueris fieri ſolet, & non ornandi cauſſa, friget: quamuis, nulla etiam impellente neceſſitate, hac loquendi forma utantur Poetæ: quam eandem faceres cum quarta: quod ſi ſenſus crebris copulis connectantur, ad figuras ſen-*

ſententiarum aliqui reijciunt.

Decimaſeptima quę eſt ſuperiori contraria, cum plures dictiones, uel commata, ſententiæque ſine coniunctione cohærent: quam Aſyndeton, uel Dialyſin, & Dialyton, id eſt inconiunctum, diſſolutum & articulum uocant: ut ecce, Abijt, exceſſit, euaſit, erupit: hic repetuntur dictiones eandem uim habentes, omiſſa coniunctione: hic uero commata, Conſtituenda iudicia, reuocanda fides, comprimēdæ libidines, propagāda ſoboles, &c. Virg. Ci.3. ora. Cat.2. Pro Mar.

Ferte citi ferrum, date tela, & ſcandite muros. Li.9.Aen.

Et Martialis,

Frange toros, pete uina, roſas cape, tinge re nardo. Lib.2.

Quod ſi inciſa & membra coniunctiones non poſcant, non erit oratio figurata: ut apud Terentium, At ego neſciebā quorſum tu ires: paruula hinc eſt abrepta: eduxit mater pro ſua: ſoror eſt dicta, &c. Adhibetur hęc figura ad animi impetum, & ad rerum celeritatem exprimendam; quippe magnam acrimoniam & uehementiam habet; ac proinde communis eſt Poetis, & Oratoribus. Eadem utimur ad explicandas res graues, dum laudamus, uel uituperamus: Vt, incertus conſilij titubat, multis diſtrahitur affectibus, feſtinat, differt, au- Eun.act.i. ſce. 2. Fab.lib.9. c.4.

Adel. act. 3. ſcena. det, trepidat, &c. Et Terentius, Tot res repẽte circunuallant, unde emergi non poteſt, uis, egeſtas, in iuſtitia, ſolitudo, infamia. Eſt hæc figura uſitatiſſima in uirtutibus uitijſque enumerandis.

Ver. ult. Huius furta, rapinas, crudelitatẽ, ſuperbiam, ſcelus, audaciam, rerum geſtarum magnitudine atque imperatorijs laudibus tegere conaris. Hanc figuram, ut dicebam, Rhetores Articulum uocant, & fit, cum ſingula uerba interuallis diſtinguuntur, cæſa oratione: ut, rem, famam, parentes, Deum amiſiſti. Atque hactenus de figuris, repetitionis, quibus eadem dictio, pluresve repetuntur: nunc eas ſubijciam, quibus in ſimili uoce & ſono fit repetitio.

Decimaoctaua, quæ Homœoptoton græce, latine ſimiliter cadens appellatur, Cicero uerborum ſimilitudinem & æqualitatem, Ariſtoteles paromæoſin uocat; cum duo aut plura commata ſimili caſuum ſono deſinunt, hoc modo: Quem tu ad cuſtodiendum te diligentiſſimum, & ad ſuſpicandum ſagaciſſimum, & ad iudicandum fortiſſimum fore iudicaſti.

Cat. 1. Itẽ, Domus obſeſſa, ab inimicis bona adempta, poſſeſſio direpta, filij uita infeſta, ſæpe ferro, & inſidijs appetita, &c.

Pro Roſc. Amer. Item, Ille Scipio natus mihi uidetur ad interitum exitiumque Carthaginis, qui illam a multis Imperatoribus

bus obſeſſam, oppugnatam, labefactatam, pene captam, aliquando quaſi fatali euentu ſolus euertit: ſic Titus Annius ad illam peſtem comprimendam, extinguendam, funditus delendam natus eſſe uidetur, & quaſi diuino munere donatus reipublicę. Vbi illud adnotauerim, eſſe quoſdam, qui hanc figuram non diſtinguunt a quarta, in qua non modo idem uerborum ſonus, ut in iſta, ſed etiam eadem repetitur dictio. Homoeoptota, ut orationem ornãt, ſi temperate dictiones concinnentur, ita deformant, ſi nimium frequententur. Huc referres quorundam Poetarum carmina quæ ex induſtria ſimilem habent in omnibus uerſibus caſum: ut Italicæ cantilenæ, quas, rimas uocant, ni ad ſequentem referre mauis.

Decimanona, Homoeoteleuton, ideſt ſimiliter deſinens, cum uerba ſingula, uel potiores uoces in oratione ſimiliter deſinunt, aut cum cola & commata quadam ſimilitudine congruentia, loco conſimili ſonum quendam auribus reddunt æqualem. In uerbis; ut, quam literam e maxillis, & taxillis, & uexillo, & paxillo cõſuetudo elegãs latini ſermonis euellit, ait Cic. Cic. In orat. *In uocibus præcipuis; Tunc illa lepidula, alioqui & delicata puellula, &c. Huc pertinent uerſus illi, quos Adrianus Imperator moribundus fecit.*

Ael. Spar. Animula, uagula, blandula,
Hoſpes, comeſque corporis
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut ſoles dabis iocos.

Pro Mar. *In membris, Verum, animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, &c. Item, cum ſenibus grauiter, cum iuuentute* Pro Coel. *comiter, cum facinoroſis audaciter, cum luxurioſis libidinoſe uiuere. Melius eſt a ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi. Differt hęc figura a ſuperiori, quod illa fieri poſſit in illis orationis partibus, quæ caſus nõ habent, hæc uero in illis quæ ſunt caſibus obnoxiæ. Aliquando ambæ in unam & eandẽ orationem coeunt: ut, Perditiſſima ratio eſt, amorem petere, pudorem fugere, diligere formam, negligere famam. Cæterum his duabus figuris parcius eſt utendum, in re præſertim ſeria, quod ſint nimis apertæ, ac proinde dicenti fidem abrogent: immo etiam, ob illã ſimilem dictionum terminationem, faſtidium afferunt. Fiunt tamen ornatiores, ſi cum alijs commiſceantur figuris, ut cum repetitione, admiratione, alijſque ſimilibus: aut ſi Compar, & Iſon adſint, de quibus nunc dicemus.*

Vigeſima, quæ Iſocolon & Iſocolia græce dicitur, Latini Membrum & compar uocant:

fit

ſit cum duo, uel plura membra abſque nexu, uel cum eo copulata proferuntur: uel cum orationis membra pari fere ſyllabarum numero conſtant: ut, hyeme apparauit, ineunte uere ſuſcepit, media æſtate perfecit. Item, Scipionis uirtus & reip. profuit, & hoſtibus terrori fuit, & ſibi æternum nomen peperit. Item, In fuga foeda mors, in uictoria glorioſa. Maxime probantur orationes quæ tribus conſtãt membris: gratiam amittunt, ſi membra ſint longiora: quare hoc ſchema numero, & breuitate gaudet; ſicut & coniunctionum reiectio. Membrorum uero paritas, non ſyllabarum numero, ſed potius aurium iudicio diiudicanda eſt. Puerile ſiquidem eſt, numerare ſyllabas, cum pauciores, ſi ſint productæ, frequenter æquent eas, quæ ſunt numero plures. Cic.

Vigeſimaprima, quam Græce Pariſon. i. prope æquatũ: uocãt eſt idẽ fere, quod Iſocolõ, niſi quod in hoc ſchemate, unum uel alterum membrum aliquid amplius habet, quam alia: ut in hac ornatiſſima membratim compoſita apparet periodo. Tu, cum furiales in concionibus uoces mittis: cum domos ciuium euertis; cum lapidibus optimos uiros foro pellis: cum ardentes faces in uicinorum tecta iactas: cum ędes ſacras inflammas: cum ſeruos concitas: cum, inquam, ſacra ludoſque conturbas: cum De Auſp. Reſp.

uxorem ſororemque non diſcernis: cum quod ineas cubile non ſentis: cum baccharis, cum furaris; tum das eas poenas, quę ſunt hominũ ſceleri a Dijs immortalibus conſtitutæ. Huc referres eam, quæ gręce Chiaſmos, latine decuſſatio dicitur, cum in oratione quattuor unius periodi membra ita affecta ſunt, ut inter ſe uarie commutari poſſint: de qua aliquid dicam, cum de numero oratorio ſcribam. Atque hę ſunt figuræ, quas ad hunc ordinem referre placuit: quamuis non ignorem eſſe quoſdam, qui huc plures reuocant: quas, cum potius a rerum, quam a uerborum repetitione uim ornamentumque habeant, in alios ordines reiecimus; ut ſunt reduplicatio per Gradationem, Paradiaſtolen, Synœceoſin, Commutationem, & denique per Contrarium, & Contentionem. Sunt etiam qui huc referant Adiũctionem, ſiue Zeugma, Diſiunctionem, Diſtributionem, Synonymiam, ſiue Interpretationem, atque Congeriem, ſiue Synathrœſmum, de quibus omnibus nos ſuis locis infra agemus. Hic igitur ſit huic diſputationi finis.

Lud. Gra.

De

De figuris ſententiarum, quæ per interrogationem fiunt. Diſputatio XIX.

VERBORVM repetitionem ad ſententiam figurate explicãdam in promptu eſſe ſuperius diximus: ac proinde de uarijs repetitionum formis, unde uerborum oriuntur figuræ, primo loco egimus: nunc de figuris ſententiarum agendum eſt. Ac primum quidem de illis, quæ & notiores ſunt, & maiorem quandam uim, motum, geſtumque orationi tribuunt, ut ſunt interrogationis & exclamationis figuræ: quarum illæ ad animi intelligentiam, hæ ad affectum pertinere uidentur; illæ magis docent, hæ magis mouent. Quoniam igitur, cum quippiam magis aßeuerare ac demonſtrare uolumus, Interrogatio ad manum eße ſolet: qua cum nihil ſit in oratione flexibilius, & nihil quod quocunque duxeris, facilius ſequatur, atque etiam ad omnes affectus uehementius exprimendos magis accommodatum, ideo de ea prius, quam de alijs ſententiarum ſchematibus agendũ duximus; cum & notior, & frequentior eſſe ſoleat. Et quamuis alij, uel ad Apoſtrophen, uel ad Pro-

lepſin,

lepſin, ſeu præoccupationem eam reuocent; tamen nos ſeorſim de ea diſputare uoluimus; tũ quia plures ſub ſe modos habet, tum etiam quod plura de ea occurrunt dicenda: & quidem primum uniuerſe, tum priuate de Interrogatione agemus: de qua, miſſis aliquibus dubitandi rationibus, quas inter docendum explicabo, has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, Interrogatio duplex eſt, altera recta, altera figurata. Rectam eam appello, cum ideo interrogamus, ut aliquid ſciamus: ut, Dic mihi Damœta, cuiũ pecus? &,

Vir. lib. 1. Aen. Sed uos qui tandem? quibus aut ueniſtis ab oris?

Hanc, alij ſimplicem nominant. Figuratam uero, quæ ad aliquam animi affectionem habitumve exprimendum adhibetur; & ideo inter ſchemata ſententiarum ponitur.

Secunda poſitio, Figurata Interrogatio eſt ſchema, quo non ſciſcitandi, ſed alicuius affectus demonſtrandi cauſſa percontamur, non adiecta reſponſione noſtra. Dicimus, non ſciſcitandi cauſſa, ut eam diſtinguamus ab interrogatione ſimplici: dicimus, non adiecta, &c. ut diſtinguamus a ſubiectione. Hæc a Græcis Erotema, eroteſis, & peuſis dicitur: quamuis hæ uoces etiam priuatis accommodentur interrogationibus, ut poſtea dicetur.

Ter-

Tertia poſitio, figurata interrogatio uarijs inſeruit affectibus, ſed præcipue his de cauſis adhibetur. Cauſſa aſſeuerandi, ut, Lege, Fab. lib. 9. c. 2.

Non ego te uidi Damonis peſſime caprum Vir. ecl. 3.

Excipere inſidijs?

Inſtandi, ſiue urgendi, ut, Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? Patere tua conſilia non ſentis? Quid tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Indignationis cauſſa; ut, Pro lig.

Et quisnam Iunonis numen adoret? Aen. 1.

Indignationis ſimul & tædij, ut, O generatio incredula & peruerſa, quouſque uobiſcũ ero? Quandiu uos patiar? Admirationis, Quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames? Miſerationis, Heu quæ me tellus, quæ me æquora poſſunt accipere? Dubitationis, Quid agam? quo me uertam? Vt acrius imperemus; ut, Non arma expedient? Et denique irriſionis cauſſa: ut, ubi mors ſtimulus tuus? ubi inferne aculeus tuus? En igitur quot animi formas & habitus una indicet interrogatio. Aen. 3. Aen. 2.

Quarta poſitio, huius figuræ utilitates & uſus hi fere ſunt. Valet ad amplificandam orationem, cum quod ſimpliciter eſt dictum, poſſit per interrogationem efferri: confert ad orationis uarietatem, cum eam uarijs modis in

flectat,

ſlectat, in multaſque formas immutet: ſi tempeſtiue adhibeatur, magnam acrimoniam, ſpiritum, uigoremque tribuit orationi: habet uim ad probandum mirabilem, cum auditores putent, nũquam Oratorem interrogaturum fuiſſe, niſi certo ſciret ſibi paratam eſſe ſolutionem, aut aduerſarium nihil reſpondere poſſe: & interdum plus habet neruorum, quam ſumma confirmatio. Vt eſt illud Medeæ apud Ouidium, Seruare potui, perdere an poſſim rogas? uehementius urget ac premit, quam ſi dixiſſet, Si potui ſeruare, potero & perdere. Denique attentionem parat, quia dum Orator ſe, uel alios interrogat, ſe & alios excitat; & ita interrogatio, quaſi aculeus, languentem auditorem commouet.

Quincta poſitio, in huius figurę uſu hæc animaduertenda ſunt. Sit tempeſtiua, circumſpecta, idonea, accommodata, non nimis frequens, ne frequentia ſatietatem pariat, in quo pueri facile peccant. Cauendum ergo eſt ne Stoico more, de quo in paradoxis mẽ- In pro: tionem fecit Tullius, minutis & crebris interrogatiunculis utamur. In actionibus poterit eſſe frequentior, in ſermonibus familiaribus rarior. Atque hæc de Interrogatione uniuerſe dicta ſint; nunc priuate quoſdam eius modos, ſiue ſpecies explicabimus.

Pri-

Prima quæ a Latinis ſubiectio dicitur, Græci Hypophoram, & Antipophoran uocant: aliqui oppoſitionem, & obiectionem transferunt. Fit hæc figura, cum ipſi noſtræ interrogationi reſpondemus: idque tribus modis, ut quidam ſcribunt. Primo, cum nobis ipſis obijcimus, quod ab auditoribus obijci poterat, & quaſi obiectum ſit, reſpondemus; ut, ecce. Dicet aliquis, hæc eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? apud Ciceronem in Cæliana, ad quam interrogationem his uerbis reſpondet, Ego ſi quid, Iudices, hoc robore animi, atque hac indole uirtutis ac continentiæ fuit, etcæt. Qui modus argumentationi cõuenit, ut quidam adnotauit. Secundo, cum aduarſariũ compellamus, ut reſpondeat, & quaſi reſponderit, refellimus; hoc modo. Nunc appello te qui in peccato perſeueras, cur in iſta profligata uitæ ratione perſiſtis? quod ſperas te aliquando ad bonam frugem reuerſurum: At quis te de futura uita ſecurum fecit? diuinum auxilium expectas? at hoc perpetuo adeſt: fortaſſe ſpem ſalutis abiecisti? at diuina miſericordia nulla peccatorum infinitione ſuperari poteſt. Quid igitur relicto peccato, iuſtitiam non amplecteris? Qui modus aptus eſt ad inductionẽ faciendam. Tertio, cum quaſi deliberantes uaria proponimus, et ſingula confutamus,

mus, hoc modo. Quid eſt in hoc mundo in quo homo acqnieſcat? diuitiæ? at non hominis, ſed fortunæ ſunt bona: honores? ſed his nihil magis oneroſum: atque moleſtum. Vires? nerum breui morbo & ætate ipſa imminuuntur. Scientiæ? H.as qui habet, non propterea quicquam boni habet, cum hominem bonum efficere non queant. Hic modus ualet ad conſultandum.

Secunda, appellatur Percunctatio, cum interrogatio eſt huiuſmodi, ut non patiatur reſponſionem: ut, & domus tibi deerat? at habebas: Nunquid Dominus repulit populum ſuum? abſit. Quid ergo audaciſſimus ego ex omnibus? minime.

Cic. Pro Roſ. Amer. Pſal. 5. *Tertia Peuſis, ſpecialis quædam interrogatio, quę fit cũ reſpõſio eſt in prõptu: Qualis eſt iſta in diuinis literis, Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen uultus tui Domine. Huc fortaſſe pertinent interrogationes quædam, quæ ſunt diuo Paulo frequentes: quibus dum ipſi quæſtionem proponimus, & mox ad eam reſpondemus, auditorẽ attentum et docilem reddimus. Vbi eſt gloria*
Rom. 3. *tio tua? excluſa eſt. Per quam legem? factorũ? non, ſed per legem fidei: & Chriſtus Dominus, Quid exiſtis uidere in deſertum? arundinem*
Luc. 7. *uento agitatam? Sed quid exiſtis uidere? homi*

nem

nem mollibus ueſtibus indutum? & cæt. Item, cui aſſimilabo homines generationis huius? & cæt. Item, quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? & cæt.

Quarta, Erotema id eſt interrogatum, quo, ut ait Aquila, utimur, ut augeamus: uel ut Caſſiodorus docet, cum amplificare uolumus: uel inſtandi exarcebandique cauſſa: uel denique cum interrogamus, ut ſciamus, & poſtea argumentemur.

Quincta, quæ Pyſma græce dicitur, latine, Quæſitum, quæſtio, cum talis eſt interrogatio, ut ei unico uerbo ſatisfieri non poſſit, ut ſcribit Aquila; ut, qua igitur ratione bellum geremus? quę nobis auxilia parata erunt? Et hęc fortaſſe eſt interrogatio illa, quam Caſſiodorus Exetaſmon ideſt inquiſitionem, & exquiſitionem uocat: quæ fit cum plura quæruntur, & ſingulis reſpondetur.

Sexta, eſt alia interrogatio, quæ reſponſio appellatur, Iulius Apophaſin, & Aetiologiam uocat: aitque eſſe uenuſtum ſchema, cum quaſi alio interrogante noſipſi reſpondemus, & rationem reddimus; cum ſcilicet defenſio confeſſionem præcurrit: quę fit uitandi, aut augendi criminis cauſſa; hoc modo, Nunquid hominem occidiſti? reſpondetur, latronem. Num fuſtibus uapulaſti? reſponſio, & innocens quidem.

dem. Aliquando reſpondentes aliquid aliud aduerſario obijcimus, ita ut quæſtio quęſtioni opponatur: ut, Si iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus eſt Deus? Abſit: alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Cęterum, omnes interrogationis modi hactenus recenſiti, ſubiectiones quædam uidentur. Quod ſchema nonnihil habet affinitatis cum quibuſdam alijs figuris: cuius tamē magna eſt utilitas: ualet enim ad perſpicuitatem, docilitatem, uehementiam, grauitatem, ſplendoremque.

Septima, Epitrocaſmos latine Percurſio, cum multa terribiliter interrogantur: eſt itaq; interrogatio ſeueriſſima, quam alij Pyſma uocant: ut, Quis tu homo es? quid tibi uis? Quid cum illa tibi eſt? At uero Caſsiodorus, & Aquila, tunc putant fieri Epitrocaſmum, cum quod pluribus dicendum erat, breuiter percurrimus: alij cum quippiam cum celeritate dicitur: de quo ſchemate infra agemus. Ter.

Octaua, Dubitatio, uel Addubitatio, græce Aporeſis, uel ut loquitur Rutilius Aporia, cū nos dubitare, & aliquid neſcire, animumque in ancipiti cura uerſari ſignificamus: hoc modo, Equidem, quod ad me attinet, quo me uertā neſcio. Eloquar, an ſileam? Item, quid agam, iudices, quo accuſationis meæ rationem conferam? Pro Clu.

ram? quome uertam? Quid primũ querar, aut undę potiſſimum exordiar iudices? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorum ne immortalium? populi ne Romani? ueſtram ue, qui ſummam poteſtatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Et apud Pindarum, Citharæ imperantes hymni, quem Deum, quem heroa, quem hominem ſonabimus? Eſt etiam apud Liuium in Perſei oratione pulcherrima dubitatio, Quo enim alio confugiam: cui non ſollemne luſtrale exercitus, & quæ ſequuntur. Vtimur hac figura ad rem aliquam augendam, magiſque laudandam; cum quid potiſſimum dicendum et unde incipiendum ſit, quærere, & ab alijs percontari ſimulamus: & ideo in genere laudationis & deliberationis locum habet. Solet occupare præcipue orationum & epiſtolarum exordia: quod exordiendi genus rem maxime amplificat, & exaggerat, auditoremque attentum facit. Confert etiam ad aliquid occultandum, diſſimulandumque, ut hoc in loco apud Terentium, Dij voſtram fidem: quid turbæ eſt apud forum? quid illic hominum litigat? Denique, ſolet interdum hoc ſchema cum exclamatione coniungi, hoc pacto, O impudentiam prædicandam? impudentiamne dicam, an ſtultitiam ſingularem?

Pro Roſc. Amer.

Pind.

Lib. 10. Dec. 4.

In And. act. 4. ſce. 4.

Nona, Anacœnoſis, latine Communicatio, ſuperiori maxime affinis, ſed ibi noſipſos, hic alios interrogamus: fit, cum, vel aduerſarium ipſum conſulimus, uel iudicem ueluti in conſilium adhibemus: eſt itaque quædam cum alijs conſultatio, ac deliberatio: ut, Nunc ego uos iudices conſulo, quid mihi faciendum putetis. Id enim mihi conſilij, & cæt. Item, Hic iam, ut omittam cætera, de ipſo Labieno quæro, cum Saturninus capitolium teneret, & cæt. quid tandem C. Rabirio faciēdum fuit? de te, inquā Labiene quæro, cum ad arma conſules ex ſenatus conſulto uocauiſſent: & quid tandem C. Rabirium facere conuenit? Hæc figura uim habet magnam ad urgendum, obiurgandum, & ad confeſſionem ipſam extorquendam. Interdum etiam non parum confert ad flectēdos iudices & auditores ad clementiam, ſi in ipſorum æquitate ſpem & fiduciam noſtram collocemus. Atque hæ ſunt figuræ, quæ ad Interrogationem reuocari poſſunt: cum omnes, quas in hoc ordine numerauimus, habitum quendā ab ipſa interrogatione uniuerſe ſumpta, accepiſſe videantur.

Act. 2. in uer.

Pro Rab.

De figuris ſententiarum, quibus aliqua animi affectio motus ue expresſius ſignificatur. Diſputatio XX.

VT Interrogatio ad animi conceptus affectuſque uarie formatos exprimendum eſt ualde accõmodata, ita etiam Exclamatio, per quam, ſicuti per interrogationem, compella re ſolemus; quæ multis allocutionibus inſeruit. Quo fit, ut ſit ueluti quidam fons, unde maiores ex animi commotione prorumpunt affectus, aliqua uel expreſſa, uel ſubintellecta interiectione. Ex quibus intelligeres, cur poſt interrogationis figuras nunc de Exclamatione eiuſque formis agamus: tum quia Exclamatio eſt compellatio quædam, & poſt interrogationem maxime in promptu eſt: tum etiã quod maiores ſententiarum, ſiue affectionum animi geſtus, uniuerſe loquendo, exprimit. Prima itaque huius ordinis figura appellatur Exclamatio, ad quam, ut dicebam, multæ alię figuræ, quibus tota fere continetur pathopoeia, ideſt affectuum commotio, tanquam riuuli ad fontes reuocantur: de qua cum plura nobis dicenda ſint, has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, Exclamatio numeranda eſt

in figuris, non quia figuræ ſimilitudinem habet, ſed quia eſt uera figura. Hoc affirmauerim
Lib.9.c.2. *contra Quinctilianũ, qui exiſtimauit eſſe quidem in figuris ponendam, ob quandam ſimilitudinem, quam habet figuræ: idque hac ratione*
Ram. Claud. *nixus affirmat, quod figura debet continere ſimulationem quandam, quam in Exclamatione non cernimus. Quod ſi uera eſt figuræ definitio, quam ipſe libro nono capite primo attulit, figuram eſſe conformationem orationis remota a communi conſuetudine loquendi, non uideo, cur Exclamatio non ſit proprie figura; cum noua quadam ratione multum orationem conformet.*

Secunda poſitio, Exclamatio nõ in tropis, ſed in ſententiarum figuris eſt ponenda. Eſt hæc doctrina pro Quinctiliani opinione, con-
Lib.9.c.3. *tra quoſdam, qui exclamationẽ ad tropos reijciebant: quod ſenſiſſe uidetur Tullius in tertio de oratore ſermone. At pro noſtra ſentẽtia eſt hæc manifeſta ratio: quia Exclamatio fit ſine ulla uerbi mutatione: & cum affectum exprimat, profecto, non tropus, ſed ſchema cenſenda erit.*

Tertia poſitio, Exclamatio eſt ſententiarũ figura, quæ ex animi affectu proficiſcitur, cuius affectus, interiectione aliqua expreſſa uel tacita, per alicuius rei compellationem, ſignifi-

cationem

cationem damus. Exclamatione itaque, quam Græci Ecphoneſin uocant, aliquem indicamus affectum; ueluti doloris, indignationis, deſideriy, lætitiæ; & alios, idque rem, uel perſonam aliquam compellando: quo fit, ut fere ſemper quandam conuerſionem ſiue apoſtrophen contineat. Vt ecce, O terram illam beatam, quæ hunc uirum exceperit? O portẽtum in ultimas terras exportandum? O ſpes hominum fallaces? O ſuaues epiſtolas tuas, uno tempore mihi datas: quibus euangelia quæ reddam neſcio, deberi plane ſcio. Pro Mil. Ad At.

Quarta poſitio, ſæpe in hoc ſchemate reticetur particula, quæ exclamationi inſeruit, quæ ſub intelligenda erit. quod tunc fieri ſolet, cum affectus eſt lenior; ut hoc in loco.

Fortunate ſenex, ergo tua rura manebũt? Virg. Ecleg. I.

Sceleſtum; Dij immortales; ac nefariũ facinus, Interdum cũ interrogationis nota effertur; ut,

Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt Vir. lib. 2. Aen.

Accipere?

Particulæ, quæ in exclamatione adhibentur, ſunt iſtæ: o, heu, pro, en, & harum ſimiles, ut ſunt interiectiones. Quare, non ſolum ibi agnoſcenda eſt Exclamatio, ubi aliqua eius exprimitur particula, ſed etiam eo in loco, ubi ſubintelligenda eſt; & maxime ubicunque impotens

Rom.7. *irrumpit affectus: ut eſt apud Paulum, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? id eſt, de corpore hoc morti obnoxio, ſeu potius, de hac maxima miſeria.*

Quincta poſitio, Exclamatio aliquando inſeritur per parentheſin, ubi magnam uim habet, ſicuti etiam, cum per expreſſam fit apoſtrophen; Vt ecce, O uos omnes, qui tranſitis per uiam attendite, & cæt.

——Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?

Quis unquam, (Deum immortalem) id facere auſus fuiſſet? Aliquando inſeruit deſperationi; ut, o fruſtra mei ſuſcepti labores? aliquãdo irriſioni; ut o ſtultos Camillos, Curios, Fabritios, Calatinos: e contra, elogio: alias exprimit uotum, ſententiam, & efficaciam.

Sexta poſitio, in uſu huius figuræ, quæ maioribus inſeruit affectibus, eſtque ad animos permouendos inſtrumentum aptiſſimum, hæc animaduertenda ſunt. In re frigida exclamare & ab exclamatione exordiri dementium eſt: tunc adhiberi debet, cum rei magnitudo poſtulat, cum rem maioris momenti probaueris, & auditorum animos commoueris: quo fit, ut in epilogo priuatam ſedem habeat: denique, nec frequens, nec diuturnus ſit exclamationis uſus de qua hactenus.

Secunda, Admiratio, quæ eſt ueluti Exclamatio quędam, ſed ſine maiore animi commotione: ut, O clementiam admirabilem, atq; omni laude, prędicatione, literis, monumentiſque dignam? Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo? Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra?

Tertia, Optatio, ſiue uotum, græce, euche; qui affectus proficiſcitur ex re uehementer deſiderata: Vtinã, Quirites, uirorum fortium atque innocentium tãtam copiam haberemus, ut hæc deliberatio uobis difficilis eſſet, & cæt. Pro Pōp. *Et apud Ouidium,* Epiſt.1.

O utinam tunc cum Lacedęmona claſſe
  petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.

In quibus exemplis uides Optationem nõ ſolũ eſſe temporis futuri, ſed etiam pręteriti: ſed quo pacto id eſſe poſſit, ij uideant, qui mores tractant Philoſophi. Virg.

Sic pater ipſe Deũ faciat, ſic altus Apollo.

Optatio itaque uoti alicuius ſignificationem præbet.

Quarta, Deprecatio, ſeu ſupplicatio, græce Deeſis, cũ Dei, uel hominis alicuius auxilium imploramus: eſt itaque ſupplex poſtulatio: Ab Ioue opt. max. cæteriſq; dijs immortalibus pacem & ueniam peto: Et apud Virg. Pro Rab.

Da (non indebita poſco.
Regna meis fatis) Latio conſidere Teucros.

Li.6.Aen. Pind. *Pindarus ode ſeptima, longam ponit Deorum deprecationem: & Tullius in oratione antequã iret in exiliũ. Nunc ego te Iupiter Opt. Max. &c. & Demoſthenes orationem cõtra Aeſchinem a precatione exorditur. Cæterum tunc proprie deprecatio dicitur, cum ueniam culpæ ex imprudentia, aliave neceſſitate commiſſæ petimus: at poſtulatio meritis, nititur, ut ſupplicatio, gratia & æquitate.*

Quincta, Obteſtatio, ſeu obſecratio, cũ per rem ſacram, aut caram aliquid depoſcimus: ut, Per ego te Deos oro: per dexteram iſtam te oro, quam Regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti.

Quod te per cęli iucundũ lumẽ, & auras,
Per genitorem oro, per ſpe ſurgentis Iuli:
Eripe me his inuicte malis.

Et diuus Paulus, Obſecro uos per miſericordiam Dei, ut, &c.

Sexta, Adiuratio, ſiue iuramentum & aſſeneratio, ſuperiori finitima; quæ maiorem adhuc uim habet. Albani tumuli, atque luci, uos Pro Mil. *inquã imploro atq; obteſtor, &c.* Ter. i Hec act.3, ſc.5 *Nec culpa hoc eueniſſe diſſidiũ mea, id teſtor Deos: Gaudeo ita me dij ament, gnati cauſſa. Diſpereã, ſi quid*

quid eſt mihi antiquius pudicitia? Hæc ita aperta ſunt & manifeſta, vt medius fidius, in uite ea dicam. Et quidam religioſus uir, cum demonſtraſſet, etiam unius minimę ſtellæ magnitudinem multis partibus eſſe maiorem hoc terreſti globo, quem mortales incolunt, ad res humanas contemnendas, & cœleſtis regni magnitudinem acquirendam, his uerbis per adiurationem eſt cohortatus. Adiuro te, lector, quiſquis es, ut chriſtiano pectore etiam atque etiam perpendas, ex his quæ dicta ſunt, quam ſit miſeranda ſors eorum hominum, qui propter anguſtiſſima huius terræ gurguſtiola, immenſam illam cœleſtis regni magnitudinem amittunt, & quę apud ipſum ſequuntur. Poſtea per exclamationem concludens ait. O uanas hominum curas? o pectora cœca! Diſce, o miſer, pro quam minima recula, quãtum amittas theſaurum: & pro anguſto formicarum nidulo quam amplum abijcias palatium, dum terrenam ſortem cœleſti præeligis. Legit fortaſſe hic auctor, ea quæ de eadem uanitate, eundẽ locum tractans, aliquando docte ſapienterque ſcripſit Seneca. Titelm. Præfat. in Meteor.

Septima, Imprecatio, cum alicui malum imprecamur: At iſtos inuidos, dij perdant, qui hęc libenter nũtiant. Percutiat te Deus, paries dealbate. Virg.

Hos

Hos illi (quod nec bene uertat) mittimus hœdos.

Ecl.9. *Dij te perdant ſerue fugitiue: ita non modo*

Pro Deio. *nequam & improbus, ſed fatuus & amēs es.*

Octaua, Ominatio, quæ eſt denuntiatio eorum, quæ futura ſunt: Iulius Diabolen uocat,

Pro Mil. *Erit, erit, inquit Cicero, illud profecto tempus, & illuceſcet aliquando illa dies, &c. Virg.*

Vir.lib.4. Aen. Tum uos, o Tyrij, ſtirpem & genus omne futurum

Exercete odijs, &c.

Ter. in And. act. 4. ſce. 4. *Nona, Minæ, ſiue comminatio, quæ eſt admonitio cum prędictione futuri mali. Verbū, ſi mihi vnum, præterquam quod te rogo, faxis, caue. Huc referres præſagium, ſiue prædictionem, & augurium.*

Decima, Abominatio, quę fit cum malum auertimus; Dij meliora, Deus auertat: abſit tā grande malum: Deus tantum facinus, & tantam calamitatem auertat.

Vndecima, Execratio, quam Rufinianus Arian uocat, cum aliquod ſcelus deteſtamur: ut, O ſcelus, o portentum in ultimas terras exportandum: o ſcelus, o peſtis, o labes.

Duodecima, Indignatio, quam græce Aganacteſin uocant; quæ ut Iulius ait, maxime pronuntiatione fit, & ab ira proficiſcitur, Virg.

Can-

Cantando tu illum? aut unquam tibi fiſtula cera
Iuncta fuit?

Et in ſacris literis, Vade retro me ſatanas: Diſcedite a me oẽs qui operamini iniquitates.

Decimatertia, Adhortatio, græce, Epitrope, & huic contraria Dehortatio, Et nunc Reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram. Cohortarer uos, quo animo fortiore eſſetis, &c. Eia, age, rumpe moras, &c. Tecum loquere, te adhibe in conſilium, te audi, tibi obtempera. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Pſal. 36.

Decimaquarta, Admonitio, conſiderandum uobis etiam atque etiam, animæ meæ, diligenter puto, quid faciatis, &c. Epiſt. 18. Lib. 14.

Decimaquincta, Obiurgatio & increpatio & Inſectatio, ut eſt hæc apud Virg.

Non ego te uidi Damonis peſſime caprũ
Excipere inſidijs?

Et regius Vates, In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montes ſicut paßer? Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Pſal. 51.

Decimaſexta, Querela, ſiue lamẽtatio; qualis eſt illa apud Virg.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit? Ecl. 1.

Barbarus has ſegetes? En quo diſcordia ciues
Perduxit miſeros? En quis conſeuimus agros?

Decimaſeptima, Conſolatio, & commiſeratio: ut,

—Et dictis mœrētia pectora mulcet.
Aen.lib.1. O ſocij (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque finem.

Sed, miſerum me, quanto hæc dixi cum dolore? Heu Poſthume, tu ne es curij filius? C. Rabirij iudicio, & uoluntate filius, natura ſororis filius? tu ne ille in omnes liberalis? cuius multos bonitas locupletauit, qui nihil profudiſti, nihil in ullam libidinem contuliſti, &c.

Decimaoctaua, Aggratulatio, & Gratulatio: ut, Vos meæ caræ animæ, quam ſepiſſime ad me ſcribite, & uos quid agatis, & quid iſtic agatur: Te uero, mi Rufe diligo, &c. Tamen maximam lætitiam cœpi ex tuis literis, de ſpe minime dubia, & plane explorata triumphi tui.

Decimanona, Gratiarum actio, græce, Euchariſtia, ut, Trebatio noſtro magnas gratias ago, quod tuum erga me animum ſimplicem, atque amicum aperuerit, &c. Quod familiarē

meum

meum in tuorum numero habes; opinione tua mihi gratius eſt.

Vigeſima, Exultatio, O mi Aeſchine, O mi germane, ha uereor coram in os te laudare amplius: Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. Ter. in Adel.

Vigeſimaprima, Epiphonema; latine Acclamatio, de qua paullo plura dicemus, cum ſit ſchema maxime illuſtre. Epiphonema igitur, eſt exclamatio quædam; ac proinde hũc in modum eam definiunt, Epiphonema eſt rei narratæ, aut probatæ acclamatio: uel melius, Adiecta per acclamationem oratio, uel ſentẽtia. Alij hoc modo, Acclamatio eſt ſententia extrinſecus aſſumpta, cum audacia. Dicũt enim duo eſſe Epiphonemati propria: unum, ut cum fiducia proferatur; alterum ut ſermoni apponatur tanquam coronis extremaque ſententia: ex quorum primo efficitur, ut extrinſecus aliquid aſſumat, non ſine audacia. Id autem quod aſſumitur, non debet prorſus a re de qua agitur, eſſe alienum: quod ſane non erit, ſi qua apparebit ſimilitudo, aut neceſſitas concluſionis: ut in ſequentibus patebit exemplis. Cum bonus Poeta demonſtraßet quodcunque animal aliqua re affici, & aliqua ex re delectationem capere, epiphonematice conclusit,

——Trahit ſua quenque uoluptas. Eclog. 2.

Idem,

Idem, cúm per diatypoſin tempeſtatem, procellamque, qua cœlum obſcuratum fuit, deſcripſiſſet, per acclamationem hunc in modum finiuit,

——Ponto nox incubat atra.

Aen. 1.

In parad.

O dij immortales, inquit per Acclamationem Tullius, non intelligunt homines, quam magnũ uectigal ſit parſimonia. Siquis deteſtatus eſſet ebrietatem, hoc modo per acclamationem poſſet concludere, Cui placet ebrietas, placeat & inſania. Et qui ad eleemoſynam, liberalitatemve in egenos, hoc modo, Nõ homini, ſed Deo dat, quiſquis opitulatur egeno: uel hoc modo, Sunt pauperis manus gazophilacium Chriſti. Tunc itaque commode acclamatur, cum in fine ſermonis aliud membrum ponitur, in quo breuiter uis totius orationis continetur. Sed ea cenſetur pulcherrima, quæ aliqua conficitur ſententia: quod genus epiphonematis gnomicum appellatur: ut eſt illud primo loco citatum ex Virgilio. Sunt autem, qui tres formas Acclamationis faciant: quarum una extrinſecus nonnihil quærit cum audacia; ut patet in altero epiphonemate ex Virgilio allato: altera rei ſummam continet: tertia uero fit per generalem ſententiam, locumve communem. Quo loco animaduertendum eſt, Acclamationem continere ſæpenumero admiratio-

tionem, & tunc facile cognoſcitur: quando au tem eſt ſine admiratione, non ita. Quod attinet ad loca in quibus adhiberi ſolet, ut ex ipſius deſcriptione patet, ponitur in fine rei narratæ, & probatæ, ſeu in fine narrationis & alicuius argumentationis, probationisve: rurſus in proſopopœia, & ſimpliciter, in omni ſermone poni commode poteſt. Eſt hoc ſchema ualde accommodatum epigrammatis, in quibus apta concluſio mirum in modum ſplendet. Frequens fuit Valerio Maximo, quem ex noſtris imitatus eſt M. Marulus. Seneca ſuas epiſtolas ſæpe epiphonemate finit: ſed nulla inuenies ſcripta in quibus magis hoc ſchema ſplendeat, quam Dauidica. Denique, ut hæc figura gratiam, ſplendorem, & multum aculeorum habet, ſi ſermoni quadret, ita eius frequentia, & incongruus vſus tædium affert, & fidem dicenti abrogat.

Vigeſimaſecunda, Apoſiopeſis, latine Reticentiam uocauit Cicero, Celſus Obticentiam, alij Interruptionem. Eſt autem figura, qua inchoatæ ſententię curſus ita reuocatur, ut inde eius pars alia non dicta, intelligatur. Vel eſt alicuius rei caußa abrupta oratio, Differt ab Eclipſi & Synedoche, quod ſit concitatioris affectus. Cauſſæ autem ob quas fieri ſolet hæ fere ſunt. Prima, affectus aliquis

iræ,

iræ, uel grauioris doloris. Vt ecce,

Aeneid. 1. Iam cœlumterramque meo ſine numine uenti

Miſcere, Et tantas audetis tollere moles?

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Vbi ex affectu iræ & indignationis Neptunus orationem abrumpit. Secunda pudoris & honeſtatis cauſſa; ut,

Virg. Eclog. 3. Nouimus, & qui te tranſuerſa tuentibus hircis,

Et quo: ſed faciles Nymphæ riſere ſacello.

Tertia, timoris; huius modi affert exemplum Fabius ex oratione pro Milone, ſed non ex ea, quæ nunc extat, ſed ex alia, quam Cicero habuit; ubi per reticentiam dixit, De noſtrum enim omnium, non audeo totum dicere. Quarta, cum quis per ſeipſum tacet, & ad alia tranſit. Virg.

Nec requieuit enim, donec Calchantem miniſtro,

Sed quid ego hæc autem?

Quincta, cum quis tacet, nec ultra loquitur: ut, Iam ſi uerbum ullum poſt hac. Denique alicuius perſonæ interuentu, ut ſæpe accidit in comœdijs.

Vigeſimatertia, Apoſtrophe, latine Auerſio,

ſio, quam deſcribens Fabius, ait, eſſe ſermonẽ à Iudice auerſum: ſed anguſte definit, niſi per Iudicem quamcunque intelligat perſonam. Et multo melius definiuiſſet, ſi per perſonam ad quam ſit conuerſio deſcripſiſſet, ut alij fecerũt, Neque eius mutatur natura, quamuis interdum parentheſi includatur, quod Fabius uidetur ſentire. Alij hoc pacto deſcribunt, Auerſio eſt cum ſermo ad aliam perſonam conuertitur, quam inſtituta oratio requirit: addunt aliqui, præſentem, uel abſentem, uel etiam defunctam, & fictam. Sed quoniam non ſolum ad perſonas, ſed etiam ad res ratione & ſenſu carentes ſolemus ſermonem conuertere, hunc in modum melius hoc ſchema deſcriberes, Apoſtrophe eſt ſchema, quo ſermo ab ijs quibus cum loquimur, uel a re de qua loquimur, ad aliam perſonam remve conuertitur. Cæterum res illa ad quam ſit Apoſtrophe, per proſopopoeiam fingitur perſona, ſi non ſit. In hoc itaque ſchemate ſermo, cum aliquo corporis geſtu, uociſque elatione, affectique animi declaratione mutatur. Huius figuræ quidam tres faciunt modos: vnum quo ad hominem, alium quo ad perſonam diuinam, tertium quo ad perſonam ſenſu carentem conuertimur. A Cæſare ad Tuberonem hoc modo ſermonem deflexit Tullius: Quid enim tuus ille Tubero

Li.9.c.2.

Li.9.c.3.

in acie Pharſalica gladius agebat? Et Virg.

Li.6.Aen. Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli

Scipiadas, cladem Lybię? &c.

O leges Portię, legeſque Semproniæ? &c. O munde, quam blanda ſunt quæ promittis, quã amara quæ reddis. Quid eſt tibi mare quod fugiſti? & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum? Quæ apoſtrophe iunctam habent proſopopeiam. Fit etiam interdum ad ſeipſum; ut hoc in loco apud Virgilium.

Psal. 111.

Eclog.2. Ah Corydon Corydon, quæ te dementia cepit?

Et in diuinis literis, Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Interdum Apoſtrophe eſt imperatoria, interdum hortatoria; ut cum imperamus perſonę, aut rei ad quã conuertimur: & pro affectuum, & ſententiarum uarietate, uarias appellationes ſuſcipere poteſt. Attollite portas principes ueſtras, &c. Inſeruit itaque hæc figura, ut de eius uſu aliquid dicamus, multis affectibus, ut lætitiæ, indignationi, inuidiæ, commiſerationi, implorationi, & inuoc tioni, qua initio ſuorum operum uti conſueuere poetæ; Virg.

Muſa mihi cauſſas memora, quo numine læſo,

Quidve dolens regina Deum, &c.

Locus

Locus huic figurę maxime accommodatus, eſt, cum dicendo oratio incaluerit: tunc enim mirũ in modũ ad cõcitãdos affectus cõducit. Horat.
Heu nimis longo ſatiate ludo.
Et cum acrius aduerſarium urgere uolumus, ut fecit Cicero conuerſus in Tuberonem. Et quamuis nonnulli, ut Fabius refert, dixerint hanc figuram non habere locum in orationis principio: tamen ibi poni poſſe Ciceronis exẽplo in prima aduerſus Catilinam oratione docemur. Et regius Vates, omnium ſcriptorum artificioſiſſimus, non ſemel ab hac figura exorſus eſt. Denique confert hæc figura ad copiam orationis, & uarietatem: ut, Plato huius ſententiæ auctor extitit, ac propugnator: Opinionem iſtam quibuſnam rationibus auctor aſſertorque Plato defendis? Pſ. 3. 5. 24 45. 64. 102.

De quibuſdam ſententiarum figuris, quę uim probationis habent. Diſputatio XXI.

OMNEM figurarum uarietatem, in explicatione, probatione, amplificationeve ſententiæ ſpectari poſſe, non male affirmaret quiſpiam. Nos hactenus eas expoſuimus, quæ, uel per repetitionem, uel per in-

terrogationem, uel per exclamationem alioſq; affectus orationem conformant: nunc de ijs agemus, quæ in probatione ſpectari poſſe putamus. Et quoniam recta probatio a communi uſu loquendi non recedit (nec tamen ignoro eſſe quoſdam, qui uolunt omnes argumentorum formas in figuris uere contineri) ideo obliquus ad rem quam demonſtrare uolumus aditus, qui per præſumptionem, occupationemque fieri ſolet, artificioſius putatur. Eas ergo conformationes nunc afferemus, quæ ex hoc fonte manant, uel ad eum aliquo pacto reuocare licet. Et quoniam Præſumptionem, quæ ſub ſe multas alias continet, paullo fuſius explicare uolumus, de ea nonnullas ſubijciã poſitiones.

De prima itaque huius ordinis figura, ſit prima poſitio. Hoc ſchema a Græcis, Prolepſis, & Procatalepſis uocatur, Latini Præſumptionem, occupationem, anteoccupationẽ, & ante præmunitionem, uocant: Iulius uero Cic.lib.3. orat. *Rufinianus, præceptionem, uel anticipationẽ dici poſſe teſtatur: Herennianus auctor occupationem eandem facit cum præteritione, ſubiectionem tamen appellat; cum ſit ueluti qui-* Tal. *dam dialogiſmus, qui a priore parte occupatio, a poſteriore ſubiectio dicitur. Neque hoc loco de illa prolepſi agimus, de qua ſcribunt Grammatici, & nos infra dicemus.*

Secun-

Secunda poſitio, Prolepſis eſt ſchema, quo id quod obÿci poteſt, prius quam obÿciatur, proponitur, & eius quod dicitur, aut fit, ratio redditur. Fit ergo, auctore Rutilio, Prolepſis, cum id quod in aduerſarÿ cauſſa, aut iudicis opinione eſſe, aut fore arbitramur, nobis cōtrarium, præoccupamus dicere, & cum ratione diſſoluere. Quare, per hanc figuram tacitæ reſpondemus interrogationi, ſeu obiectioni, cum uideamus, quid obÿci poſſit, & antequā obÿciatur, diluimus. Aliqui vero, paullo latius huius figuræ uim extendentes, dicunt ad hanc figuram pertinere quidquid extrinſecus ab eo quod tractatur, præſumptum prænotatumque fuerit, ſine quo ſenſus ſanus integerque eſſe poſſit: Vt ecce,

Dædalus, (ut fama eſt) fugiens Minoia regna, Vir. Aen. lib. 6.
Præpetibus pennis auſus ſe credere cęlo.

Tertia poſitio, hæc figura uim inſinuationis habet, cum uiam ſternat, per quam ueluti per inſidias ad rem ipſam oblique deuenimus. Ideo Sæpe in exordÿs adhiberi ſolet; ut libro de Diſpoſitione oratoria, diſputatione octaua docuimus.

Quarta poſitio, hæc figura, quia præcipue probationi inſeruit, ab inuentionis locis dependet. Non enim occupamus niſi pręmuniendo,

& probationes propoſitioni præponendo, quod ſine locis fieri non poteſt: ſiquidem præmunitio probatioque ex locis eruuntur.

Quincta poſitio, Prolepſis vſus latiſſime patet. Nam per eam præmunimus, dubitamus promittimus, cauſſas eorum quæ dicuntur exponimus, diuidimus, declinamus, prætermittimus, reuocamus, corrigimus, & reticemus: per hanc cum iudicibus, & cum aduerſario cōmunicamus, & denique nos & alios interpellamus.

Sexta poſitio, huius figuræ nonnulli quattuor faciunt genera: primum, in quo præmunitiones ſententiam præcurrentes, continentur, ſecundum in quo excuſationes tertium in quo apoſtrophæ, poſtremum in quo præteritiones. Alij rurſus duas occupationis formas numerant: alteram quam obliquam uocant, cum non adeſt plena proſopopoeia, ſeu perſonæ inductio: alteram perfectam, quæ perfectam habet proſopopoeiam. Sed cum non ſemper in occupatione intercedat perſonæ fictio, diſtinctio iſta non omnino probatur. Sed iam aliqua ſubijciamus huius figuræ exempla. Credo, inquit Tullius, ego uos Iudices mirare, quid ſit quod cū tot ſummi Oratores, hominesq; nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimū ſurrexerim, & c. ſubiungitur reſponſio, Quæ me igitur res præ-

Pro Roſ. Amer.

ter

ter cæteros impulit, ut, &c. hæc non plena ſine imperfecta cenſetur: at ſequens perfecta, Dicet aliquis, Hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? &c. ſequitur reſponſio, Ego, ſi quis, Iudices, robore animi, & quæ apud Tullium ſequuntur. Item, Ac ne quis a nobis ita hoc dici forte miretur, quod aliqua quædam in hoc facultas ſit ingenij, &c. ſequitur poſtea reſponſio. Item, & ſi me attentiſſimis animis, ſumma cum benignitate auditis iudices: tamen, &c. Virgilianus Sinon, Pro cæl. Pro Arch. Pro ſex.

Hoc primum, nec ſi miſerum fortuna Sinon em
Finxit, uanum etiam mendacemque improba finget. Li. 2. Aen.

Dixerat enim ſe cuncta uere dicturum. Hęc igitur artificioſe præmiſit, ut facilius quod uolebat, perſuaderet.

Septima poſitio, hęc figura, non ſolū in principio ſermonis, ſeu in exordio, ſed etiam alijs in locis, cum res id poſtulat, uſurpanda eſt. Fateor equidem maxime conuenire exordijs; ſed tamen non ita placere debet, ut aliunde exordiri commode non liceat. Hoc dixerim contra quorundam cōſuetudinem, quibus ita hoc ſchema arridet, ut inde fere ſemper exordium ſumant. Itaque, non ſolum in exordio, ſed etiam in alijs partibus, & non tantum in initio ſen-

tentiæ, ſed etiam in medio, & poſt ſententiã, & non ſolum pluribus, ſed etiam vno, vel altero uerbo adhiberi poteſt. Quædam alia huc pertinentia, uide in diſputatione paullo ſupra citata: quibus omiſſis, ad alias figuras explicandas me confero.

Lib. de Diſpoſ.

Secunda Anthypophora, uel hypophora, latine Oppoſitio, & per ſermonis exceptionem obiectio, quam aliqui ad Subiectionem reuocant, alij eandem cum prolepſi eſſe dicunt, alij a figurarum numero reijciunt, præſertim cum eſt plena & omnibus partibus abſoluta: alij denique a Compenſatione non diſtinguunt. De qua hoc loco nihil uolumus ſcribere: tum quia eadem uidetur cum alijs: tum etiam, quod de ea late in diſputatione citata diximus, ubi de præparatione diligenter egimus.

Tertia, Antiſagoge, latine Compenſatio, contraria nimirum inductio & oppoſitio, cum quæſtio tollitur, oppoſito argumento firmiore: uel, ut ait Aquila, cum aliquid difficile, & contrarium conceditur, ſed aliquid non minus firmum obijcitur: ut in his patet exemplis. Difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis, inquit Cicero, loquens de rege Ptolemæo. Amara radix ſtudiorum, ita eſt, ſed fructus producit dulciſſimos: labor magnus, ita eſt, ſed gloria maxima. Et in diuinis literis,

Vanum eſt uobis ante lucem ſurgerẽ; ubi ſubintelligitur, Laborauimus, & per compenſatiõnẽ ſubijcitur, Vanũ eſt uobis. Et apud Virg. 4.

In tenui labor eſt, at tenuis non gloria, ſi quem
Numina lęua ſinunt, &c.

At uero ex Caſſiodoro, Antiſagoge, eſt contradictio, hoc modo, Dominus mortificat, & uiuificat: deducit ad inferos & reducit. Quidam ita Hypophoram & Antiſagogen diſtinguunt, quod illa ſit aduerſę partis obiectio, hęc uero reſponſio. Cornel.

Quarta, Procataſceue id eſt prẹparatio, quæ, ut Iulius ſcribit, eſt Procatalepſi proxima, cum rei de qua acturi ſumus, colorem præparamus, atque prætendimus. Eſt itaque ueluti inſinuatio quædam, qua dicendorum, uel eorum quæ cauſſam iuuare poßunt, ſemina ſparguntur. Vt hoc in loco apud Virg. Io.Riu.

Anna ſoror, quę me ſuſpenſam inſomnia terrent? Li.4. dein.

Vſq; ad illa uerba, q̃ bella exhauſta canebat? Nam primo de inſomnijs queſta eſt: deinde ſeſe hoſpitis uirtutem mirari dixit; & ueram fidem eſſe, a Dijs illum genus ducere, miſereri etiam caſus & errores, ut poſtea uerecundius de amore fateretur: quaſi rebus expoſitis in hoſpitis affectum inducta ſit.

Quin-

Iulius. *Quincta, Paralepſis, & Apophaſis, latine, Prçteritio, quam aliqui, Occupationem uocāt, cum ſimulamus nos aliquid neſcire, aut omittere, quod tamen maxime dicimus, & obijcimus; uel cum per trāſennam dicimus, quod nos* Pro lege. Man. *dicere nolle affirmauimus: ut, Non dico hoc loco maiores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello utilitati paruiſſe, &c. Audiſtis hęc, Iudices; quæ nunc ego omnia prætereo, ac relinquo: nihil de luxuria Apronij loquor, nihil de in*solentia, & cæt. De prou. Conſul. *Omitto iuriſdictionem in libera ciuitate contra leges, ſenatuſque conſulta: cædes relinquo, libidines prætermitto, & cæt.* Pro Clu. *Mitto illam primam libidinis iniuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulſam matrimonio filiam, & cæt. Hanc figuram aliqui Ironiæ ſubijciunt, cum ſit ficta quædam proparalepſis: alij uero ad hunc ordinem referunt; cuius duas faciunt partes: alte*Iul. *ram per reticentiam, quæ duplititer fit, uel per interruptionem, cum quæ moleſta uel ſatis nota, aut tractata, aut ſermone indigna, aut quia non uacat, omittimus; uel per ſimulationem, cū negligere uidemur, quod tamen dicimus. Alteram per denunciationem ſine ulla affectatione, ut, Non dicam de cauſſa belli, & cæt. quę per* Pro Mil. *ætiologiam fauorabilior redditur; ut, cum orator dixit, Præ lacrymis loqui non poſſum. Deni*

que

quę alij ad amplificationis figuras reijciunt; cum per comparationem uim magnam ad amplificandum habeat: creſcunt enim illa, quæ, ut dicere poſſimus, alia prętęrimus. Vtimur hac figura, uel ad augendam ſuſpitionem, uel ad uitādam probationem criminis, uel ad diſſimulanda flagitia, quæ honeſte alicui obijci non poſſunt, uel cum res eſt parua, ſatis nota, & odioſa; uel denique cum breuitatis cauſſa multa paucis complecti uolumus. Eſt hæc figura diligenter animaduertenda, & quibuſdam in locis omnino uſurpanda, cum per eam ſæpe magis laudemus, aut uituperemus, remque aliquam augeamus, quam ſi pluribus uteremur uerbis. Præſcindēda itaque ſæpe eſt per præteritionem reticentiamue oratio, cum res maior eſt, quam quæ explicari poſſit, aut ita probata, & explorata, ut nihil ſit longiore oratione opus. Quæ pręciſio, ſiue præteritio apte fit per epiphonema: Vt fecit regius uates, cum in fine cuiuſdam pſalmi cecinit, Domine dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra? & alio loco, cum uideret ſe non poſſe diuinæ legis laudes dicendo perſequi, his uerbis per Apoſtrophen orationē præcidit, Delicta quis intelliget? In præteritione his ſolemus uti uerbis, Vt taceā, ut ſilētio pręterea, ut interim omittā, præte reo, omitto, taceo, ſilentio inuoluo, et ſimilibus.

Aquila.

Pſal.18.

Sex-

Sexta, Permiſſio, cum aliquid iudicibus, aut aduerſarijs æſtimandum, iudicandumque relinquimus: uel, ut Trapezuntius ſcribit, Permiſſio eſt, cum dicendo oſtendimus nos rem aliquam alterius poteſtati concedere: vel cum facti licentia condonatur. Hanc, ut quidam dicunt, Synchorema, ſiue Synchoreſin, & Epitropen Græci appellarunt. Exempla ſunt huiuſmodi, Iam ipſis Iudicibus permittam, ſine mea argumenta-
Ver.7. *tione coniecturam facere, quod hoc genus precandi, quam improbum, &c. Quæ poſita ſunt*
Agr.2. *in ſuſpitionibus, de quibus ſi cæpero dicere, pluribus uerbis ſit diſſerendum, ea ueſtris ingenijs, iudices, coniecturæque committo. Si quid eſt, quod indagaris, inueneris, ex tenebris erueris, quamquam iniquum eſt; tamen conſume ſane, quoniam commodum eſt, &c. Quæ tunc potiſſimũ fit, cum uel diſſimulationẽ, uel aſſeueratio nem, uel fiduciam continet oratio, quando diſſimulationẽ habet, uel permittendo deterremus, uel nos inuitos permittere oſtendimus. Hic habet adiunctam ironiam, Tibi, ſi iſtuc placet, profundat perdat, pereat, nihil adme attinet: hic uiolentiam,*

Ter. Virg. li.4. Aen. ——Neque te teneo, neque dicta refello,
I, ſequere Italiã uẽtis, pete regna p undas,

Pro Flac. *In hoc etiam apud Ciceronem exemplo aperta eſt Ironia, Litemus igitur Lentulo, parentemus*

Ce-

Cethego, reuocemus eiectos; nimiæ pietatis, & ſummi amoris in patriam uiciſſim nos pœnas (ſi ita dijs placet) ſufferamus. Habet hoc ſchema exprobrationem, diſſimulationem, aſſeuerationem, fidemque. Vt, An oporteat magis obedire hominibus, quam Deo, uos ipſi iudicate: Vbi cernitur permiſſio ex cauſę fiducia. Tale eſt illud, Venite, & arguite me, dicit Dominus: Item, quis ex uobis arguet me de peccato?

Septima, Confeſſio, græce Paromologia, cum aliquid aduerſario concedimus, ut inde aliquid Rut. *maius inferamus; aut, ut quę poſita ſunt infirmentur, ut magis reliqua exaggerare poſſimus: uel cum multa aduerſario concedimus, ut unum tandem inferatur, quod omnia prius conceſſa euertit: uel cum interroganti, per defenſionem* Io. Linoc. *quampiam reſpondemus: ut, eſto, quod diu coniunctiſſime uixerimus: acceperim abs te beneficia multa, multis te quoque officijs cumulauerim, quid tum? an non hæc omnia tuam iniuſtitiã maiorem reddunt, quod pecunias, quas ſemel & iterum tibi largiri uolui, & renuiſti, nunc mihi egenti reddere nolis?*

Octaua, Conceſſio, quam aliqui a permiſſione diſtinguentes, dicunt permiſſionem eſſe in factis, conceſſionem in uerbis, & ſic deſcribunt, Conceſſio eſt cum dictum aliquod, aut argumen Tal. *tum condonatur; hoc modo, Sit ſacrilegus, ſit*

ſur,

ſur, ſit flagitiorum omnium, uitiorumque princeps; at eſt bonus Imperator. Virg. Aen. 7.

Nō dabit regnis (eſto) ꝓhibere Latinis;

Ver.7. At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.

Delectat hoc ornamentum in oratione, pręcipue cum id concedimus, quod ei, cui conceditur, nocet, ut ſępe fit in contentionibus, & controuerſiis. Habes igitur, Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum, confitentem reum: ſed tamen hoc ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te Tubero, qua uirum omni laude dignum patrem tuum. Cicero non uidetur a permiſſione

Lib.9.c.2. *diſtinguere: at Fabius & alij contra. Aliqui putant*

Cypr. *conceſſionem eſſe, cum callide aduerſario omnia permittimus. Sunt etiam qui in figuris ponant Conſenſionem, qua cum aduerſario omnino conſentimus: Vt, gaudeo etiamſi quid ab eo abſtuliſti, & abſte nihil rectius factum eſſe dico.*

Nona, Commemoratio, quę eſt ueluti quædam Anacœnoſis, qua maxime urgetur aduerſarius, dum per eam tacita ab eo extorquetur confeſſio. Eſt itaque Commemoratio tacitæ opinionis, ſiue uerę, ſiue fictę indicium: ut apud Ci-

Pro Mar. *ceronem, Dubitare debet nemo, quin multos, ſi fieri poſſet, C. Cęſar ab inferis excitaret: quoniam ex eadem acie conſeruat, quos poteſt.*

De-

Decima, Licentia, de qua cum plura dicenda occurrant, has ſtatuo poſitiones, quibus, quæ de hoc pulcherrimo ſchemate dicenda ſunt, perſpicue exponemus. Prima poſitio, hæc figura, grece Parrheſia, quaſi πᾶν ῥησία *id eſt omnis ſeu tota libertas. Latini Licentiam uocarunt: Cicero, uocem quandam liberam, atque effrenatiorem agēdi cauſſa. Secunda poſitio, Licentia non eſt a figurarum numero excludenda. Hoc affirmauerim contra Fabium, qui aliter exiſtimauit, hac leuī innixus ratione; quia non continet ſimulationem, in qua figurę rationem poſitam eſſe putat: at nihil minus eſt ſimulatum, quam quod per parrheſiam pronuntiatum fuit: igitur. Verum, cum figurę definitio Licentiæ cō ueniat; ſiquidem habitum quendam & quaſi geſtum maxime a communi uſu remotum deſignat, non erit profecto a figurarum numero, omnibus etiam approbantibus dicendi Magiſtris, reijcienda. Tertia poſitio, Licentia eſt, maior quædam nō ſine cauſſa & modo, loquendi libertas: uel liberius pronuntiata ſententia, commonefaciēdi, obiurgandi, aut etiam adulandi cauſſa. Per hanc itaque figuram apud eos, quos reuereri debemus, liberiorem induentes perſonam, & ueluti libertate abutentes, auctoritatem & fidem nobis conciliare ſtudemus. Quarta poſitio, has ob cauſſas præcipue hac figura* Lib. 9. c. 2.

uti-

utimur: ut commonefaciamus, obiurgemus, confirmemus, & adulemur, laudemuſue, ut in ſubiectis patet exemplis. Terentianus Dauus parrheſiaſticos obiurgauit herum, cum dixit, Et quod dicendum hic ſiet, tu quoque perparce nimium, non laudo. In hac uero latet adulatio, ſuſcepto bello, Cęſar, geſto etiam ex magna parte, nulla ui coactus, conſilio ac uoluntate mea, ad ea arma profectus ſum, quæ erant contra te ſumpta, &c. ubi non tam cauſſam ſpectat, quam uictoris clementiam laudat. Lege totam hanc parrheſiam apud Ciceronem, in oratione pro Ligario, qui locus eſt maxime illuſtris; incipit autem his uerbis, O clementiam admirabilem, &c. Item, apud eundem, Non deeſt reip. conſilium, neque auctoritas huius ordinis, Nos, nos, dico aperte, conſules, deſumus. Quincta poſitio, huius figurę uſus quandam requirit in dicente auctoritatem; ac proinde non cuique facile conceditur; ut pueris, ſi ſerio agatur. Cauendum etiam eſt, ne per licentiam ſis minus moleſtus, aut audax, ita ut auditorem offendas: ne uox nimis libere emiſſa, redeat per iugulum, ut Antiphonti oratori Attico, ut multa alia omittam exempla, accidit. Is enim cum a Dionyſio tyranno interrogaretur, ubi eſſent optimi ſtatuarij, reſpondiſſetque, Athenis, ubi ſtatuæ ijs poſitæ fuerunt,

Pro Liga.

qui

qui tyrannos necauerant; eius iuſſu e medio ſu blatus fuit. Sexta poſitio, cum timetur, ne Licentia auditorem offendat, mitiganda erit, quod his modis fieri poteſt. Primum, cum honorem præfamur, & ueniam ab auditoribus petimus. Deinde, cum prius eos moderate laudamus, quos poſtea per licentiam reprehendimus: qua ratione Tullius Philippum & Dolabellam prius commendauit, & poſtea per licentiam reprehendit. In Phil. *Præterea, cum ijs nos beneuolos eſſe dicimus, quos obiurgamus; ut idem aliquando fecit Cicero. Ad hæc, ſi quaſi coacte, & ex officio nos reprehendere indicemus. Heu, me miſerum, ait Tullius, qui ſemper* Phil. 7. *Senatum laudaui, nunc cogor reprehendere. Iam uero, cum propter errata eorum, quos reprebeudimus, nos dolore affici oſtendimus: ut, Hunc tu tantum errorem, magno cum dolore loquor, committere potuiſti? Eſt & hęc alia omnium aptiſſima mitigatio, cum noſipſos cũ ijs iungimus, quos reprehendimus, & nos in eodem errore quodam modo eſſe oſtendimus. Denique, lenitur dicendi libertas, ipſius peccati extenuatione, ut fecit diuus Paulus, ſcribens ad Gallatas, ubi in falſos Apoſtolos eorum culpam reiecit.* Cap. 3. *Hæc figura has tres utilitates præcipue ſecum affert, Efficit ut ueritatis amici uideamur; ut, quos reprehendimus*

diligere, & ſolum eorum odiſse errata exiſti-
memur: & ne ij quos arguimus, ni ſint omni-
no peruerſi, contra nos exacerbentur.

Vndecima, Apodoxis, ſiue Apoplaneſis, latine Reiectio, uel reprobatio quarundam rerum, quaſi in quæſtionem non uenire dignarũ, neque oportuiſſe ab aduerſarijs poni, aut a nobis quæri, aut a iudice poſtulari. Cum itaque rem aliquam tanquam indignam & intempeſtiuam, aut etiam grauem leuiter attingimus, ne timuiſſe uideamur, hoc adhibemus ſchema; ut fecit Tullius cum dixit, Equitis Romani autem eſse filium, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis. Item, Verum hęc quoque tu intelligis eſſe nugatoria, illud quod coepimus, uideamus. Mitto quęrere qua de cauſa, quæro qui ſcias? Item Deſinamus aliquando ea ſcrutari, quę ſunt inania, quæramus ubi maleficium eſt, & inueniri poteſt. Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam gloriæ ſuę? Diſtinguit tamen Iulius inter Apodoxin, & Apoplaneſin, quod illa ſit reiectio quarundam rerum quæſitu indignarum, ut eſt dictum: & ita ualet ad accelerate fugiendum, ut & tacuiſſe, & non timuiſſe uideamur; ut in re difficili & contraria non hæreamus. In qua figura breuiter morati ad aliud

Rufin.

Pro Coel.

Pro Roſ. Am.

aliud ſtatim tranſire debemus: ut, fecit Tullius loco citato. Hæc uero eſt auocatio iudicis a re nobis contraria, quam cum deſiderat, aut ab aduerſario commouetur, ut quærat, nos obſcurando & miſcendo, & promittendo quidẽ dicturos, nos, ſed ſuo loco, ad aliam rem uocamus: & rurſus dum dicimus, ſenſim ad aliud tranſimus, & ab eo, quod contra nos eſt, auocatur & ſuſpenditur Iudex: uel coniuncta rerum multitudinem implicatur, ut non de uno, ſed de pluribus putet ſibi ſententiam eſſe dicendam: ut Cicero in Cluentiana fecit: in qua oratione tenebras ſe offudiſſe iudicibus iactauit. Intelligant nihil me, & quæ ibi ſequuntur.

Duodecima, Scheſis, latine Adfictio, quæ uicina eſt Anthypophoræ, ut Iulius ait, qua aduerſariorum affectum fingimus, ut illi reſpondeamus. Huius figuræ exemplum tale ex Virgilio affert Rufinianus.

Indignum eſt Italos Troiam circundare flammis Lib. 10.
Naſcentem, & patria Turnum conſiſtere terra.
Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.
Quid face Troianos atra uim ferre Latinis?

Hæc, inquit Iulius, non ita Iuno propoſuit, quaſi manifeſte Venus indignum eſſe dixiſſet, ſed quaſi indignum eſſe Veneri fingeret, uel ſuſpicaretur.

Decimatertia, a ſuperiore fortaſſe non diuerſa, quam tamen ſeorſim numerat Iulius, Anaſceue, latine, Deſtructio, vel euacuatio, qua quę ab aduerſarijs propoſita ſunt, tanquã falſa deſtruimus, & redarguimus: Vt apud Li.4.Aen. *Virg.*

—— Nunc augur Apollo,
Nũc Liciæ ſortes, & Ioue miſſus ab alto
Interpres diuum fert horrida iuſſa per auras.
Scilicet is ſuperis labor eſt; &c.

Decimaquarta, Epithemeſis, quam latine Obiurgationem appellat Iulius, cum aduerſarium iiſdem uerbis, quibus ab eo laceſſiti ſumus, percutimus; quæ eadem fortaſſe eſt cum Antiſtrophe, id eſt cum Inuerſione, quam, Violentum uocat Hermogenes: Vt, ſepeliſti ſolus, ideo occidiſti; immo ſi occidiſſem non ſepeliuiſſem. Si habet Aſia ſuſpicionem luxurię quãdam, nõ Aſiam nunquam vidiſſe, ſed in Aſia continenter uixiſſe laudandum eſt; quaſi dixiſſet, Ideo Murena laudandus, quod in Aſia, ubi corrupte uiuitur, incorrupte uixerit. Et Leo Imperator, referente Suida, cuidam conſi- Pro Mur.

liario

liario ſuadenti, ne literatis pecunias largiretur, quia ærarium exhauſtum militibus pecunias ſuppeditare non poßet, reſpondit, Immo optarim talem eſſe remp. cui nihil opus eſſet militibus, ſed tantum ſtudioſis literarum.

Decimaquincta, Metaſtaſis, latine Tranſlatio, cum rem a nobis alio transferimus: ut, ita actum eſt, ſed non per me; quia non adfui: uel, ut aliјs placet, cum in alium transfertur culpa: uel denique, quod quidam dicunt, cum cauſſa in meliorem locum magis dicenti profuturum transfertur. Quare, non eſt eadem cum Tranſitione, quæ etiam græce Metaſtaſis uocatur. Ac ſi quis eſt, ait Tullius, qui me uehementer accuſet, non eſt iſta culpa mea, ſed temporum. Item, Noli in conſeruandis bonis uiris defatigari: non cupiditate præſertim, aut prauitate aliqua lapſis, ſed opinione officij, ſtulta fortaſſe, certe non improba, & ſpecie quadam reip. Aquil. Corn. Catil. 2. Pro Mar.

Decimaſexta, Epicherema, latine Aggreſſio; fit, ut quidam uolunt, cum ex ſimilibus ſumitur probatio: Vt, Quis militat ſuis ſtipendijs unquam? quis plantat uineam, & de fructu eius non comedit? Vel dicas eſſe breuem ratiocinationis cõplexionem, qua uehementi interrogatione adhibita, urgetur aduerſarius: de qua libro de oratoria Diſpoſitione plura Caſſiod. 1. Cor. 19.

ſcripſimus: ut, Diſcipuli bono præceptori non obediant?

Decimaſeptima, Dilemma, ſeu Dilemmatum, latine complexio, qua duo contraria diſtinguuntur ſubiecta ratione: de quo lege quæ eodem libro latius docuimus. Diſp.18.

Decimaoctaua, Enthymema, latine commẽtatio, fit, ut Rufinianus ait, cum orationis periodus contrarijs ſententijs adſtringitur: ut, Cic.1Diu. *Tamen hic operam tuam pollicebere, qui neque uelle ſua cauſſa, nec ſi uelis, poſſe arbitrantur? Auctor Herennianus, Contrarium appellat, aitque, Contrarium eſse, quod ex rebus diuerſis duabus, alteram breuiter & facile confirmat.*

Decimanona, expeditio, ſeu enumeratio, cum pluribus rebus expoſitis, omnes infirmantur, ut una probetur, hoc modo: ſi diuitiæ expetẽdæ, aut quia sũt honeſtæ, aut utiles, aut delectabiles: non honeſtæ, quoniam multi diuites turpiſſime uiuunt: non utiles, quia qui diuites fieri uolunt, incidunt in laqueos diaboli: non delectabiles, quandoquidem multas ſecum curas afferunt: non expetendæ igitur. Valet hæc exornatio, ut auctor Herennianus ait, in coniecturalibus argumentationibus. Lib. 4.

Vigeſima, Aetiologia, latine, Cauſsa, cum alicuius rei dictæ, uel propoſitæ cauſsam, ratio-

tionemve ſtatim ſubijcimus: ut, Me reprehendis, quod adoleſcens lapſus ſim, uehementer erras; quia quod natura ualeat, ignoras: Non mireris, quod bene uixerit, nam honeſte inſtitutus fuit: & Menalcas apud Virg.

Phyllida amo ante alias; nam me diſcedere fleuit. Eclog. 3.

Et ſi alijs non ſum Apoſtolus, ait Paulus, ſed tamen uobis ſum: nam ſignaculum, &c. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnũ coelorum. 1. Cor. 9.

Vigeſimaprima, Dicæologia, latine, Excuſatio, cum æquitatem pro nobis adducimus, & noſtram cauſſam ut æquam defendimus; hoc modo, Amicum deſerui, ſed coactus legibus: læſi quidem, ſed iratus & affectus iniuria. Hanc figuram alij appellant, Dianœan: & uidetur eſſe eadem cum illa, quam Rutilius Anangæon, hoc eſt, neceſſarium appellat. Ad hanc, uel ad ſuperiorem reuocares illã, quam Caſſiodorus, Ephexergaſiam, ideſt diligentiam uocat, cum uni caußæ duas approbationes apponimus. Io. Ric.

Vigeſimaſecunda, Proſapodoſis, quæ ut Rutilius, ſiue Gorgias explicat, duobus modis tractari poteſt: uno cum duabus aut pluribus ſententijs poſitis, ſua cuique ratio poſterius redditur: altero cum ſtatim ſub unaquaque ſen- Lib. 1.

Demet. Phal.

tentia ratio ſubijcitur, hoc modo. Nam quod beneficium tempore, & cupienti datur, gratũ eſt: utilitas enim ac uoluntas accipiendi, bono rem dati facit ampliorem; At quod ſero & nõ deſideranti datur, ingratũ eſt; amiſſo enim tempere utilitatis, cadit accipiendi cupiditas. Hic ſecundus modus poſſet fieri primus, ſi tota ſententia prius poneretur, & deinde ſubijcerentur rationes.

Denique huc referres, Chroma, latine color, callida & probabilis ſuſpectæ cauſſæ ac rei perperam actæ defenſio; ut eſt apud Terentiũ, Poſtquam ad iudices uentum eſt, non potuit cogitata proloqui, ita eum tum timidum obſtupefecit pudor: Atque hæ ſunt figuræ, quas ad hunc ordinem reuocandas eſſe exiſtimaui: quarum aliquæ non omnino figuræ uim habent: ſed ne eas neglexiſſe uideremur, ideo recenſuimus: Vt ſpeciatim ſunt illę, quę formam quãdam argumentationis habere uidentur. Sed ideo in figuris collocari diceres, quod ſint modi quidam argumentandi ab Oratoribus uariandæ orationis cauſſa inuenti, de quibus alibi latius diximus.

Cor. vlt.

Lib. de diſp. orat.

De

De quibuſdam ſententiarum figuris, quę ſimilitudinem & comparationem continent. Diſputatio XXII.

QVAE in hac diſputatione explicanda ſunt ſchemata, ideo hoc loco ponimus, quod uim quandam ad confirmandam, augendamque ſeu amplificandam orationem uidentur habere. Quo fit, ut partim cũ illis conueniant, quæ proxima diſputatione expoſuimus, partim uero, cum alijs quæ in ſequenti afferentur. Et quod attinet ad eas figuras quæ ſimilitudinẽ continent, dubitari ſolet, an uim argumenti habeant, an uero tantum ad exornandum conferant: & ſane, ſi ad utrunque conferre dixeris, non errabis. Atque idem dicas de illis, quæ quandam continent contrarietatem, de quibus congruenter una cum illis, quæ in ſimilitudine conſiſtunt, agitur.

Prima ergo huius ordinis figura eſt ſimilitudo, de qua plura dictur⁹, has ſtatuo poſitiones. Prima poſitio, ſimilitudo, græce Omoeoſis, eſt quę rem minus cognitam per rem magis notã demonſtrat: vel, ut ait Beda, ſimilitudo eſt minus notæ rei per eius ſimilem, quę magis notæ

eſt

ptinētia de ſimilitudine ſcripta ĩuenies. Atq; de prima huius ordinis figura hactenus: nũc de alijs, q̃ ſimilitudinis naturã habẽt, dicamus.

Secunda, Imago, græce, Icon, quę varie explicari ſolet: Iulius hoc modo; Imago eſt, cum perfectæ formæ ſimiles conferuntur. Beda hoc pacto, eſt perſonarum inter ſe, vel eorum, quæ perſonis accidunt, comparatio: vt, Os humeroſque Deo ſimilis: hic enim ad Dei imaginem Aeneam comparauit Poeta. Vidimus gloriã eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. Verum illa particula, quaſi, hoc loco non ſimilitudinẽ ſed ueritatem exprimit, & idem valet, quod Vere. Hęc qui faciat, inquit Tullius, non ego cum ſummis uiris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico. Vel imago fit, cum ab alicuius numinis, vel animantis forma ducitur ſimilitudo: ut ſi Diabolum cum leone comparares. Aut certe imago, eſt oratio demonſtrans corporum, aut naturarum ſimilitudinem: vt duo fulmina belli Scipiadæ: Vel, eſt formæ cum forma ex quadam ſimilitudine collatio: vel denique, tunc eſt imago, cum integræ formæ ſimiles inter ſe conferuntur: vnde Mancinellus,

Li.4.Aen.

Io.1.

Pro Mar.

Io.Suſem.

Ad formam formæ collatio dicitur εἰκών.

Differt Imago a ſimilitudine, quod hæc ab omni rerum genere adſciſcitur: imago vero potiſſime, ab animantis forma ducitur. Valet autẽ

ad

ad rem amplificandam oculiſque ſubÿcienda: atque etiam ad euidentiam, grauitatem, iucũditatemque orationis. Vt ſi hominem rapacẽ ſimilem eſſe dicas draconi, qui oculis ardentibus, dentibus acutis, unguibus aduncis, biante rictu per omnia volitet. Itẽ, ut mare, quod ſua natura tranquillum eſt, uentorum ui agitari et conturbari ſolet, ſic populus Romanus.

Tertia, Parabole, ſic dicta, ut diuo Hieronymo placet, quod alteri παραβάλλεται, *hoc eſt, aſſimulatur, & quaſi vmbra, præuia veritatis eſt. Hanc M. Tullius, Collationem uocauit. Eſt autem, definiente Donato, rerum genere differentium comparatio: Vel tunc fit Parabola, cum alicuius rei vulgaris comparatione rem noſtram illuſtramus. Vel Parabola, eſt ſimilitudo ab ÿs ſumpta, quæ fiũt, aut quæ natura caſuve rebus adiuncta ſunt: Vel denique eſt longior quædam ſimilitudo. Parabola itaque res quę comparantur, longius repetere ſolet: nec hominum modo inter ſe opera ſimilia ſpectat, ſed etiam à mutis & inanimatis rebus ſimilitudinẽ ſumit. Quod ſi e portu ſoluentibus, inquit Cicero, qui iam in portum ex alto inuehuntur, prędicere ſummo ſtudio ſolent tẽpeſtatum rationem, & quę ibi ſequuntur. Vt ſæpe homines ægri, morbo graui, cum æſtu febrique iactantur, ſi aquam gelidam biberint,*

Quæſt. 6. ad Algas.

Suſemb.

Pro Mur.

rint,

ſur, ſit flagitiorum omnium, uitiorumque princeps; at eſt bonus Imperator. Virg. Aen. 7.

Nō dabit regnis (eſto) ꝓhibere Latinis;

Ver. 7. At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.

Delectat hoc ornamentum in oratione, pręcipue cum id concedimus, quod ei, cui conceditur, nocet, ut ſępe fit in contentionibus, & controuerſiis. Habes igitur, Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandum, confitentem reum: ſed tamen hoc ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te Tubero, qua uirum omni laude dignum patrem tuum. Cicero non uidetur a permiſſione

Lib. 9. c. 2. *diſtinguere: at Fabius & alij contra. Aliqui pu-*

Cypr. *tant conceſſionem eſſe, cum callide aduerſario omnia permittimus. Sunt etiam qui in figuris ponant Conſenſionem, qua cum aduerſario omnino conſentimus: Vt, gaudeo etiamſi quid ab eo abſtuliſti, & abſte nihil rectius factum eſſe dico.*

Nona, Commemoratio, quę eſt ueluti quædam Anacœnoſis, qua maxime urgetur aduerſarius, dum per eam tacita ab eo extorquetur confeſſio. Eſt itaque Commemoratio tacitæ opinionis, ſiue uerę, ſiue fictę iudicium: ut apud Ci-

Pro Mar. *ceronem, Dubitare debet nemo, quin multos, ſi fieri poſſet, C. Cęſar ab inferis excitaret: quoniam ex eadem acie conſeruat, quos poteſt.*

De-

Decima, Licentia, de qua cum plura dicenda occurrant, has ſtatuo poſitiones, quibus, quæ de hoc pulcherrimo ſchemate dicenda ſunt, perſpicue exponemus. Prima poſitio, hæc figura, græce Parrheſia, quaſi πᾶν ῥῆσια id eſt omnis ſeu tota libertas. Latini Licentiam uocarunt: Cicero, uocem quandam liberam, atque effrenatiorem agēdi cauſſa. Secunda poſitio, Licentia non eſt a figurarum numero excludenda. Hoc affirmauerim contra Fabium, qui aliter exiſtimauit, hac leui innixus ratione; quia non continet ſimulationem, in qua figuræ rationem poſitam eſſe putat: at nihil minus eſt ſimulatum, quam quod per parrheſiam pronuntiatum fuit: igitur. Verum, cum figuræ definitio Licentiæ cōueniat; ſiquidem habitum quendam & quaſi geſtum maxime a communi uſu remotum deſignat, non erit profecto a figurarum numero, omnibus etiam approbantibus dicendi Magiſtris, reyicienda. Tertia poſitio, Licentia eſt, maior quædam nō ſine cauſſa & modo, loquendi libertas: uel liberius pronuntiata ſententia, commonefaciēdi, obiurgandi, aut etiam adulandi cauſſa. Per hanc itaque figuram apud eos, quos reuereri debemus, liberiorem induentes perſonam, & ueluti libertate abutentes, auctoritatem & fidem nobis conciliare ſtudemus. Quarta poſitio, has ob cauſſas præcipue hac figura

Lib. 9. c. 2.

uti-

utimur: ut commonefaciamus, obiurgemus, confirmemus, & adulemur, laudemuſue, ut in ſubiectis patet exemplis. Terentianus Dauus parrheſiaſticos obiurgauit herum, cum dixit; Et quod dicendum hic ſiet, tu quoque perparce nimium, non laudo. In hac uero latet adulatio, ſuſcepto bello, Cęſar, geſto etiam ex magna parte, nulla ui coactus, conſilio ac uoluntate mea, ad ea arma profectus ſum, quæ erant contra te ſumpta, &c. ubi non tam cauſſam ſpectat, quam uictoris clementiam laudat. Lege totam hanc parrheſiam apud Ciceronem, in oratione pro Ligario, qui locus eſt maxime illuſtris; incipit autem his uerbis, O clementiam admirabilem, &c. Item; apud eundem, Non deeſt reip. conſilium, neque auctoritas huius ordinis, Nos, nos, dico aperte, conſules, deſumus. Quincta poſitio, huius figurę uſus quandam requirit in dicente auctoritatem; ac proinde non cuique facile conceditur; ut pueris, ſi ſerio agatur. Cauendum etiam eſt, ne per licentiam ſis minus moleſtus, aut audax, ita ut auditorem offendas: ne uox nimis libere emiſſa, redeat per iugulum, ut Antiphonti oratori Attico, ut multa alia omittam exempla, accidit. Is enim cum a Dionyſio tyranno interrogaretur, ubi eſſent optimi ſtatuarij, reſpondiſſetque, Athenis, ubi ſtatuæ ijs poſitæ fueruut,

Pro Liga.

qui

qui tyrannos necauerant; eius iuſſu e medio ſublatus fuit. Sexta poſitio, cum timetur, ne Licentia auditorem offendat, mitiganda erit, quod his modis fieri poteſt. Primum, cum honorem præfamur, & ueniam ab auditoribus petimus. Deinde, cum prius eos moderate laudamus, quos poſtea per licentiam reprehendimus: qua ratione Tullius Philippum & Dolabellam prius commendauit, & poſtea per licentiam reprehendit. Præterea, cum iis nos beneuolos eſſe dicimus, quos obiurgamus; ut idem aliquando fecit Cicero. Ad hæc, ſi quaſi coacte, & ex officio nos reprehendere indicemus. Heu, me miſerum, ait Tullius, qui ſemper Senatum laudaui, nunc cogor reprehendere. Iam uero, cum propter errata eorum, quos reprehendimus, nos dolore affici oſtendimus: ut, Hunc tu tantum errorem, magno cum dolore loquor, committere potuiſti? Eſt & hæc alia omnium aptiſſima mitigatio, cum noſipſos cũ iis iungimus, quos reprehendimus, & nos in eodem errore quodam modo eſſe oſtendimus. Denique, lenitur dicendi libertas, ipſius peccati extenuatione, ut fecit diuus Paulus, ſcribens ad Gallatas, ubi in falſos Apoſtolos eorum culpam reiecit. Hæc figura has tres utilitates præcipue ſecum affert, Efficit ut ueritatis amici uideamur; ut, quos reprehendimus

In Phil.

Phil. 7.

Cap. 3.

diligere, & ſolum eorum odiße errata exiſtimemur: & ne ij quos arguimus, ni ſint omnino peruerſi, contra nos exacerbentur.

Vndecima, Apodoxis, ſiue Apoplaneſis, latine Reiectio, uel reprobatio quarundam rerum, quaſi in quæſtionem non uenire dignarũ, neque oportuiſſe ab aduerſarijs poni, aut a nobis quæri, aut a iudice poſtulari. Cum itaque rem aliquam tanquam indignam & intempeſtiuam, aut etiam grauem leuiter attingimus, ne timuiſſe uideamur, hoc adhibemus ſchema, ut fecit Tullius cum dixit, Equitis Romani autem eſſe filium, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis. Item, Verum hęc quoque tu intelligis eſſe nugatoria, illud quod coepimus, uideamus. Mitto quęrere qua de cauſa, quæro qui ſcias? Item Deſinamus aliquando ea ſcrutari, quę ſunt inania, quæramus ubi maleficium eſt, & inueniri poteſt. Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam gloriæ ſuę? Diſtinguit tamen Iulius inter Apodoxin, & Apoplaneſin, quod illa ſit reiectio quarundam rerum quæſitu indignarum, ut eſt dictum: & ita ualet ad accelerate fugiendum, ut & tacuiſſe, & non timuiſſe uideamur; ut in re difficili & contraria non hæreamus. In qua figura breuiter morati ad

Rufin.

Pro Coel.

Pro Roſ. Am.

aliud ſtatim tranſire debemus: ut, fecit Tullius loco citato. Hæc uero eſt auocatio iudicis a re nobis contraria, quam cum deſiderat, aut ab aduerſario commouetur, ut quærat, nos obſcurando & miſcendo, & promittendo quidē dicturos, nos, ſed ſuo loco, ad aliam rem uocamus: & rurſus dum dicimus, ſenſim ad aliud tranſimus, & ab eo, quod contra nos eſt, auocatur & ſuſpenditur Iudex: uel coniuncta rerum multitudinem implicatur, ut non de uno, ſed de pluribus putet ſibi ſententiam eſſe dicendam: ut Cicero in Cluentiana fecit: in qua oratione tenebras ſe offudiße iudicibus iactauit. Intelligant nihil me, & quæ ibi ſequuntur.

Duodecima, Scheſis, latine Adfictio, quæ uicina eſt Anthypophoræ, ut Iulius ait, qua aduerſariorum affectum fingimus, ut illi reſpondeamus. Huius figuræ exemplum tale ex Virgilio affert Rufinianus.

Indignum eſt Italos Troiam circundare flammis Lib. 10.
Naſcentem, & patria Turnum conſiſtere terra.
Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.
Quid face Troianos atra uim ferre Latinis?

Hæc, inquit Iulius, non ita Iuno propoſuit, quaſi manifeſte Venus indignum eſſe dixiſſet, ſed quaſi indignum eſſe Veneri fingeret, uel ſuſpicaretur.

Decimatertia, a ſuperiore fortaße non diuerſa, quam tamen ſeorſim numerat Iulius, Anaſceue, latine, Deſtructio, vel euacuatio, qua quę ab aduerſarijs propoſita ſunt, tanquã falſa deſtruimus, & redarguimus: Vt apud Li.4.Aen. *Virg.*

——Nunc augur Apollo,
Nũc Liciæ ſortes, & Ioue miſſus ab alto
Interpres diuum fert horrida iuſſa per auras.
Scilicet is ſuperis labor eſt; &c.

Decimaquarta, Epithemeſis, quam latine Obiurgationem appellat Iulius, cum aduerſarium iiſdem uerbis, quibus ab eo laceſſiti ſumus, percutimus; quæ eadem fortaſſe eſt cum Antiſtrophe, id eſt cum Inuerſione, quam, Violentum uocat Hermogenes: Vt, ſepeliſti ſolus, ideo occidiſti; immo ſi occidißem non ſepeliuiſſem. Pro Mur. *Si habet Aſia ſuſpicionem luxurię quãdam, nõ Aſiam nunquam vidiſſe, ſed in Aſia continenter uixiſſe laudandum eſt; quaſi dixiſſet, Ideo Murena laudandus, quod in Aſia, ubi corrupte uiuitur, incorrupte uixerit. Et Leo Imperator, referente Suida, cuidam conſi-*

liario

liario ſuadenti, ne literatis pecunias largire-tur, quia ærarium exhauſtum militibus pecunias ſuppeditare non poßet, reſpondit, Immo optarim talem eſſe remp. cui nihil opus eſſet militibus, ſed tantum ſtudioſis literarum.

Decimaquincta, Metaſtaſis, latine Tranſlatio, cum rem a nobis alio transferimus: ut, ita actum eſt, ſed non per me; quia non adſui: uel, ut alijs placet, cum in alium transfertur culpa: uel denique, quod quidam dicunt, cum cauſſa in meliorem locum magis dicenti profuturum transfertur. Quare, non eſt eadem cum Tranſitione, quæ etiam græce Metaſtaſis uocatur. Ac ſi quis eſt, ait Tullius, qui me uehementer accuſet, non eſt iſta culpa mea, ſed temporum. Item, Noli in conſeruandis bonis uiris defatigari: non cupiditate præſertim, aut prauitate aliqua lapſis, ſed opinione officij, ſtulta fortaſſe, certe non improba, & ſpecie quadam reip. Aquil. Corn. Catil. 2. Pro Mar.

Decimaſexta, Epicherema, latine Aggreſſio; fit, ut quidam uolunt, cum ex ſimilibus ſumitur probatio: Vt, Quis militat ſuis ſtipendijs unquam? quis plantat uineam, & de fructu eius non comedit? Vel dicas eſſe breuem ratiocinationis cõplexionem, qua uehementi interrogatione adhibita, urgetur aduerſarius: de qua libro de oratoria Diſpoſitione plura Caſſiod. 1. Cor. 19.

ſcripſimus: ut, Diſcipuli bono præceptori non obediant?

Decimaſeptima, Dilemma, ſeu Dilemmatum, latine complexio, qua duo contraria diſtinguuntur ſubiecta ratione: de quo lege quæ eodem libro latius docuimus.

Diſp.18.

Decimaoctaua, Enthymema, latine commẽtatio, fit, ut Rufinianus ait, cum orationis periodus contrarijs ſententijs adſtringitur: ut, Tamen hic operam tuam pollicebere, qui neque uelle ſua cauſſa, nec ſi uelis, poſſe arbitrantur? Auctor Herennianus, Contrarium appellat, aitque, Contrarium eſse, quod ex rebus diuerſis duabus, alteram breuiter & facile confirmat.

Cic.ĩDiu.

Decimanona, expeditio, ſeu enumeratio, cum pluribus rebus expoſitis, omnes infirmantur, ut una probetur, hoc modo: ſi diuitiæ expetẽdæ, aut quia sũt honeſtæ, aut utiles, aut delectabiles: non honeſtæ, quoniam multi diuites turpiſſime uiuunt: non utiles, quia qui diuites fieri uolunt, incidunt in laqueos diaboli: non delectabiles, quandoquidem multas ſecum curas afferunt: non expetendæ igitur. Valet hæc exornatio, ut auctor Herennianus ait, in coniecturalibus argumentationibus.

Lib. 4.

Vigeſima, Aetiologia, latine, Cauſsa, cum alicuius rei dictæ, uel propoſitæ cauſsam, ratio-

tionemve ſtatim ſubijcimus: ut, Me reprehendis, quod adoleſcens lapſus ſim, uehementer erras; quia quod natura ualeat, ignoras: Non mireris, quod bene uixerit, nam honeſte inſtitutus fuit: & Menalcas apud Virg.

Phyllida amo ante alias; nam me diſcedere fleuit. Eclog. 3.

Et ſi alijs non ſum Apoſtolus, ait Paulus, ſed tamen uobis ſum: nam ſignaculum, &c. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnũ coelorum. 1. Cor. 9.

Vigeſimaprima, Dicæologia, latine, Excuſatio, cum æquitatem pro nobis adducimus, & noſtram cauſſam ut æquam defendimus; hoc modo, Amicum deſerui, ſed coactus legibus: læſi quidem, ſed iratus & affectus iniuria. Hanc figuram alij appellant, Dianœan: & uidetur eſſe eadem cum illa, quam Rutilius Anangæon, hoc eſt, neceſſarium appellat. Ad hanc, uel ad ſuperiorem reuocares illã, quam Caſſiodorus, Ephexergaſiam, ideſt diligentiam uocat, cum uni cauſſæ duas approbationes apponimus. Io. Ric.

Vigeſimaſecunda, Proſapodoſis, quæ ut Rutilius, ſiue Gorgias explicat, duobus modis tractari poteſt: uno cum duabus aut pluribus ſententijs poſitis, ſua cuique ratio poſterius redditur: altero cum ſtatim ſub unaquaque ſen- Lib. 1.

tentia ratio ſubijcitur, hoc modo. *Nam quod beneficium tempore, & cupienti datur, gratũ eſt: utilitas enim ac uoluntas accipiendi, bono rem dati facit ampliorem; At quod ſero & nõ deſideranti datur, ingratũ eſt; amiſſo enim tempere utilitatis, cadit accipiendi cupiditas.* Hic ſecundus modus poſſet fieri primus, ſi tota ſententia prius poneretur, & deinde ſubijcerentur rationes.

Demet. Phal.

Denique huc referres, Chroma, latine color, callida & probabilis ſuſpectæ cauſſæ ac rei perperam actæ defenſio; ut eſt apud Terentiũ, Poſtquam ad iudices uentum eſt, non potuit cogitata proloqui, ita eum tum timidum obſtupefecit pudor: Atque hæ ſunt figuræ, quas ad hunc ordinem reuocandas eſſe exiſtimaui: quarum aliquæ non omnino figuræ uim habent: ſed ne eas neglexiſſe uideremur, ideo recenſuimus: Vt ſpeciatim ſunt illę, quę formam quãdam argumentationis habere uidentur. Sed ideo in figuris collocari diceres, quod ſint modi quidam argumentandi ab Oratoribus uariandæ orationis cauſſa inuenti, de quibus alibi latius diximus.

Cor. vlt.

Lib. de diſp. orat.

De quibuſdam ſententiarum figuris, quę ſimilitudinem & comparationem continent. Diſputatio XXII.

QVAE in hac diſputatione explicanda ſunt ſchemata, ideo hoc loco ponimus, quod uim quandam ad confirmandam, augendamque ſeu amplificandam orationem uidentur habere. Quo fit, ut partim cũ illis conueniant, quæ proxima diſputatione expoſuimus, partim uero, cum alijs quæ in ſequenti afferentur. Et quod attinet ad eas figuras quæ ſimilitudinẽ continent, dubitari ſolet, an uim argumenti habeant, an uero tantum ad exornandum conferant: & ſane, ſi ad utrunque conferre dixeris, non errabis. Atque idem dicas de illis, quæ quandam continent contrarietatem, de quibus congruenter una cum illis, quæ in ſimilitudine conſiſtunt, agitur.

Prima ergo huius ordinis figura eſt ſimilitudo, de qua plura dictur⁹, has ſtatuo poſitiones. Prima poſitio, ſimilitudo, græce Omoeoſis, eſt quę rem minus cognitam per rem magis notã demonſtrat: vel, ut ait Beda, ſimilitudo eſt minus notæ rei per eius ſimilem, quę magis nota

eſt

eſt demonſtratio: quam aliqui comparationẽ, & collationem uocant: de qua lege, quæ fuſius libro quarto de Inuentione capite primo docuimus. Secunda poſitio, ſimilitudo duplex eſt, altera perfecta, ut eſt ea, quæ duas habet partes, nimirum propoſitionem, cuius notæ ſunt, vt, ſicut, quemadmodum, & harum ſimiles, & redditionem, cuius notæ ſunt, Ita, ſic, eodem modo, & aliæ generis eiuſdem. Imperfecta, eſt ea, quæ caret particulis, ſiue notis, quibus explicatur ſimilitudo, ut in hoc patet exemplo,

Virg. ecloga. 2.

O formoſe puer, Nimiũ ne crede colori:
Alba liguſtra cadunt, uacinia nigra leguntur.

Vel quæ propoſitionem cum redditione habet coniunctam: ut, Eſtote ſimplices, ut columbæ, & aſtuti ſicut ſerpentes. Perfectæ ſimilitudinis exempla ſunt huius modi, Vt ſol vnus omnibus lucet, ita una præceptoris uox omnibus diſcipulis ſufficit: Vt ager cultura fit fæcũdior, ita animus diſciplinis uberior efficitur: Vt grauiſſime peccant qui fontem publicum, unde hauriunt omnes, ueneno inficiunt; ita peſſime merentur de rep. qui Principis animum perniciosis conſilijs deprauant. Rurſus, pro ratione rerum ex quibus ſumitur ſimilitudo, alia dicetur illuſtris & iucunda ſimilitudo, ut eſt ea

quæ

quę a rebus iucundis ducitur: alia grandis, quę a rebus ſublimibus: alia acris, quæ a rebus terribilibus: alia mediocris, quæ a mediocribus: & denique alia humilis, quæ ab humilibus. Pro quorum generum uarietate, orationis character uariandus erit. Tertia poſitio, in ſimilitudine conſtituenda faciendaue hæc animaduertenda ſunt. Primum, ut rei ad quam explicandam adhibetur, quam optime congruat: Deinde, non ſumatur a rebus, quæ ſint auditoribus ignotæ: Poſtea, non ſit dura, non ſordida, non affectata: Et denique uidendum eſt, ne ſit eiuſmodi, vt ſtatim in diuerſa torqueri queat. Quarta poſitio, huius ſchematis uſus has ſecum utilitates affert: Cōfert ad probandum & perſuadendum: ad rem docendam, declarandam, & oculis ſubijciendam: ad rem quamuis ornandam & amplificandam: & cū multum dignitatis ac uenuſtatis habeat, mirū in modum delectat, ob eas cauſſas, quas cum de metaphora agebamus, ſupra attulimus. Quincta poſitio, ſi quis velit in ſimilitudinibus faciēdis excellere, diuinas lectitet literas, quæ illuſtres habent ſimilitudines: diuū Chryſoſtomum, vel eos auctores, qui ex varijs ſcriptoribus ſimilitudines collegerunt. Qua autē ratione ſimilitudo inueniri poſſit, libro de Inuentione quarto, docuimus, ubi quædam huc Anſel. Cap. 3.

per-

ptinētia de ſimilitudine ſcripta ĩuenies. Atq; de prima huius ordinis figura hactenus: nūc de alijs, q̃ ſimilitudinis naturã habēt, dicamus.

Secunda, Imago, græce, Icon, quę varie explicari ſolet: Iulius hoc modo; Imago eſt, cum perfectæ formæ ſimiles conferuntur. Beda hoc pacto, eſt perſonarum inter ſe, vel eorum, quæ perſonis accidunt, comparatio: vt, Os humeroſque Deo ſimilis: hic enim ad Dei imaginem Aeneam comparauit Poeta. Vidimus gloriã eius, gloriam quaſi vnigeniti a Patre. Verum illa particula, quaſi, hoc loco non ſimilitudinē ſed ueritatem exprimit, & idem valet, quod Vere. Hęc qui faciat, inquit Tullius, non ego cum ſummis uiris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico. Vel imago fit, cum ab alicuius numinis, vel animantis forma ducitur ſimilitudo: ut ſi Diabolum cum leone comparares. Aut certe imago, eſt oratio demonſtrans corporum, aut naturarum ſimilitudinem: vt duo fulmina belli Scipiadæ: Vel, eſt formæ cum forma ex quadam ſimilitudine collatio: vel denique, tunc eſt imago, cum integræ formæ ſimiles inter ſe conferuntur: vnde Mancinellus,

Li.4. Aen.

Io.1.

Pro Mar.

Io. Suſem.

Ad formam formæ collatio dicitur εἰκών.

Differt Imago a ſimilitudine, quod hæc ab omni rerum genere adſciſcitur: imago vero potiſſime, ab animantis forma ducitur. Valet autē

ad rem amplificandam oculiſque ſubijciendã: atque etiam ad euidentiam, grauitatem, iucũditatemque orationis. Vt ſi hominem rapacẽ ſimilem eſſe dicas draconi, qui oculis ardentibus, dentibus acutis, unguibus aduncis, hiante rictu per omnia volitet. Itẽ, ut mare, quod ſua natura tranquillum eſt, uentorum ui agitari et conturbari ſolet, ſic populus Romanus.

Tertia, Parabole, ſic dicta, ut diuo Hieronymo placet, quod alteri παραβάλλεται, *hoc eſt, aſſimulatur, & quaſi vmbra, præuia veritatis eſt.* Quæſt. 6. ad Algaſ. *Hanc M. Tullius, Collationem uocauit. Eſt autem, definiente Donato, rerum genere differentium comparatio: Vel tunc fit Parabola, cum alicuius rei vulgaris comparatione rem noſtram illuſtramus. Vel Parabola, eſt ſimilitudo ab ijs ſumpta, quæ fiũt, aut quæ natura caſuve rebus adiuncta ſunt: Vel denique eſt longior quædam ſimilitudo. Parabola itaque res quę comparantur, longius repetere ſolet:* Suſemb. *nec hominum modo inter ſe opera ſimilia ſpectat, ſed etiam à mutis & inanimatis rebus ſimilitudinẽ ſumit. Quod ſi e portu ſoluentibus, inquit Cicero, qui iam in portum ex alto inuehuntur, prędicere ſummo ſtudio ſolent tẽpeſtatum rationem, & quę ibi ſequuntur.* Pro Mur. *Vt ſæpe homines ægri, morbo graui, cum æſtu febrique iactantur, ſi aquam gelidam biberint;*

rint, primo releuari videtur, deinde multo grauius, uehementiuſque afflictantur: ſic hic morbus, qui eſt in rep. releuatus, iſtius pœna uehementius, uiuis reliquis, ingraueſcit. Item, Vt non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire poſſis: ſic non omne facinus in omni uita naſcitur.

Catil. 1.

Pro Roſ. Amor.

Quarta, Paradigma, latine exemplum, eſt autem, ut Fabius ait, rei geſtæ, aut ut geſtæ utilis ad perſuadendum id quod commendaueris commemoratio: uel cum Beda, eſt enarratio exempli hortantis, aut dehortantis: cum ſcilicet ex hiſtoria aliquid affertur, uel faciendi, uel uitandi, uel illuſtrandi cauſſa. Non enim ſolum ad perſuadendum, ſed etiam ad ornandam, illuſtrandamque orationem affertur. In hoc autem potiſſimum Paradigma differt a ſimilitudine, quod in ſimilitudine res obſcura per rem claram exponitur, & ab omnibus rebus ſumitur; at exemplum a rebus geſtis perſonarum, tum uerarum, tum fictarum, atque etiam interdum a brutis, in quibus quarũdam uirtutum apparent ueſtigia: & aliquando a rebus ſenſu carentibus: Vt ſi delphini non ſinunt minores incomitatos; quanto magis teneris adhuc liberis adhibẽdus eſt pædagogus? Si vnaquæque arbor alit, quod genuit: cur igitur matres ſuo lacte ſuos filios nutrire non debent?

bent? Vt arbor exciſa repullulat, euulſa uero non fructificat; ſic malum, ſi penitus tollatur, non renaſcitur. Cicero illuſtrandi cauſſa huiuſmodi adduxit exemplum, Nihil eſt incertius vulgo, nihil obſcurius uoluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Quis L. Philippum ſummo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio ſuperari poſſe arbitratus eſt? Quis Q. Catulum humanitate, ſapientia, integritate antecellentem a Cn. Manlio? Quis M. Scaurum hominem grauiſſimum, ciuem egregium, fortiſſimum ſenatorem a Q. Maximo? &c. Plura de exemplo infra libro quarto dicentur. Huc referres apologos, de quibus infra, cum de rerum copia agetur: ac etiam Mythologias, hoc eſt fabuloſarum narrationum interpretationes, ut eſt illa Ciceronis in Piſonem de furijs, quas dicit eſſe conſcientiæ dolores ex magnitudine ſceleris ortos. Pro Mun. Lib. 4.

Quincta, Homœon, hæc figuræ, inquit Rufinianus, fit, cum ex partibus aliqua colligitur ſimilitudo: Vt Virg.

Sic oculos, ſic ille man⁹, ſic ora tenebat.

Fit etiam in actu, Virg.

Non aliter quam ſi immiſsis ruat hoſtibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros.

Sic

Sic Cicero in Verrinis ait ſuccinctam Scyllam lupis, & canibus, cum pube tenus uirgo ſit, ſimilem eßе Verris, & comitum illius, quibus quaſi canibus ſuccinctus ſit.

Caſſiod. *Sexta, Iſon, latine, æquale, ſeu æqualitas, fit cum res parilitate ſimiles, adhibita laude, uel detractione iunguntur: ut, iuſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur: plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri florebunt, adhuc multiplicabuntur, &c.* (Pſal. 91.)

Caſſiod. *Septima, Pariſon, ideſt prope æquale fit, cum duæ res e diuerſo proponuntur, ſed una magis quam altera eligitur: ut, Quoniam melior eſt dies una in atrijs tuis, ſuper millia, hoc eſt, ſuper chiliades dierum, & annorum, quamuis fęliciſſimorum in hac miſera uita.* (Pſal. 83.)

Octaua, Syncriſis, id eſt comparatio: fit, ut ait Caſſiodorus, cum noſtram cauſſam iuſtiorem eſſe oſtendimus: ut, Hi in curibus, hi in equis; nos autem, inuocabimus: Vel, ut Iulius exponit, Syncriſis, eſt comparatio perſonarum inter ſe contrariarum: ut, vigilas tu de nocte, ut conſultoribus tuis reſpondeas; ille autem mature, ut quo intendit, cum exercitu perueniat, &c. Item, Iſte multo ſceleratior & nequior, quam ille Adrianus, aliquanto etiam (Pſal. 19.)

tiam felicior fuit. Item, Tu delinquis, ego arguor pro male factis. Pro Mur. In Verrin.

Nona, proximæ non diſſimilis, quæ græce Antitheſis, & Antitheton, latine Contentio, contrapoſitum uocat Fabius, alij contrarium. Antitheſis eſt rerum, & perſonarum inter ſe contrariarum comparatio: &, ut inquit Cicero, fit Antitheſis cum contrarijs opponuntur contraria: quæ eſt, uel in ſingulis uerbis, uel in ſententijs. In ſingulis, cum eſt opus ſilentio, clamitas: in fuga fœda mors, in uictoria glorioſa. In coniunctis, Adeſt uir ſumma auctoritate, & religione, & fide M. Lucullus: qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiße, ſed egiſſe dicit. Item, Antonij promiſſa ſunt cruenta, tetra, ſcelerata, dijs hominibuſque inuiſa; nec ſalutaria: noſtra, contra, honeſta, integra, glorioſa, plena lætitiæ, plena pietatis. Item, Hoc vero, quis ferre poſſit? inertes uiros fortiſſimis viris inſidiari, ſtultiſſimos perditiſſimis, ebrios ſobrijs, dormientes vigilantibus? Et apud Ouidium, Pro Antr. Phil. 8. Cat. 2. De Triſt.

Ille habuit fidamq; manum, ſociosque fideles,
Me profugũ comites deſeruere mei.
Ille ſuam lætus patriã uictorq; petebat,
A patria fugio uictus & exul ego.

Tale eſt illud celebratum diſtichon,

Donec eris felix, multos numerabis amicos:

Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Auctor Herennianus hanc figuram appellat Contrarium, fierique affirmat, cum ex aduerſo ſumitur probatio: vt, quos ex collibus deiecimus, cum his in campo metuimus dimicare? Qui cum plures erant, paucis ęquari non poterant; hi poſtquam pauciores ſunt, metuimus ne ſint ſuperiores? Sed hęc ſunt enthymemata rhetorica ex contrarijs ſumpta, & ad probandum potiſſimum comparata. Sunt qui dicant, hanc figuram pertinere ad verborũ ſchęmata, cum ex ſingulis verbis fit. At uero Rufinianus de Antitheſi agens, quam Cõtrariũ & Oppoſitionẽ uocat, inquit fieri cum uerbũ uerbo pari poteſtate per contrarium redditur: ut,

Seque nouo ueterum deceptum errore locorum.

Et hæc eſt fortaſſe figura illa, quam Caſſiodorus Syndicaſmon, ideſt Collationem vocat: Vt Mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati: Maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur & ſuſtinemus: ſi ſecundum carnem uixeritis, moriemini: ſin ſpiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis: litera occidit, ſpiritus uiuificat. In re frigidiſſima cales, in feruentiſſima friges: Ades, abeſſe uis; abes, reuerti

1. Cor. 3.

uerti cupis. Hoc ſchema mirum in modum orationem illuſtrat, uariat, amplificat, remq; demōſtrat: Oratorem commendat, & aduerſarium urget: ac proinde frequenter ab oratoribus uſurpatur. Huc referres Allœoſin, quam aliqui faciunt eandem cum Antitheſi, ni ad aliquam ex ſequentibus referre uis, quæ eſt diuerſitatis rerum demonſtratio, & perſonarum ſeparatio, ut ait Gorgias; ut, tametſi fratres erant, uno eodemque ſanguine orti; alter in ſtudio laudis verſabatur, & induſtria virtutis vitam glorioſam, ſed laborioſam ſequebatur: alter in augenda pecunia occupatus, &c. Nō ſimile eſt viuere in æqua ciuitate, vbi uis legibus uallatur, & deuenire in unius tyranni imperium, vbi ſingularis libido dominatur. Lib. 2.

Decima, Diaphoreſis, id eſt differentia, quæ fit eum diſcrimen ponitur inter contrarias perſonas: Vt, mutuatur peccator, ſed non ſoluet: iuſtus autem miſeretur & commodat. Itē, quoniam benedicentes ei poſſidebunt terram; maledicentes ei diſperibunt. Caſsiod.

Vndecima, Paradiaſtole, latine, Diſcriminatio, fit cum res ſimiles diſcernuntur redditis contrarijs: uel cum res quæ uidentur ſimiles diſtinguuntur, & quantum inter ſe diſtent oſtenditur: uel eſt diſtinctio eorum, quæ unam uim habere uidentur. Vt non fortis, ſed confi- Iul. Rut.

dens, non ſapiens, ſed aſtutus, non ſeuerus ſed crudelis: quod ſchema illuſtrius fit, cum propoſito ratio ſubiungitur, hoc modo, Quapropter nolo te ſæpius parcum appellare, cum ſis auarus. Nam qui parcus eſt, vtitur eo quod ſatis eſt: tu contra, propter auaritiã, quo plus habes, magis eges. Ita non tam diligentiæ fructus, quam inopię miſeria te conſequitur. Iulius ex Virgilio, tale huius figuræ ponit exemplum.

Ecl. 3. Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus uenti, nobis Amaryllidis iræ.

Sed, ut aliqui ſcribunt, eſt mitigationis ſpecies ex finitione pendens.

Duodecima, Antimetabole, latine Commutatio, quæ fit cum inuertitur aliqua ſententia per contrarium, hoc modo, Non eſt uiuendum ut edas, ſed edẽdum ut uiuas: ſi poema loquẽs pictura eſt, pictura tacitum poema eſſe debet: Siquid turpe facias cum uoluptate, uoluptas abit, turpitudo manet: ſi quid honeſtum cum labore, labor abit, honeſtum manet: Non poſſidet pecuniam, qui pecuniæ ſeruit; ſed is cui ſeruit pecunia. Ex hoc ſchemate enthymemata rhetorica ex contrarijs conficiuntur. Rufinianus, & Sulpitius, Metatheſin appellant.

Rom. 1. Plut. in Apoph.

Decimatertia, Synæcioſis, latine Communicatio, ſiue cohabitatio, ſic dicta, quod duo ſimul diuerſa cohabitare faciat: quæ fortaßε eſt eadem cum illa, quæ græcæ Syncyceoſis, latine, Commiſtio, confuſio, coniunctiove, & Cinnus, ideſt plurium rerum commiſtio. Fit enim hæc figura cum duę res contrariæ ſimul coniunguntur: uel, ut Gorgias ait, hoc ſchema docet diuerſas res coniungere, & communi opinioni cum ratione aduerſari, & habet magnam uim uel ex laude uitium, uel ex uitio laudem exprimendi: Vt, Hominis auari, atque aſoti unum atque idem uitium eſt: uterque enim neſcit uti: atque utrique pecunia dedecori eſt. Et Demoſthenes, cum ei quidam obieciſſet, quod e matre Scytha natus eßet, reſpondit, Non miraris igitur, quod Scytha matre barbara natus, tam bonus & clemens euaſerit. Item, Tam deeſt auaro quod habet, quam quod non habet: labor eſt etiam ipſa uoluptas.

Decimaquarta, Epanorthoſis, latine Correctio, Emendatio, & Reuocatio; quam ſic Herennianus auctor deſcribit, Correctio eſt, quæ tollit id quod dictum eſt, & pro eo, quod magis idoneum uidetur, reponit. Ciceroni Correctio eſt, cum uel ante, uel poſtquam dixeris, uel cum aliquid a teipſo reijcias: ita ut una ſit antequã dixeris, altera poſt. Fabius Prolepſi ſubiecit, Lib. 3. de orat. Lib. 9. c. 3.

cum tamen ſit ab ea diſtincta: nam Prolepſis ex quadam interrogatione, & reſponſione conſtat; Correctio autem ſimplex eſt. Et quoniam Correctio poteſt eſſe uel uerbi, uel ſententiæ, illam ad uerborum, hanc ad ſententiarum figuras reuocat. Cæterum, ſiue in re, ſiue in uerbo ſit, eadem ſemper eſt correctionis ratio. Rufinianus hanc figuram Aphoriſmon appellauit. Sed iam hoc ſchema aliquibus illuſtremus exẽplis. Crudelis homo, atque adeo, ne homo quidem: quamquam illa non pœna, ſed probibitio ſceleris fuit: O clementiam P. Rom. ſeu potius patientiam miram, ac ſingularem: Perfricuit ille frontem; immo frontem non habet. Ciues inquam, ſi hoc eos appellari nomine fas eſt: Filium unicum adoleſcentulum habeo: ah? quid dixi me habere? immo habui Chreme. Sunt Rutil. *qui ſententiarum correctionem*, μετάνοιαν *.i. ſententiæ mutationem appellent. Correctionis, notæ ſunt, immo, atque adeo, ſi tamen, potius, quinpotius, & ſimiles.*

Decimaquincta? Adynaton, latine nefas, cum Horatio diceres, ni Impoſſibile appellare uelles: Vt cogitatione conſequi minime poſſum quantum moleſtiæ tuæ literę mihi attulerunt: Phil. 13. *Prius, undæ flammęque in gratiam redeant, ut ait Poeta, neſcio quis, quam cum Antonio reſp. & apud Virg.*

Non

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum. Li.6. Aen.

Decimaſexta, Paradoxon, ideſt Inopinatum, præter opinionem, cum aliquid præter noſtram, uel communem opinionem accidiſſe dicimus: quæ figura eſt dubitationi ualde affinis, & ideo ei ſubijci poſſet. Nunquam putaui accidere poſſe, ut mihi uerba deeſſent: neque ſolum iſta ueſtra oratoria, ſed hæc etiam leuia noſtratia. Fit etiam Paradoxon, cum ſuſpenſis auditorum animis, inexpectatum aliquid ſubijcimus; ſed tunc eadem eſt, cum Suſtentatione. In hac figura exprimenda utimur uerbis, quæ admirationem, opinionemque deſignant: ut, uix mirari poſſum; nunquam exiſtimaßem. Et, ut uerbis quæ affectum deſignant in exordijs uti ſolemus, ita etiam in paradoxo, dubitationeque. Quo fit, ut aliqui admirationes & hyperboles huc referant. Ad At. li. 16. ep. 2. Epiſt. 10. li.3. Fam.

Decimaſeptima, Oxymoron, ideſt acutũ dictum, quod prima fronte uidetur abſurdum, & fatuum, ut eſt hoc apud Ciceronem; Deinde obſecro uos P. C. quis hoc ueſtrum non uidet: quod fortuna ipſa quæ dicitur cœca uidet? Phil. 13. *Item, Ipſam uictoriam uiciſſe uideris; cum ea, quæ illa erat adepta, uictis remiſiſti.* Pro Mar. *Item, Quocirca, & abſentes adſunt, (ſcilicet amici) & egentes abundant, & imbecilli ualẽt, & quod* Lib. de amic.

difficilius eſt, mortui uiuũt. Tale eſt illud apud Apol. ad Ant. *Iuſtinum martyrem, qui cum Chriſtianorum aduerſarijs loquendo, dixit, Occidere poteſtis, lædere non item. Sed de hoc figurarum ordine hactenus.*

De quibuſdam ſententiarum figuris, quę ad orationem dilatandam uim habent. Diſputa. XXIII.

PROPOSITAM nobis methodum ſequentes, eas figuras quæ augendæ amplificandæque orationis præcipue uim habent, hac diſputatione proſequemur: quas breuiter explicabimus, cum quæ ab alijs dicuntur, ſine maiore neceſſitate, ad tenue limare nolimus: Ad hunc ordinem, quas recenſebo, eæ ſpectare uidentur figuræ.

Prima, Epexegeſis, latine addita Interpretatio, cum rem eandem pluribus modis enunciamus, uel cum multa uerba eiuſdem fere ſignificationis eidem rei attribuimus. Iteratio ergo eſt uerborum, uel ſententiarum, rem eandem inculcantium multiplicatio. Hac figura, ut Aquila docet, utimur, quoties uno uerbo nõ ſatis rei dignitatem, aut magnitudinem demonſtrari

ſtrari poſſe exiſtimamus. Fit autem, aut pluribus uerbis, aut ſententijs, ſiue clauſulis. Verbis, hoc modo, Abijt, exceſſit, erupit, euaſit: Promitto, ſpondeo, recipio: Decepit, fefellit, induxit: Non patiar, non feram, non ſinã. Sententijs, ſiue membris. Permitto aliquid iracundiæ tuę, do adoleſcentiæ, cedo amicitiæ, tribuo parenti. Et Virg. Cat. 2. Phil. 5. Catil. 1. Pro. ſyl.

Quid puer Aſcanius? ſuperatne? & ueſcitur aura
Aetherea? nec adhuc crudelibus occubat umbris?

Vbi ex animi ſtudio, eandem rem pluribus uerbis exponit, ac ſi ſimpliciter dixiſſet, Viuit ne? Habet itaque hęc figura affecti animi ſignificationem: ob quam cauſsam ſæpe in diuinis literis uſurpatur. Solent etiam Græci appellare, Synonymiam, quo nomine uocares eam iterationem, quæ fit uerbis, cum ſcilicet uerba ſimilis ſignificationis congerimus; ſi uelles ab ea diſtinguere, quæ fit ſententijs. Caſſiodorus eam quę plures iterat ſententias, Etiologiam uocat, alij etiam Tautologiam appellant: quãuis Aquila ſeorſim Tautologiam a Synonymia exponat: quæ tamen eandem habet uim, cũ ea de qua ſtatim dicemus. Sed quid ſit Synonymia ex ijs quæ de uerborũ copia libro quarto dicentur, multo intelligetur melius.

Secun-

Secunda, Exegeſis, & hermenia, latine Interpretatio, quæ in eo differt ab Epexegeſi, quod ibi per ſynonymi m idem dicitur, hic uero quod dictum eſt, explicatur, ita ut exegeſis ſit prioris dicti explanatio: Vt, Dominus factus eſt adiutor meus: hoc explicatur his ſe-
Pſal. 29. *quentibus uerbis, Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia. Vicit is, qui non for-*
Pro Mar. *tuna inflammaret odium ſuum, ſed bonitate leniret: ſequitur deinde interpretatio, qua Cæſaris bonitas exprimitur, Neque omnes quibus iratus eſſet, eoſdem etiam exilio, aut morte dignos iudicare.*

Tertia, Exergaſia, & Epexergaſia, latine Expolitio, Suffiguratio, Cicero Tractationem appellat: quæ fit, cum unã & eadem rem alijs atque alijs modis, tractamus, uarijs figuris exornamus, & præſertim ijs, quæ ad auditorẽ commouendum conferunt, ut ſunt interrogatio, apoſtrophe, comminatio, ſermocinatio, & harum ſimiles; & denique cum ex adiunctis eandem rem illuſtrando confirmamus: ob quã cauſſam quidam non diſtinguũt hanc figuram
Diſp. 22. & 23. *ab argumentatione, cum nihil aliud ſit, quam expolita argumentatio, de qua libro de Diſpoſitione late ſcripſimus: quam aliqui ſeptẽ partibus conſtare dicunt, Propoſitione, ratione*

du-

duplici ſententia, quibus duplex ratio ſubijci poteſt, contrario, ſimili exemplo, & concluſio ne: de qua Herennianum auctorem lege. Simplicioris expolitionis exempla ſunt iſta. At huius gloriæ C. Cæſar, quam es paullo ante adeptus, ſocium habes neminem: totum hoc quantumcunque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil tibi ex iſta laude Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa rerum, &c. Et paullo poſt, Tu uero, quem pręſentem intuemur, & quæ ſequuntur. Rurſus, in eodem loco, Illa, inquam, illa uita eſt tua, &c. Et alio loco, Patere tua conſilia non ſentis? conſtricta iam omnium horum conſcientia teneri coniurationem tuam non uides? Quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos conuocaueris, quid conſilij ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris? Item, Incenſi omnes rapimur ad libertatem recuperandam; non poteſt ullius auctoritate tãtus ardor extingui: extorqueri de manibus arma nõ poſſunt, &c. Et Virgilianus Corydõ, pulcherrime hanc ſuam propoſitionẽ expolit,

Lib. 4.

Pro Mar.

Catil. I.

Phil. 13.

Deſpectus tibi ſum, nec quis ſim quęris Alexis: Eclog. 2.
Quam diues pecoris niuei, quam lactis abundans:

Mil-

Mille meæ ſiculis erant,& &c.

Quod autem ad vſum attinet,confert ad rem aliquam exaggerãdam, & ad animos commouendos,cum eandem rem varie repetitam cum decore & ornamento auditorum auribus inculcamus. Dum itaque in eadem re commorantes diu auditoris cogitationẽ in ea retinemus, & melius docemus,& multo facilius commouemus: quam ob cauſſam, Commoratio,græce, Epimone a quibuſdã vocatur. Vtimur hoc ornamento poſt alicuius rei probationem;cum eam rurſus proponendo,aut repetendo exornamus: & cum res ob ipſius magnitudinem & dignitatem, ſimplici propoſitione non ſatis exprimi poteſt: vt in allato ex Virgilio patet exẽplo. Nec.n. illa ſimplici propoſitione,ſeu probatione, Quã diues pecoris niuei, quam lactis abundans,ſuarum diuitiarum magnitudinem expreßerat Corydon, ideo expoſitionem ſubiecit, Mille meæ ſiculis errant, &c. Cauendum tamen eſt, ne nimia, aut minus idonea & apta commoratione & repetitione tædium afferamus. In his tribus figuris,quas huc uſque expoſuimus, illud diligenter obſeruandum eſt,vt oratio ſemper creſcat, & maior ſit in ſequentibus,quam in antecedentibus uerbis & ſententijs vis atque energia.

Quarta,Epimone,Latine Commoratio, Et

Immo-

Immoratio, cum in loco firmiſſimo, in quo tota cauſſa conſiſtit, manetur diutius, eodemq; ſępe reditur: qua vtimur cum in eadem re verſari per vtile exiſtimamus. Huius figuræ, cum eius vſus in tota cauſſa conſiſtat, non poteſt ſubijci commodum & breue exemplum, cum nõ ſit veluti mẽbrum, ſed quaſi ſanguis in toto orationis corpore fuſus. Eſt hæc figura prudenti Oratori maxime propria, ſed ne omnino ſine exemplo in explicata maneat, occurrit nunc luculẽtiſſimus locus, vbi hæc figura artificioſiſſime fuit vſurpata: is eſt in diuinis literis pſalmus quinquageſimus; vbi per hanc figuram artificioſiſſimus Vates in ſui peccati confeſſione, & veniæ petitione in toto pſalmo commoratur, dum ait, Miſerere mei, Amplius laua me, Aſperges me Domine, Auerte faciem tuam a peccatis meis, Libera me de ſanguinibus. Itẽ, pſalmoounteſimodecimooctauo, dum diuinam legem ornatiſſime laudat.

Quincta, Gradatio, græce Climax, ſic appellata, quod quaſi per gradus aſcendat. Aquila vocem græcam, non ſcalam, & gradiculos, vt quidam faciunt, ſed Aſcenſum traducit. Fit autem cum ab alijs ad alia quaſi per gradus itur, ita vt proximum ſemper repetatur verbum. In hac itaq; figura ab antecedentibus ad conſequentia, ſeu a cauſſis ad effecta, non ſine

ver-

verborũ repetitione progredimur: quæ in Stoico Sorite locum habere poteſt: Vt ecce, In urbe luxuries creatur: ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt: ex auaritia erumpat audacia, vnde omnia ſcelera, & maleficia gignuntur. Ouid.

Pro Ros. Amer.

Faſt. 3.

Mars videt hanc, viſamq; cupit, potiturq; cupita.

In reg. D. Aug.

Huc pertinet illa pulcherrima Hugonis ſententia, qua peccatoris in peccando progreſſus, eleganter explicatur, Cogitatio praua parit delectationem, delectatio conſenſum, cõſenſus operationem, operatio continuationem, continuatio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem, neceſſitas cogit, ſed non excuſat. Eſt etiam hæc luculenta apud Agapetum Diaconum gradatio, Diuinum documentum & potiſſimum nos homines, ut cognoſcat ſe quiſq;, docemur. Qui enim ſeipſum cognouit, cognoſcet Deum: Deũ vero qui cognouit, aſſimilabitur Deo; aſſimilabitur autem Deo, qui dignus factus Deo eſt: dignus denique fit Deo, qui nihil indignũ patrat Deo: ſed, qui, vt cogitat quæ ipſius ſunt, ita loquitur quæ cogitat, quam facit, quæ loquitur, & apud Lactantiũ, Idcirco mundus factus eſt, vt naſcamur: ideo naſcimur, vt factorem mundi ac Deum noſtrum cognoſcamus; ideo cognoſcimus, vt colamus: ideo colimus, vt immortalitatem pro mercede laborum capiamus. Ex

quibus exemplis intelligi licet hanc figuram, & in verbis ſingulis, & in ſententijs fieri poſſe. Hoc ſchema a Demoſthene commendatum, multum habet leporis et iucũditatis: ſed quia, vt Fabius ait, apertiorem artem continet, rarius adhibendum erit: Commode tamen et ſine affectationis ſuſpicione in ijs locis vſurpabitur, vbi res ipſæ, quæ narrantur gradus quoſdam, & conſecutionem habent: vt in narrandis genealogijs, & in magiſtratuum, Imperiorum, regnorumq; ſucceſſionibus. Vt Imperium Mat. ca. I. *Græciæ fuit apud Athenienſes: Athenienſiũ potiti ſunt Spartiatæ: Spartiatas ſuperauere Thebani: Thebanos Macedones vicerunt, qui ad imperium Græciæ breui tempore adiunxerunt Aſiam bello ſubactam. Facit hoc ſchema ad acrimoniam, ſi per correctionem, amplificationemue fiat. Vt, Hic tamen viuit, viuit, immo etiam in ſenatum venit: Occidiſti amicum, amicum inquam, non ferro ſed veneno, veneno autem omniũ præſentiſſimo linguę, linguæ tartareo veneno infectæ.*

Sexta, Incrementum, cum gradatim ab infimo vſq; ad ſummum, & interdum ſupra ſummum peruenitur: cum non eiuſdem ſignificationis verba coniungimus, ſed per gradus ab infimis ad ſuprema imus. Fit autem incrementũ non ſolum verbis, ſed etiam ſententijs. Vt, Facinus

cinus eſt vincire hominem Romanum: ſcelus, verberare: parricidium necare: quid dicam in

Liu.lib.9. Dec.1. crucem tollere? Vbi ſupra ſummum peruentũ eſt: Male parta, male geſta, male retenta imperia; Item, Pecuniam, honores, regnum, vitamque denique patriæ caritatẽ cõtempſit: Vbi citra diſtinctionem curſu quodam, dum aliquid grauius inſequitur, creſcit oratio. Aliquando climax & Incrementum iunguntur, vt hoc lo

Pro mil. co apud Ciceronem, Nec vero ſe populo ſolũ, ſed ſenatui commiſit: nec ſenatui modo, ſed etiam publicis præſidijs & armis: neque his tãtum, ſed eius poteſtati, cui ſenatus totam remp. commiſit. Eſt etiam pulcherrimum incrementum illud, quod fit per fictionem, de quo libro

Diſput.24 de Diſpoſitione plura ſcripſimus.

Sim. Ver. Io. Merc. Septima, Auxeſis latine augmentum, quã aliqui a ſuperiore non diſtinguũt, alij vero maxime. Eſt ergo Auxeſis, cum amplificandæ rei cauſſa verbum grauius & atrocius ſubijcimus, loco proprij: Vt, cum leue erratum appellamus ſcelus, ingratum vocamus impium, malam fęminam veneficam, ſtupidũ ſtipitem, qui nihil reſpondit mutum: cum dicimus eum reuixiſſe, qui ſpem recepit, & inflammare, pro hortari: Augent etiam multum epitheta congruenter adiecta: Vt conciones turbulentæ, temerariæ, & furioſiſſimæ, mutum forum,

elin-

elinguis curia, tacita & fracta ciuitas.

Octaua, Synathrœſmos, latine Congeries, & Coaceruatio. Eſt ergo congeries, dictionum res varias ſignificantium enumeratio: vel multarum ſpecierum, cumulus. Hoc modo, In amore hæc ſunt vitia, iniuriç, ſuſpiciones, inimicitię, induciæ, bellum, pax rurſum. Cicero per congeriem accuſatorum flagitia his verbis amplificat. Pater occiſus, neſarie domus obſeßa, ab inimicis bona adempta, poſſeſſio direpta, filij vita infeſta: ſæpe ferro atque inſidijs appetita. Et beneficia in ſe collata, quod tam diuinum, atque incredibile genus orationis exiſtere poteſt, quo quiſpiam poſſit veſtra in nos vniuerſa promerita, non dicam cōplecti orando, ſed perſenſere numerando? qui mihi fratrem optatiſſimum, me fratri amantisſimo, liberis noſtris parentes, nobis liberos, qui dignitatem, qui ordinē, qui fortunas, qui amplisſimam remp. qui patriam, qua nihil poteſt eße iucundius, qui denique noſmetipſos nobis reddidiſtis. Differt a Synonymia, & ab Incremento, quod in Congerie creſcit oratio, veluti aceruo quodã, dum congeruntur uoces res diuerſas ſignificantes: in Synonymia uoces eandem rem ſignificant: in Incremento quaſi per gradus ad ſummũ peruenitur. Valet hæc figura ad urgendũ aduerſariũ, & ibi eſt adhibēda, ubi incaleſcit oratio.

Ter. In Eun.

Pro Roſ. Amer. ad

Orat. I Senat.

Nona, Epitrochaſmos ideſt ſummaria percurſio, uel collectio, de qua etiam ſupra meminimus, quæ, ut ait Aquila, parum a coaceruatione diſtat, in qua res diuerſę coaceruantur: hæc uero diſtantia plura inter ſe percurrẽs uelocitate ipſa circumponit, & res magnas paucis uerbis effert. ut, Cæſar in Italiam euolarat, Corfinium præſidio deſertum ceperat, urbe potiebatur, Pompeium perſequebatur. Item, ueni, uidi, uici. Item, Lemnum præteriens cepit: inde Tarſi præſidium reliquit: poſt urbem in Bithynia ſuſtulit. Huc referres eam figurã, quam aliqui tanquam ab alijs diſtinctam numerant, quæ Diagoge nominatur, uocum & idem, & diuerſa ſignificantium congeries: ut inueſtigata, comperta, patefacta, ſublata, deleta. Sunt etiam qui huc reuocant Dialyſin & Aſyndeton. Nec deſunt, qui dicant epitrochaſmum fieri, cum aliquid cum celeritate dicitur: ut,

Io. Lino.

Cic.

Aen. li. 4.

Non arma expedient? totaque ex urbe ſequentur?
Diripientq; rates alij naualibus? ite,
Ferte citi flammas, date uela, impellite remos.

Ex quibus inferres, non errare eos, qui Epitrochaſmum idem cum Brachyepia, & Brachylogia eſſe dicunt: ut, Et campos ubi Troia fuit: Et

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

Decima, Frequentatio, ſeu Dinumeratio, fit hæc figura, cum res in tota cauſſa diſperſæ in unum locum coguntur, quo grauior, aut atrocior fiat oratio: uel cum argumenta fuſius tractata, ueluti in unũ faſcem collecta oculis ſub ijciuntur. Vt a quo tandem abeſt iſte uitio? Quid eſt, iudices, cur uelitis eum liberare? Suæ pudicitiæ proditor eſt, inſidiator alienæ: cupidus, intemperans, petulans, ſuperbus; impius in parentes, ingratus in amicos, infeſtus cognatis, in ſuperiore contumax, in pares faſtidioſus in inferiores crudelis, in omnes denique intollerabilis. Adhiberi poteſt hæc figura in epilogis augendæ rei cauſſa. Suſ.

Vndecima, Continuatio, eſt denſa & continens frequentatio uerborum cum abſolutione ſententiæ: ſiue uno uerborum circuitu breuiter concluſa ſententia, ſeu argumentatio. Poteſt autem fieri, uel in ſententia, hoc modo, Ei non poteſt multum obeſſe fortuna, qui ſibi firmius, quam in caſu præſidium collocauit: Vel in contrario, hoc modo, Nam ſi quis ſpei non multum in caſu collocarit, quid eſt, quod ei magnopere caſus obeſſe poſſit? Vel in concluſione, hoc pacto, Quod ſi in eos plurimum fortuna poteſt, qui ſuas rationes omnes in caſum contulerunt, non ſunt omnia commitenda for-

tunę, ne magnam nimis in nos habeat dominationem.

Duodecima Comparatio, cum aliquid laudatur & amplificatur, vt poſtea ei aliquid aliud præferatur. Fit ergo hæc figura cum id quod pro magno habetur, exaggeramus, ut maximum appareat, quod amplificare nolumus: Vel cum maiora minoribus, difficilia difficilioribus, indigna indignioribus, non argumentandi, ſed ornandi gratia comparamus.

Lib.9.c.2. *Nec placet hic Fabius, qui hoc pulcherrimum ornamentum a figuris reijcit, quod interdum Cõparatio ſit cauſſę genus, & aliquando probationi inſeruiat, cum ex ijſdem locis, & argumenta, & amplificationes petantur, & una eademque res ad diuerſos uſus accommodari poſſit. Illuſtriſſimum comparationis exemplũ habes in pſalmo decimooctauo, ubi cum artificioſiſſimus Vates legem diuinam laudare uellet, prius cælorum uim, ſoliſque præſtantiam pulcherrime amplificauit; ut legem illam ob ſuos mirabiles effectus multo præſtantiorem eſſe aemonſtraret. Fit autem comparatio multis modis, Primo per fictionem, quam Græci plaſton uocant, ſiue per hypotheſin, de quo amplificationis genere nonnihil libro de Diſpoſitione oratoria diximus. Hoc modo uſus eſt Cicero cum Antonium uituperauit, quod in Senatu*

Phil. 2.

natu cœnam euomuiſſet. Secũdo exemplorum collatione, ut idem fecit in Cluentiana, cum factum Opianici de abortu, cum facto Meleſiæ contulit, & in Miloniana, cum ait, An uero uir ampliſſimus Scipio, & quæ ibi ſequuntur. In quibus exemplis, & tota totis, & partes partibus comparantur, ut quod exaggeratur, uel proximum, uel par, uel maius uideatur. Poſtea Comparatio fieri poteſt in pluribus gradibus, non in uno ſolo; ita ut oratio pluribus gradibus a minoribus creſcat, quod potiſſimũ hypoteſi fieri ſolet: Vt ſi plebeius ærarium inuadere tentaßet, morte dignus eſſet, quid ſi ciuis de quo reſp. eſſet bene merita? quid ſi patritius cui reip. cura fuiſſet commiſſa? Poſtremo, fit cõparatio per exaggerationem eorum, quæ cõmuni opinione putantur magna, quæ rurſus extenuantur, comparando ea cum ijs, quæ augere uolumus. Quo pacto Cicero in Verrem comparationem adhibuit, cum dixit, Leuia ſunt hæc in hoc reo, &c. Qua ratione non ſolum facta, ſed & perſonas, & virtutes uitiaq; exaggerare poſſumus. Vt, laudatiſſimus Traianus Imperator, laudatior Antoninus Philoſophus, ſed Conſtantinus his omnibus multo maiore laude & æterna celebratione dignus. Similiter ſi conferre uelles fidem cum caritate, amplificares fidei effectus, quos minoris momenti eſ-

ſe diceres, ſi cum iis quos caritas producit, conferantur.

Decimatertia, Ratiocinatio, græce Syllogiſmus; cum res per coniecturas a ſigno, ſeu circumſtantiis ſumptas amplificamus. Sunt autē ſigna, uel antecedentia, uel coniuncta, uel conſequentia. Ex antecedentibus colligitur quanta fuerit tempeſtas, quam primo Aeneidos deſcribit Virgilius, cum de uētis ab Aeolo emiſſis ait,

——Ac ueluti agmine facto,
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Ex illa itaque uiolenta eruptione & agmine tempeſtatis colligitur magnitudo. Ex coniunctis, quanta Polyphemi magnitudo, de quo ait Li.3.Aen. *Poeta,*

Trunca manu pinus regit, & ueſtigia firmat.

Ex inſequentibus, quantum cibi & uini ſumpſerit Antonius in Hippiæ nuptiis, ſuis faucibus, lateribus, & gladiatoria totius corporis firmitate; cum quod ſumpſerat, poſtridie euomere ſit coactus: tantum ſcilicet, quātum tanto temporis ſpatio illa tanti corporis firmitas concoquere non potuit.

Auct.Heren.
Gorg:
Decimaquarta, Diſtributio, ſiue Partitio græce Meriſmos, cum genus, uel totū, uel ſubiectum

iectum in ſuas partes diſtribuendo dilatamus & quod ſummatim dici poterat, diuidendo per partes latius cum quadam euidentia & diatyposi explicamus. Vel rurſus, cum ſingulis perſonis, rebuſque, quæ eis conueniunt, diſtribuimus. Hoc ſchema, ait Rutilius, rem ſeparatim diſponendo, & ſuum cuique proprium tribuendo magnam efficere utilitatem & illuſtrem cõſueuit. Et Herennianus auctor, eſt hæc exornatio copioſa: comprehendit enim breui multa, & cuique ſuum tribuens officium ſeparat, & res diuidit plures. Omnes, inquit Cicero, ad unum idem ſentiunt, & ij quidem ad remp. ſe contulerunt: & ij qui rerum cognitione doctrinaque delectantur: & ij qui ſuum negotiũ gerunt otioſe. Item, Publij Clodij mortem æquo animo ferre poteſt: Luget ſenatus, moeret equeſter ordo, tota ciuitas confecta ſenio eſt: ſquallent municipia, adflictantur coloniæ, agri denique ipſi, tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum ciuem deſiderãt; quæ ironice dicuntur. In diuinis literis, præter multa alia huius ſchematis exempla, eſt illud artificioſiſſimum trium puerorum canticum, Benedicite omnia opera Domini, Domino, &c. ſed hoc exemplum referre poſſes ad Enumerationem, ſeu Dinumeratione͂, quam aliqui a Diſtributione diſtinguunt, ut, Nego in Sicilia tota,

In Lælio.

Pro Mil.

tam locuplete, tam uetere prouincia, tot oppidis, tot familijs, tã copioſis, ullũ argenteũ: uas ullum Corinthium, aut Deliacum fuiſſe, &c. *Diuiſio, in præcipiendo præſertim, debet eſſe breuis: ut, quiſque debet ſuo munere fungi, Princeps deuotorum commoditati proſpiciendo: deuoti, ſiue ſubditi, Principi debitum honorem tribuendo.* *Multumque gratiæ recipit, hoc ſchema, ſi in partibus aliqua inſit pugnantia: ut, Frugalitas rem ſeruat, luxus eandem diſſipat: diuitiæ docent arrogantiam, paupertas eſt moderationis magiſtra. Plura huc pertinentia dicentur, cum de rerum agetur copia.*

Decimaquincta, Dialyſis latine diſſolutũ, quæ cum ſuperiore affinitatem habet; ut, Iudices partim gratia, partim pecunia corrupti Epiſt.5.li.2. *ſunt. Amicum ex conſularibus neminem tibi eſſe uideo, prȩter Hortenſium, & Lucullũ. Cæteri ſunt partim obſcurius inimici, partim non diſſimulanter irati.*

Decimaſexta, Pleonaſmos, latine Superabundantia, cum uerba quædam adijciuntur, non tam ad rem enunciandam neceſſaria, quã Aquila *ut ex illis rei magnitudo, aut certitudo, aut dignitas cognoſcatur. Valet ergo ad aſſeuerandum exaggerãdumque: vt, vocemque his auribus hauſi: ſed vbi nam gentium eſt? Accipe*

igitur

igitur hoc paruum munuſculum: Minutis interrogatiunculis, quaſi punctis, id quod propoſuit efficit: Ego hominem callidiorem uidi neminem: Magnus ille Pompeius: Quid, malum, eſt iſta uoluntaria ſeruitus? Proœm. in Par.

Decimaſeptima, Emphaſis, eſt expreſſior denotatio, & ſignificatio, cum plus cogitandum relinquitur, quam uerbis exprimatur, cum altiorem ſententiam oratio præbet, quam uerba ipſa declarant: & denique cum ex dicto aliquid latens eruitur: cuius duæ ſunt partes. Vna cum plus ſignificatur, quam uerbis dicitur: ut, Cantando tu illum: tu ſcilicet indoctus, & imperitus. Virgilius loquens de ijs qui Troianum equum ingreſſi erant, emphatice dixit, Demiſſum lapſi per funem: Quibus uerbis equi magnitudinem demonſtrauit: imitatus Homerum qui, Graios in equo Troiano circumſediſſe cecinit. Altera, qua etiam id quod non dicitur, ſignificatur; & hoc, vel voce omnino ſuppreſſa, ut fecit Cicero pro Ligario, cum dixit, Quod ſi in tanta tua fortuna lenitas tanta nõ eßet, quam tu per te, inquam, obtines, intelligo quid loquar, ſubintelligi uoluit, Non deeſſent qui te ad crudelitatem impellerent: aut uoce abſciſa, idque per Apoſiopeſin. Cum itaque ex aliquo dicto aliud quippiam, quod ibi latebat, eruitur, ad hanc pertinet figuram. Ad- Li. 2. Aen. Hom. Odyſ. φ.

dunt

dunt aliqui, emphaſim fieri in quibuſdam tritis uocibus, ut ſi dicas, Fae ut te uirum pręſtes, & in pronominibus demonſtratiuis; ut, Ille ego qui quondam: hic eſt ille Propheta, qui in mundum uenturus eſt.

Caſſiod. *Decimaoctaua, Hyperenteſis, ideſt ſuperpoſitio, ſuperlatio, cum rem aliquam omnium opinione notam, ſententia noſtra ſuperare contẽdimus: ut, Aſcendit, & uolauit; uolauit ſuper pennas uentorum: lauabis me & ſuper niuem dealbabor: ſed uidetur eadem cum Hyperbole, de qua ſupra egimus, quam ad hunc ordinem uocares.*

Decimanona, Noema, Latine Cogitatio, & alluſio ad ſententiã, quam tecte ſignificamus, & eam auditori eruendam relinquimus: uel obſcurum dictum, alicui ſententię appoſitum: Vt cum Hortenſius dicebat, Se nunquam cum matre aut ſorore rediſſe in gratiam: quibus uerbis intelligendum reliquit, ſe nunquam cum illis habuiſſe diſſidium: Vnde oritur hæc ſententia, Malum eſſe inter proximos disſidium. Cicero in Ligariana, Nihil habet, nec fortuna maius, quam ut posſis, nec natura tua melius, quã ut uelis ſeruare quamplurimos: unde hæc oritur ſententia, Nihil eſt tam populare, quam bonitas. Et in Quintiana, Nam quominus ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparaui:

paraui: quæ quanta ſit, niſi tempus, et ſpatium datum ſit, intelligi non poteſt, ſententia; quę in his uerbis latitat, eſt, Diligentia eſt ingenij ſubſidium. Et pro Roſcio Amerino, Qui, ſcilicet nobiles, quãtum poſſent in ſalute alterius, quam in exitio mallent oſtendere: ſententia, Satius potentiam ſuam in ſalute alterius, quã in exitio oſtendere. Et Hieronymus, In mea inquit patria, ruſticitas uernacula, Deus uenter eſt, & in diem uiuitur, & ſanctior eſt ille, qui ditior eſt, Acceſsit huic patellæ iuxta tritum populi ſermone prouerbium, Dignum operculum, ideſt Prælatus ad improbos populi mores accommodatus. In Epiſ.

Vigeſima, Sermocinatio, græce Dialogiſmos cum quis ſecum diſputans, quid ſibi agẽdum ſit cogitat: fit etiam cum apta cuique perſonæ tribuitur oratio; ueluti ſeni, militi, uiro ſapienti: ſeu cum perſonam apte loquentem fingimus, aut introducimus. Vt ſi ſapientem ita ſecum uerba facientem fingeres, Non mihi ſoli, ſed etiam, & quidem multo magis, patriæ natus ſum, &c. Vel ſi aliquem ex antiquis patribus introduceres, qui miſeram noſtrorum temporum rationem, nobiſcum loquendo, deploraret. Hac figura ſæpe utuntur hiſtorici, comici, alijque poetæ dum perſonas loquentes faciunt.

Vigeſimaprima, Sẽtentia græce Gnome, generale,

nerale nimirum pronunciatum de moribus, aut de communi uita: quo, aut quid fiat, aut ſoleat, aut oporteat fieri uel expeti, uel uitari breuiter apteque, non ſigillatim, ſed uniuerſe demonſtratur. Sententiæ ueluti emblemata, ſeu gemmę, & ſtellæ, ſplendorem, dignitatem, iucunditatem, acrimoniam, auctoritatemq; orationi afferunt: de quibus late, cum de rerum copia agetur.

Vigeſimaſecunda, Diminutio & extenuatio, græce Tapinoſis, quæ amplificationi, & auxeſi eſt contraria: fit autem, cum perſonam noſtram, uel rem aliquam uenuſtatis, ſiue modeſtiæ, contemptuſue, aut etiam perſuadendi, & mitigandi gratia extenuamus. Quæ duplex eſt, altera uerborum, altera rerum. Verbo fit, cum extenuandi cauſa uerbo utimur diminutiuo; ut cum dicimus, ingeniolum, munuſculum, filiolus, fęmella, uel loco proprij uocabuli ſubſtituimus aliud lenius: ut cum hominem crudelem, appellamus ſeuerum: & ſęuum, iracundum: & aliquem leuiter eum attigiſse dicimus, quem grauiter uerberauit: ut, Vulnus in Pro Mil. *latere, quod acu punctum uideretur, pro ictu* Lib. 1. de orat. *gladiatoris putare. Item, Vlyſſes Ithacam illam ſuam aſperrimis ſaxulis, ueluti nidulum affixam immortalitati antepoſuit. Hęc loquendi forma ſpeciatim Hypocriſmos dicitur. Reſit,*

ſit, cum de rebus magnis loquentes tenuiori utimur ſermone, quam res ipſa poſcat: ut alibi planius docebitur. Valet hoc ſchema, primum ad arrogantiam uitandam, odiumque a nobis amoliendum, dum res noſtras eleuamus: deinde ad auerſarios eorumque res in contemptum ducendos. Poſtremo utimur diminutione ad aliquam rem difficilem ſuadendam. Valet itaque plurimum in demonſtratiuo, & iudiciali genere, atque adeo in omnibus cauſſis.

Vigeſimatertia, Litote, non liptote, Latine, ſimplicitas, tenuitas, quam aliqui a ſuperiore diſtinguunt; quæ ſit cum minus dicitur, & plus intelligitur: ut cum duplici negatione ſententiam facimus, Non ignoro, ideſt optime ſcio, non laudo, ideſt in te reprehendo, non me odit, ideſt ualde amat: munera tua non ſperno, hoc eſt, lubens accipio.

Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo,

id eſt, ualde placeat. Fit etiam interdum modeſtiæ cauſſa, ut quod eſt in nobis, uel in alio natura, aut ſtudio præclarũ imminuimus: ſi quid, ait Cicero, in me ingenij, iudices, quod ſentio quam ſit exiguum, &c. Et Virgilianus Corydon, Nec ſum adeo informis, &c. Noluit dicere ſe formæ dignitate excellere. Cæterum hanc cauſſam, & hæc duo exempla ad Tapinoſin referres,

ferres. Cum uero in alios diminutione utimur, oratio acerbitate & amarulentia careat, ne ſit odioſa. Et hęc eſt fortaſſe ea figura, quam Caſſiodorus Metriaſmon uocat, cum res magna mediocri relatione profertur.

De quibuſdam figuris, quæ definitionis deſcriptioniſque uim habent. Diſp. XXIIII.

Georg. Q*VAE in hac diſputatione explicandæ nobis ſunt figuræ, ad orationem ampliandam augendamque, ſicuti & ſuperiores, ac etiam ad eandem ſub oculos ponendam conferunt: quæ a locis definitionis & deſcriptionis ſumũtur; & ideo, aliæ definitiones, aliæ deſcriptiones nominantur: & omnes ad hæc duo capita reuocantur; quæ ſub ſe uarias habent partes, ut ſtatim docebitur.*

Definitio, quam Græci Oriſmon uocant, nihil aliud eſt, quam alicuius rei occultæ breuis patefactio & explicatio: cuius decem numerantur modi, quos nunc breuiter percurram. Primus, qui dicitur per dictionem; ut, dij gentium dęmonia, fari eſt loqui, fœnus, eſt morſus. Secundus per differentiam, cum rerum oſtenduntur diſcrimina; ut, ira eſt furor breuis, odium

Boet. in Top.Cic.

uero

uero inueteratum: Deus eſt uerax, homo autem mendax. Tertius per remotionem contrarij; ut, uirtus eſt uitium fugere; Deus eſt, qui nõ uult iniquitatem: Deus eſt Qui bonorum noſtrorum non eget. Huc pertinent definitiones quæ per negantia, & pugnantia dantur. Quartus, per defectum; ut homo eſt creatura Angelis paullo inferior, homo eſt paruus mundus. Quinctus per metaphoram; ut, occaſio eſt flos temporis, homo eſt bulla, Deus eſt ignis conſumẽs. Sextus, per analogiam, ſeu ſecundum rationem; ut, ſol eſt mundi oculus, ratio eſt anima legis, Princeps, eſt regni auriga. Septimus per laudationem, ſeu uituperationem; ut, Erat uir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, quibus uerbis per laudem deſcribitur Iobus. Octauus per exempla; ut ſi diceres, Animal eſt, ut equus, ſubſtantia eſt, ut Deus. Nonus per etymologiam; ut fides, qua fit id, quod dictum eſt; cura, quod cor urat. Decimus, per periphraſin, quæ a uarijs rebus ſumitur, & maxime a rerum affectibus & proprietatibus. Sunt qui dicant, non omnem definitionem eſſe ſchema, ſed eam tantum, quæ in uocabuli differentia quæritur, hoc modo, Non eſt iſta diligentia, ſed auaritia; quippe diligentia eſt accurata rerum ſuarum conſeruatio; auaritia uero iniurioſa rei alienæ appetitio: Non

Pſ. 5.&

Iob. 1

Cic. lib. 1 offic.

eſt

eſt iſte rex, ſed tyrannus, quod rex religionem ſeruat, ſubditorum mores emendat, & reip. tranquillitati omnibus modis conſulit: iſte uero ſuum curat, omnia ad ſuam utilitatem trãſfert, & nihil de religione eſt ſolicitus. Sed tamen omnes recenſitæ definiendi formæ, ueluti ſcintillæ quædam in oratione micant. Atque de definitione, eiuſque modis hactenus: nũc de deſcriptione.

Natal.lib. 1.c.23. *Deſcriptio uniuerſe ſumpta, eſt oratio in qua per collatas qualitates, ſiue per ea quæ accidunt rebus in unum congeſta, rerum ipſarũ formam quandam præſtituimus, & comparamus: uel cum Laertio, eſt oratio uim definitionis ſimplicius exprimens.* Lib.7. *Adhibentur in oratione deſcriptiones, tum ad ipſas res intelligentiæ cauſſa effingendas, tum ad orationes ornatus gratia dilatandas, ac proinde docent, atque delectant auditores: quarum uariæ ſunt formæ.*

Nicol. Bieſ. *Prima Hypotypoſis, latine Demonſtratio, notatio, illuſtratio, effictio, ſubiectio ſub oculos, rerum imitatio, illuſtris denique explana*- Cic. lib.3. de orat. *tio, qua ita res narrãntur, ut potius geri, quam dici uideantur: quę a locis ſignorum, circumſtãtiarumque ſumitur: qua res, perſona, loca, tẽpora, aut aliud quippiam deſcribitur; aut potius ſub oculos ponitur: unde a Græcis,*

Ener-

Energia, hoc eſt Euidentia, & perſpicuitas appellari ſolet. Hypotypoſis ergo, uniuerſe ſumpta, eſt illuſtris alicuius rei explanatio, atque ſub aſpectum ſubiectio. Cuius exempla paſſim apud Oratores, poetas, hiſtoricos leguntur: hic ſolum loca quædam legenda adſcribam, ne in afferendis exemplis ſim abſque neceſſitate longior. Cicero in Verrem, deſcribit uaſtatam Siciliam: imaginem captæ urbis: Virgilius apum reparationem, Ouidius mundi euerſionem, ſolis regiam, In diuinis literis admirabiles inuenies deſcriptiones, & præſertim in Prophetis, & Iobo. Confert hoc ſchema ad orationis perſpicuitatem, iucunditatẽ, & ad motum unde docendi, delectandi, & mouendi cauſſa adhibetur: cuius formæ hæ ſunt.

Ver. 6. 7. Lib. 4. Geor. Lib. 1. 2. Met.

Prima, Pragmatographia, rei ſeu facti alicuius deſcriptio, cum ſcilicet, id quod factum fuit, aut fit, aut factum, faciẽdumve fingimus, ita omnibus coloribus pingimus, ut iam auditorem lectoremve in theatrum traxiſſe uideamur: ut ſi prælium, naufragium, alluuionem excidiũ, ludos, uel aliquid ſimile per circumſtãtias, quæ rem oculis ſubijciant, copioſe ornateque exponas. Illuſtre exemplum uidere licet apud Chryſoſtomum in libro ſexto de Sacerdotio, ubi ſuam indignitatem ad epiſcopalem dignitatem demonſtrare contendit: ubi mirabili

quadam ratione terreſtrem, nanalemque exercitum ac pugnam deſcribit. Quo etiam loco duarum perſonarum elegantiſſimas effictiones facit.

Secunda, Proſopographia, ideſt perſonæ effictio, qua aliqua perſona uera uel ficta, ex corporis attributis & adiunctis deſcribitur: quomodo Lētulus epiſtola quadam elegāter Chriſti perſonam deſcripſit: exempla nonnulla afferam infra libro quarto, cum de rerum copia diſputabo. Huc referres deſcriptiones muſarum, furiarum, uirtutum, ſcientiarum: ut philoſophiæ apud Boethium, & patientiæ apud Tertullianum.

Niceph. li. I. c. 40.

Tertia, Characteriſmos, latine Deſignatio, figuratio, & notatio, cum ſpeciatim alicuius perſonæ ingenium, & mores deſcribimus: quomodo Cicero aliquando deſcripſit Gabinium, Vir uini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillo, grauibus oculis, fluentibus buccis, preſſa uoce, & temulenta. Et alio loco, Erant illi compt capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes ceruſſatæque buccæ dignę Capua, ſed illa uetere, &c. Et in decimatertia philippica, Ora uobis eorū P. C. ponite ante oculos, & maxime Antoniorum inceſſum, aſpectum, uultum, ſpiritum, latera, tangentes alios, ſequentes alios, alios prægradien-

In orat. poſt red. in ſen.

In Piſon.

dientes amicos, quem uini alitum? quas contumelias fore cenſetis, minaſque uerborum? Huc pertinere uidetur deſcriptio cogitationis alicuius.

Quarta, Somatopoeia, ideſt corporis fictio, cum rebus corpore carentibus tribuitur corpus: ut cum famæ, ſomno, inuidiæ, furijs, alijſque ſimilibus actus corporis tribuuntur. Vt Miſericordia & ueritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Caſſiod. Pſ. 84.

Quincta Idolopoeia, cum perſonæ iam defunctæ excitantur, & ad aliquid dicendum introducuntur: ut, fecit Cicero in Coeliana, cum Appium Coecũ ab inferis excitauit. Exiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſſimũ Coecus ille: minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non uidebit; qui profecto ſi extiterit, ſic aget, & ſic loquetur, Mulier quid tibi cum Coelio? quid cum, &c. Et in Corneliana, Exiſtat ergo ille uir, &c. Exempla multa tibi ſuppeditabit liber ſextus Aeneidos Virgilij.

Sexta Proſopopoeia, ideſt perſonæ fictio, cũ rebus mutis, ſenſuque carentibus ſensũ, et humanos affectus, ſermonemve conuenientẽ tribuimus: Vt, Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat, &c. Huc referres omnes Apologos.

Septima, Pathopoeia, ut vehementior affe-

Vir. lib.4. Aen. *ctuum & perturbationum expreſſio: ut in tragoedijs & in poemate heroico, grauiorique oratione fieri ſolet. Cuius duę ſunt partes: quarum altera indignatio, qua priuatim hi excitãtur affectus, Odium, inuidia, furor, metus, triſtitia, gaudium, & cupiditas. Altera commiſeratio, qua affectus ad ueniam commiſerationem, & maleuolentiam commouentur. De hac figura lege multa, quę ſcribit Macrobius.*

Lib.6.Sat. *Excitantur πάθη, hoc eſt affectus a uarijs locis; ut, ab ætate, a fortuna, a ſexu, a tempore, a cauſſa, a modo quo res fit, & alijs ſimilibus. Excitantur autem initio orationis ex abrupto, per exclamationem, per hyperbolen, addubitationem, apoſtrophen, repetitionem, & interrogationem. Pathetica oratio eſt hæc apud Virgilium.*

Aen.9. Hunc ego te Euryale aſpicio? tu ne ille ſenectæ
Sera meæ requies? potuiſti linquere ſolam
Crudelis? &c.

Catil.4. *Et apud Ciceronem, Habetis Conſulem ex plurimis periculis, & inſidijs, atque ex media morte non ad uitam ſuam, ſed ad ſalutem ueſtram reſeruatum. Et M. Antonius in oratione funebri in Cæſarem, quæ eſt apud Dionem, Vbi nunc tua clementia Cæſar? ubi tua maieſtas*

ſtas ſacroſancta? ubi leges? Tu quondam decreto ſanxiſti, ne quis occideretur ab inimicis te amici tui tam crudeliter interfecerunt: & nunc in foro iaces iugulatus: per quod forum ſæpe coronatus magna cum pompa tranſiuiſti: Tu in tribunal ſaucius proiectus es, e quo ſæpenumero conciones habuiſti. Heu crines canos ſanguine concretos. Heu ueſtem laceram, &c.

Octaua Ethopoeia, & Ethologia, hoc eſt morum & affectuum mitiorum deſcriptio, quæ græce, ἤθη dicuntur; ut in comoedÿs, dialogis, & in orationibus minus grauibus in confirmatione & epilogo fieri ſolet: uel morum expreſſio, cum alienæ perſona loquẽtis per fictionem mores & affectus per dialogiſmum exprimuntur. Affectus qui deſcribuntur, ſunt fere iſti, Manſuetudo, pudor, miſeratio, & fauor. Huius figuræ tres ſunt formæ: una longior, cũ latius mores & ingenia, artes, & uirtutes effinguntur: ut in comœdÿs fit: Altera, cum exprimuntur propenſiones, quæ a natura inſunt: vt amoris materni erga filios, coniugum erga maritos, & amicorum inter ſe: Tertia, qua deſcribuntur affectiones leniores, quæ nõ multum animum afficiunt: quo genere ad animos captandos, ac etiam interdum ad uituperandũ utimur: ut, cum regius Vates dixit, Quoniam non eſt in ore eorum ueritas, cor eorum uanũ Empor.

eſt. In affectibus deſcribendis, vt quidã prudenter adnotauit, habenda eſt ratio ætatis, fortunæ, aliarumque qualitatum, ſiquidem alia ratione ſuam homo iratus orationem inchoat, proſequitur, & terminat: alia qui timet, alia qui gaudet. Lętantis oratio eſt alacris, tumentis uana, breuis & conciſa properantis. Senis oratio ſit ſeria, grauis: pueri temeraria; paraſiti faceta, ruſtici incondita, Oratoris ornata: cum non parui referat, an is qui loquitur, ſit doctus, ignarus ue: fortis an timidus, Deus an homo. Quare, eius quę loquitur perſonæ Decorũ, quod in figuris aliqui numerant, diligenter ſeruandum erit: quod egregie regius uates fecit, cum hunc in modum cecinit, Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra uitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat. Vbi tanquam Imperator inuictiſſimus, iurando pulcherrime decorum ſeruat. Et alio loco, de cantatore ſine muſico loquens, mira quadam ratione loquentis perſonæ decorum ſeruauit, Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea: Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Et latinus poeta cum ruſticum hominem annos per menſes numerantẽ fecit.

Empor.

Pſal. 7.

Pſal. 136.

Eclog 1.

Poſt aliquot mea regna uidens mirabor ariſtas.

Nona

Nona Topographia, hoc eſt dilucida ueri loci deſcriptio: ut cum Cicero Segeſtam Siciliæ oppidum, Syracuſas, & Syracuſanas latomias deſcripſit. Hac itaque figura montes, urbes, arces, portus, horti, & id genus alia deſcribuntur. Huc pertinet Coſmographia, ideſt mundi, & Geographia ideſt terræ uera deſcriptio. Act. 6. & 8. in ver.

Decima, Topotheſia, ficti loci deſcriptio: cũ ſcilicet locus, qui nuſquam reperitur poeticè deſcribitur: quo modo Virgilius elegantiſſime portum quendam libro primo Aeneidos effinxit. Qua etiam ratione, Somni ſedes, Famis domum deſcribendo ob oculos poſuit Ouidius. Lib. 11. 12. Met.

Vndecima, Chronographia, hoc eſt, tẽporis deſcriptio, cum dies, nox, annus, uel aliqua horum temporum pars deſignatur: ut,

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos, Vir. eclog. 3.
Nunc frondent ſiluæ, nunc formoſiſsimus annus.

Duodecima, Genealogia, alicuius generationis deſcripta ſeries: qualis eſt apud Euangeliſtas liber generationis Chriſti domini: Idem enim apud Hebræos ualet, generationis liber, atque apud nos, genealogia. Et apud Virgiliũ, Pantal.

Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica,

Accipimus, Fauno Picus pater, ipſe parentem
Te Saturne refert.

Decimatertia, Catalogus, hoc eſt ſermo, quo numerus perſonarum, ſiue rerum deſignatur: ut eſt apud Homerum Odyſſeæ libro ſecundo: & apud Ouidium,

Tres ſumus imbelles numero, ſine uiribus, Vxor,
Laerteſque Senex, Telemachuſq; puer.

Atque hę ſunt figuræ, quas ad hunc ordinem reuocandas duximus. Quo loco illud admonuerim, in una & eadem oratione, narrationeve plures poſſe intercedere deſcriptiones; Vt ſi explicãdum eſſet prælium, deſcribetur tempus, locus, perſonæ, perſonarum habitus, ac etiam ipſe conflictus, & ſtrages.

De quibuſdam figuris ad orationis diſpoſitionem pertinentibus. Diſputatio XXV.

HAE loquẽdi formæ, quas hac diſputatione explicare uolumus, licet uim oĩno figuræ nõ habeant: tamẽ ad ornatum artificiumq; oratorium percipiendum explicandumque nonnihil conferunt: quamuis ex

his

his dicendi modis, nonnulli in figurarum nume ro a quibuſdam ponantur, Quæ ergo explican da occurrunt, hæc ſunt.

Tranſitio, græce, Metaſtaſis, & Metabaſis, Fabius Interfationem uocauit. Fit autē, Trāſitio cum ab una re iam explicata, uel proba ta ad aliam nos conferimus, quæ dicta ſunt paucis colligendo, & quę dicenda ſunt proponendo. Quę docendi ratio ad docilitatem, & memoriam multum confert, efficitque orationem coniunctam, & auditoris animum reficit, hoc modo. Satis multa de turpitudine: dicā deinceps quod propoſui, de periculo, &c. Item, quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitu dine pauca dicam, & Virg. Phil. 7. Pro lege Man.

Hactenus aruorum cultus, & ſidera cœli. Li. 2. Geo.
Nunc te Bacche canam, &c.

Eſt autem Tranſitio duplex, una perfecta, ut eſt illa, in qua tum quæ dicta ſunt, tum quæ di cenda reſtant attinguntur: altera imperfecta, in qua alterum e duobus præſtatur, hoc eſt, uel tantum dicta repetuntur, uel dicenda proponuntur. Tranſitionis octo a quibuſdam numerantur modi. Aliquando fit ab æquali; ut, quę diximus iucunda fuere, ſed non minus iucunda quæ dicenda reſtant. Ab inæquali, audiſtis grauiſſima, ſed grauiora reſtant. A ſimili, hæc perfidia deſignauit, eius generis ſunt & illa, Suſemb. Prat. li. 4. c. 10.

quæ

quæ nuper Romæ patraſſe dicitur. A contrario, ſed triſtibus omiſſis, reuertamur ad læta: hactenus quæ priuatim, nunc quæ publice dicam. A diuerſo, de moribus habetis, deinceps de doctrina dicamus. Quaſi per occupationem, Iam ad alia properabimus, ſi illud prius breuiter dixerimus. Per reprehenſionem, ſed cur hæc longius proſequor? Verum de his ſatis ſuperque. Denique a conſequentibus, ſiue relatis, habes quæ in illum contulerim beneficia, nunc quam retulerit gratiam audi: quid pollicitus ſit, expoſitum eſt, nunc quid præſtiterit, exponendum reſtat. Adhibentur priuatim tranſitiones ibi, ubi docilitas, beneuolentia, uel attentio inſtauranda eſt: ubi oratio plura habet capita, ut ſæpe in epiſtolis contingere ſolet, in quibus breuibus tranſitiũculis uti conſueuimus. In ſumma, non ſatis commode is docet, qui ſine ulla tranſitione Ariſtoteli familiariſſima, docet. Parecbaſis, latine Digreſſio, Egreſſio, Egreſſus, Excurſus, expatiandi genus; de qua integra diſputatione libro de oratoria Diſpoſitione egimus, cum non ſine ratione a cauſſa diſcedimus, ut aliquid aliud dicamus, quod nonnihil utilitatis cauſſæ affert. Adhibetur autem, aut laudandi, aut uituperandi, aut ornandi, aut delectandi, aut præparandi gratia. Fieri ſolet poſt rem narratã,

pro-

probatam, poſt tractationem rei minus iucundæ, cum auditor uidetur eſſe defeſſus, uerſus orationis finem, & denique interdum ponitur in principio. Sed cauendum eſt, ne ſit frequentior, nimis longa, & a cauſſa aliena. Plura de digreſſione uide in diſputatione citata: Epanodos, hoc eſt reditus, cum ex digreſſione ad inſtitutum, & ad id unde defluxit oratio reuertimur: vt, Sed, ut eo reuocetur, unde huc declinauit oratio. Qui reditus non debet eſſe durus, ac proinde in digreſſionis fine, talis adhibẽda eſt clauſula, quæ reditum ad id unde facta eſt excurſio, non obſcure ſignificet. Paraſceue, id eſt præparatio, quam in figuris numerauimus, quæ ad hanc claſſem referri poteſt, ut ad tractandi rationem methodumque pertinet; quæ fit, cum ad ea, quæ dicenda ſunt, uiam præmunimus. Præciſio, cum orationis filum abrumpimus, quando non eſt oratione longiore opus: aut, cum quæ dicenda reſtant, explicari non poſſunt, aut nõ debẽt; ut fecit Cicero, cũ Appio dixit, Pluribus verbis ad te ſcriberẽ, ſi aut tua humanitas, longiorem orationem expectaret, aut id fieri noſtra amicitia pateretur, &c. Protaſis, latine Propoſitio, qua uel orationis, uel argumentationis, uel ſimilitudinis primam partem proponimus: quæ in ſingulorũ locorum tractatione animaduertenda eſt: Li. 2. ora.

&

& Antapodoſis, Latine Redditio, cum altera argumentationis pars, minor nimirum propoſitio, uel id quod cōparatur, ſimili ſubijcitur: ut,

Vir. lib. 1. Aen. Ac ueluti magno in populo cum ſæpe co orta eſt.

Seditio, ſeuitq; animis ignobile uulgus.

Hæc eſt protaſis, quam hæc ſequitur poſtea red ditio:

Sic cunctus pelagi cecidit fragor, &c.

Exordium, orationis ſcilicet initium, in quo attentum, docilem beneuolumque facimus auditorem: quæ tria exordij munera, ut & ipſum exordium, interdum in ipſo orationis curſu innouantur: quorum innouatio, in bonorum auctorum ſcriptis legendis animaduertenda erit. Narratio, rei uidelicet geſtæ aut quaſi geſtæ expoſitio: præſertim, cum extrinſecus, non ex ipſa cauſſa, aliquid narrandum adſumitur. In epiſtola decimaquarta, libri octaui, apud Ciceronem, plures animaduerteres narrationes. Partitio, cum rei explicandæ capita quædam diſtincte proponimus, quæ poſtea proſequimur: ut in Catone maiore fecit Tullius. Etenim, quātum complector animo, quattuor caußas reperio, cur ſenectus miſera uideatur: Vnam quod auocet a rebus gerendis: alteram, quod corpus faciat infirmum: tertiam quod priuet omnibus fere uoluptatibus: quartam

quod

quod haud procul abſit a morte. Confirmatio, & confutatio cũ quæ propoſita, ſunt argumentis firmantur, aut infirmantur. Confutationẽ aggreditur Cicero loco citato, cum ait. A rebus gerendis ſenectus abſtrahit; quibus?

Clauſula, quæ eſt rei probatæ narratæ ue terminus ſiue concluſio: ut ſimus igitur ea mẽte, quam ratio & uirtus præſcribit: ut nihil in uita nobis præſtandum præter culpam putemus. Epilogus ſiue Anacephaleoſis, breuis eſt dictorũ collectio. Concluſio eſt, totius orationis terminus, qui uarius eſſe ſolet: aliquando enim concludimus per dictorũ collectionem, aliquando per petitionẽ, aliquãdo per narrationẽ, aliquando per hortationem, aliquando per acclamationem, gratiarum actionem, & deniq; per multos alios modos, quos proſequi nil eſt neceſſe. Verum epilogi, clauſulæ, & concluſionis nomina interdum confunduntur, & pro eodẽ accipiuntur. Prolepſis quæ fit, ut Diomedes ait, cum id quod poſterius geſtum eſt, prius eſſe, uel factum fuiße narratur: ut cum Virgilius de aduentu Aeneæ ad Italiæ oras dixit, Lauinaque uenit litora. Nondum enim Lauinium erat, quod poſtea ab Aenea exædificatum fuit: & alio loco, Portus require Velinos, Quod nomen, a Velia in Lucanis nondum exſtructa; hic portus, eo tempore quo Aeneas in Ita-

Cic.epiſt. 1.lib.6.

Aen.lib.1.

Lib.6.

Italiam uenit, accepiſſe non potuit. Et hæc ſunt, quæ in propoſita diſputatione, & in tota hac parte, in qua de rhetoricis ornamentis diſſeruimus, nobis dicenda erant: nunc ad aliam partem ſtylum conuertamus.

De figuris Grammaticis, & Metaplaſmis uniuerſe. Diſput. XXVI.

IN hac alia huius libri parte, in qua de Grammaticis figuris nos acturos eſſe polliciti ſumus, ea ſeſe primum explicanda offert dubitatio, ſint ne ullæ in Grammatica figuræ; de qua re uiri non indocti nonnihil ſcribere ſolent: quorum, qui affirmantem opinionem ſequerentur, his poſſent inniti rationibus.

Primo, hæc figuræ definitio, quam omnes tradunt & approbant, Figura eſt quædam dicendi forma arte nouata, a communi conſuetudine remota, conuenit etiam ijs figuris, quas Grammatici in Latino ſermone obſeruant, ueluti Metaplaſmis, & alijs conſtructionis formis a communi uſu remotis: igitur. Deinde, in oratione latina Grammatici notant uitia quædam: igitur & uirtutes; quæ profecto figuræ nominandæ erunt, cum figura ſit nouata cum uirtute dicendi ratio. Denique, qui aliter ſentiunt,

ſtunt, ſine ullâ firma ratione cõtra rem iamdiu approbatam diſputant, & communi Grammaticorum doctrina reluctantur: nullo igitur pacto audiendi erunt. Qui uero contrariam defenderent ſententiam, has poſſent pro ſe afferre rationes.

Primum, loquendi modi, quos Grammatici tanquam figuras notant, & exponunt, ſunt exceptiones quædam canonum, quos de congrue loquendo uniuerſe tradunt, quod ſane negari non poteſt: igitur grauiſſimum figuræ nomen nullo modo merentur. Deinde, ſi Grammaticorum priuati loquendi modi ſunt figuræ, aut ſunt tropi, aut ſchemata orationis, aut ſententiarum: non tropi, quia nihil uertunt: non figuræ ſermonis, quia nullam habent in uocibus feſtiuitatem aut concinnitatem: non ſentẽtiarum, quia nullum ſenſum, animiue habitum explicant: igitur in figurarum numerum non uenient.

In hac difficultate duas inuenio auctorum ſententias: alteram communem omnium, qui de re Grammatica ſcripſerunt, qui quaſdam in oratione latina adnotarunt figuras, & proinde ſermonem in rectum & figuratum diuiſerunt. Quare, cum ſit communis eorum ſententia, nihil eſt cur aliquos ſpeciatim citem. Alteram quorũdam Rhetorum, qui negant ullas eſ- Fab. l. 9. c. 3. Claud. Min.

ſent

ſent proprie loquẽdo, in grammaticis figuris:
Rober. quare eos loquendi modos, quos Grammatici, tanquam figuras notarunt, regulas ſingulares emendationis, aut puritatis uocant. Rurſus
Claud. damnant eos, qui dum de rhetoricis agunt figuris, etiam grammaticas exponunt, cum non ſint uerę figuræ, aut ſaltem ad eos earum tractatio non pertineat. Nos quid in hac difficultate ſentiendum ſit, paucis aperiemus: & primum quidem de grammaticis figuris aliquid uniuerſe docebimus: poſtea earum explicationem aggrediemur, de quibus hac methodo agemus: primo loco de metaplaſmis, ſecundo de figuris conſtructionis, tertio de hyperbatis, & poſtremo de uitijs: & primum de barbaro, tum de obſcuro, & poſtremo de inornato dicendi genere.

Prima poſitio, ſi ullę ſunt grammaticæ figuræ, illæ erunt a rhetoricis diſtinctæ. Nam ſubiecta his duabus artibus materia eſt diuerſa, ſermo nimirum congruus, & ſermo ornatus: quare, ſi in utroque nouatæ dicendi formæ notantur, illæ erunt inter ſe diſtinctę grammaticę ad congruentiam ſermonis, rhetoricę ad elocutionem & ornatum, referende erunt.

Secunda poſitio, ſi figuræ nomen ſumatur proprie, pro ea locutione, qua animi ſentẽtia aliquo habitu, geſtuve orationis arte nouato ex-

exprimitur, loquendi modi, quos notant Grãmatici, non ſunt in figuris numerandi. Hanc doctrinam confirmant duæ rationes ſuperius allatæ pro ſecunda opinione. Et ſane, cum figuræ, proprie loquendo, ſint quædam orationis ornamenta & lumina, quę congruæ orationi, quam Grammatici conſiderant, ſupperadduntur, illi loquendi modi, quos pręter communes regulas obſeruarunt Grammatici, non uidentur figuræ nomine dignandi.

Tertia poſitio, ſi figura ſumatur pro certa quadam ratione loquendi, a trita congrui ſermonis forma aliquo pacto diuerſa, nihil eſt, cur Grammaticis ſuę negentur figuræ. Hanc poſitionem confirmant rationes illæ, quas pro priore ſententia attulimus. Quare, cum aliquã dictionem præter communem conſuetudinem immutatam uidemus, aut in oratione aliquid ad plenam & rectam constructionem præter conſuetudinem, aut omiſſum, aut mutatum obſeruamus, ibi aliquam figuratam locutionem agnoſcere licebit.

Quarta poſitio, Grammatica figura, eſt forma loquendi ad ſermonis congruitatem pertinens, a communi conſuetudine remota. Cum itaque in bonis approbatiſque ſcriptoribus aliquid ita dictum inuenies, quod contra communes Grammaticæ canones ſit, illud non in- Eman.

uitiјs, ueluti in barbariſmo, & ſoloeciſmo, ſed in figuratis locutionibus ponendum erit, ut aliquando recte admonuit Euſtratius. Et licet hi loquendi modi aliqua ratione nitantur, ut Fabius ſcribit; tamen id non eſt ſemper neceſſarium, cum interdum pro ratione ſit ſola uoluntas, et loquendi conſuetudo: ut: cum Cicero non uno in loco, id ætatis dixit, qui modus loquendi, ut ex Budęo diſcimus, non eſt Helleniſmus, ut quidam putarunt.

In Odyſſ. λ

Quincta poſitio, duo ſunt apud Grammaticos figurarum genera: unum ſingulorum uerborum, alterum coniunctorum, ſiue collocatorum. Prioris generis configurationes, dictionũ nominum, & uerborum affectiones dicuntur: poſterioris uero, ſchemata orationis, & Syntactica: Illæ enim in uerbis, ſeu dictionibus, hæc uero in uerborum continuatione & contextu ſunt. Rurſus, prioris generis figuræ in uerſu, Metaplaſmi, & Paraſchematiſmi, hoc eſt transformationes, quod uerba ſimplicia a ſua forma deflectant, & in aliam immutent: in oratione uero ſoluta, Barbariſmi, ſi temere & ignoranter fiant, nominantur: poſterioris uero ſi temeritate & ignoratione uſurpentur, Soloeciſmi nuncupantur: illæ priuatim poeticæ, hæ grammaticæ dicuntur.

Sexta poſitio, Poetis in magno opere, prę-

ſer-

ſertim cum neceſſitas poſtulat, Metaplaſmis, hoc eſt, transformationibus, ſiue dictionibus transfiguratis uti licet: at uero Oratoribus, quorum oratio eſt magis libera, non niſi raro. Communis eſt pręceptio, & diligenter obſeruanda, ne dum a communi loquendi uſu, ſine neceſſitate receditur, ob ignorantiam magis peccare, quam ob auctoritatem, figurate loqui uideamur.

Septima poſitio, Metaplaſmus eſt literarũ uel ſyllabarum unius dictionis contra communem loquendi rationem neceſſitatis, aut ornatus gratia immutatio. Quare, duplex eſt Metaplaſmus, alter in literis, & uocatur Metaplaſmus orthographiæ: alter in ſyllaba, & dicitur proſodiæ: & ita, Metaplaſmi ſchemata, ſunt uel Orthographica, uel Proſodica, quæ in ſyllabæ quantitate ſpectantur.

Octaua poſitio, ex Ariſtotelis ſententia Metaplaſmi tribus fiunt modis; additione, detractione, & immutatione, additur alius modus per tranſpoſitionem. In additione, & detractione, quæ poteſt fieri in principio, medio, & fine, ſpectatur quantitas, in tranſpoſitione & immutatione qualitas.

Nona poſitio, Metaplaſmi ſunt numero quatuordecim: qui in tres diſtribuuntur ordines. In primo continentur illi, in quibus litera,

uel ſyllaba redundat: In ſecundo alij ſuperioribus contrarij in quib us litera, uel ſyllaba abijcitur: In tertio ponuntur alij in quibus qualitas aliquo pacto mutatur. Rurſus, alij Metaplaſmi pertinent ad ſimplicem locutionem, alij uero ad proſodiam: de quibus ſequenti diſputatione agemus.

Decima poſitio, non ſunt reprehendendi illi dicendi Magiſtri, qui cum de ornamentis rhetoricis ſcribunt, etiam de grammaticis & poeticis figuris agunt. Hoc dixerim contra quoſdã Criticos, qui ſine ulla firma ratione multorum ſcriptorum conſuetudinem damnant. Primũ, quia non eſt alienum ab officio optimi artificis interdum ex aliqua re ſumpta occaſione, id attingere, quod ad aliam artem, ex profeſſo, pertinet, pertractare: quomodo Logicus decem rerum naturas, quæ uulgo prædicamenta uocantur, exponit: & Ariſtoteles in phyſicis, nõ uno Lib. 1. *in loco tanquam Metaphyſicus diſſeruit: idq; maxime quando aliquæ artes ſunt inter ſe affines, & in communi conueniunt materia, ut ſunt Grammatica & Rhetorica: Deinde, quia de quibuſdã figuris dubitari poteſt, an ad Grãmaticum, an uero ad Rhetorem pertineant, cũ multæ a multis in uno, ab alijs in altero reponantur ordine: ideo melius faciunt, qui omnes unica tractatione cõplectuntur, ne quas omiſiſ-*

ſe uideantur. Denique, qui de rhetorica ſcribit ideo debet grammaticas figuras attingere, ut earum uſum in eleganti & ornata oratione demonſtret, & ut elocutionis uirtutes, & uitia melius ob oculos ponat; & denique ut expoliẽdę & dilatandæ orationis uim aperiat. Quidquid ergo aliqui ſcriptores minoris auctoritatis exiſtimauerint, nos, ne hic primus liber, in quo priuatim de figuris elocutionis egimus, imperfectus uideatur, in hac poſtrema parte, de Grammaticis figuris, agemus. Et cum argumẽta initio allata eam probent doctrinam, quam tradidimus, nobis ſoluenda non ſunt: ad rem igitur propoſitam aggrediamur. Claud.

Explicantur omnes Metaplaſmi modi. Diſputatio XXVII.

EXPOSITIS ijs, quæ de grãmaticis figuris uniuerſe dicenda eſſe duximus, nunc analyticam methodum ſequentes, de Metaplaſmis, qui in literis & ſyllabis ſpectantur, priore loco, omnes ordines percurrendo, agemus: Quorum ſingulos breuiter numerando definiemus, & uno uel altero exemplo illuſtrabimus.

Proſtheſis, latine Appoſitio, quæ eſt literę,

in principio dictionis adiectio. Litera quæ addi tur apud Latinos eſt conſonans; ut gnata, gnarus, gnauus, gnauiter, quibus uocabulis additur, G, quod retinent etiam in compoſitis. Comici poetæ pluribus dictionibus addũt aliquid in initio: dicunt enim, Stlatum, Stlites, pro latum, lites. Apud Græcos fit etiam per additionem uocalis, quæ uel ſyllabam per ſe facit, uel non facit, ut in diphthongo. Huc pertinet Anadiploſis, latine Geminatio, quæ eſt primarum, aut ſecundarum ſyllabarum per eaſdem conſonantes, aut cognatas repetitio: ut, tetuliſſem, tetuli, pro tuliſſem, tuli: ingreditur, pro graditur, & adiuro, pro iuro apud poetas. Oratores etiam dicunt, momordi, cucurri. Verum plerique Grammatici hanc eodem nomine, quo ſuperiorem appellant, & ab ea non diſtinguunt. Epentheſis, latine Interpoſitio, eſt literæ, uel ſyllabæ in medio uerbi, id eſt inter primam, & ultimam ſyllabam adiectio. Litera quæ adijcitur, uel eſt uocalis, ut fideij, reij, pro fidei, rei, Lucr. *Troiugena pro Troigena, omneis, pro omnes, & hanc Græci, Parentheſin, ideſt interclusionem uocant: uel conſonans geminata, quæ ſyllabam nõ abſoluit; ut, relligio, relliquias apud Virgilium, rettulit apud Ouidium, &, ut Fabius ſcribit, olim geminabant etiam, S, ut in cauſſa, diuiſſio; quę Duplicatio dicitur. Apud*

Græ-

Græcos ſit etiam geminatio per conſonantem diuerſam, quam Paremptoſin uocant, Syllabæ uero interpoſitionem Epectaſin: ut, Mauortis, pro Martis, alituum, pro alitum apud Virgilium: Cinctutis, pro Cinctis apud Horatium, Induperator, pro Imperator apud Iuuenalem, nauita, pro nauta apud Propertium, & Indupedita, & indugredi apud Lucanum. Paragoge, latine Deductio, quę & Paralepſis dicitur, eſt alicuius literæ, uel ſyllabæ ad dictionis finem adiunctio; ut, hoſtis pro hoſti, & poteſtur, pro poteſt, apud Plautum: dicier, apud Perſiũ, ueſtirier apud Prudentium. Atque hi ſunt Metaplaſmi quibus aliquid additur: ſequuntur alij his contrarij, per quos aliquid demitur. Aphæreſis, latine Ablatio, quæ eſt literæ uel ſyllabæ in principio dictionis amputatio: literę, ut, mittit, mitto, pro emittit, & omitto, apud Plautum, & apud Virgilium, Ruet omnia late, pro, eruet: ſyllabæ, quam amputationem Græci, arſin uocant; ut, Pone metũ, pro, depone: linquere, pro relinquere: temnere, pro contemnere, & Plautus, Spicis pro conſpicis. Interdum aufertur uocalis, quæ nullam ſyllabam conficit; ut apud Lucilium, Pretor, pro prętor: & apud Perſium erumna, pro ærumna: quam gręci Ellipſin, & hyphęreſin uocãt: Conſonantis uero duplicatæ abiectionem, Pa-

rellepſin, ideſt prætermiſſionem appellant: ut, Porſena, pro Porſenna: conſonantis uero, quę nullam facit ſyllabam remotionem Hypoſtalen, ideſt ſubtractionem: ut aſtruo, pro adſtruo, aſto, pro adſto. Syncope, latine Conciſio, eſt literæ, uel ſyllabę e medio dictionis abiectio: ut uocalis conſtituentis ſyllabam, ſeclorum, pro ſeculorum: repoſtum, pro repoſitum, apud Virgilium: ſyllabæ, acceſtis, pro acceſſiſtis; porgite pro porrigite. Quare apud latinos ſyncope fit, uel in nominibus, ut uincla, pocla, oracla, caldior, puertiæ: uel in uerbis, ut decrerat, ſurpuerat: uel in participijs, ut repoſtum, compoſtum. Apocope, latine Amputatio, eſt literæ uel ſyllabæ in fine dictionis abiectio: ut literę
Ecl. 1. *uocalis apud Virgilium, peculi, pro peculij: metu, pro metui: aſpectu, pro aſpectui: conſonantis, mage, pro magis: Syllabæ, Hymen, pro*
Lib. 3. *Hymenæus apud Ouidium: famul, pro famulus, apud Lucretium. Atque hæc de metaplaſmis qui in quantitate ſpectantur: nunc de illis qui in qualitate cernũtur. Metatheſis, latine tranſmutatio & tranſlatio, eſt literarũ, uel ſyllabarum in ſingulis uerbis tranſpoſitio: literę, Euandre, pro Euander, Tymbre, pro Tymber: Syllabæ, apud Terentium, I prę, ſequar, pro pręi. Apud Græcos eſt etiam toni, ſiue accentus tranſpoſitio. Antitheſis, aptius Antiſtoe-*

tiſtoechon, Eſt literæ pro litera, uel Syllabę pro Syllaba poſitio: ut, optumus pro optimus, impete pro impetu, olli pro illi, upilio pro opilio, apud Virg. Sunt tamen qui dicant eſſe archaiſmon, ideſt antiquam locutionem. Qui nũc ſequuntur metaplaſmi, pertinent ad ſchemata proſodica, quę in uerſuum ſcanſione adhiberi ſolent. Digreſis ſeu Die'zeuxis, latine diuiſio, diſiunctio, eſt unius ſyllabæ, hoc eſt diphthongi in duas ſyllabas diductio: ut, animai pro animę: aquai, pro aquę apud Lucretiũ: terrai, frugiferai, apud Martialem: perſoluenda, apud Ouidium, euoluant: ſed hi duo modi poſteriores, ſola carminis ratione deprehendũtur: hanc figuram quidam Dialyſin uocant. Syngreſis, latine Contractio, cum duæ ſyllabę in unam contrahuntur: huc etiam pertinet Craſis, ut æripidem ceruam, apud Virg. pro aeripedem: Et apud Ouidium. Aen. I. Rober.

Sint Mecoenates, non derunt Flacce Marones;
Virgiliumq; tibi, uel tua rura dabunt.

Derunt, pro deerunt: aluaria, pro aluearia: aluo, pro alueo: eburno, pro eburneo. Huc pertinent contracta nõmina, bini, bellum, tibicem, pro diuni, duellium, tibycen: & uerba, ſit, audit, ſultis, capſis, pro ſiet, audijt, ſi uultis, cape ſi uis. Diaſtole ſiue Ectaſis, latine Extenſio,

quæ

quæ eſt ſyllabę natura breuis,aut ancipitis productio:Vt,Italiam fato profugus:cum, Italia primam habeat longam. Exercet Diana choros:ubi,Di, producitur: Et Ouidius,dixit, dederitis,longe. Syſtole, latine Correptio,cũ ſyllaba longa neceſſitate cogente contrahitur:ut,

Proper. Nec ſi poſt Stygias aliquid reſtabit ærumnas.

æ,corripitur. Duo numerati Metaplaſmi ſchemata chroni,hoc eſt,temporis uocantur. Synalephe,latine Deletio,quæ eſt dictionum per uocales concurrentium conglutinatio,uel uocalis ob ſequentem uocalem remotio: ut,

Ill'ego qui quondam gracili modulatus auena.

Idem fit in fine carminis ob uocalem ſequentem initio alterius verſus:ut,

Aerea cui gradibus ſurgebant limina,ne
Aen. 1. xæque
Aere trabes.

Huiuſmodi uerſus hypermetri nominantur. Aliquando prior uocalis non eliditur, ſed corripitur,cum ſit longa:ut,

Et lõgum formoſe uale,uale inquit Iola.

Oratores latini hac figura non utuntur, Graci uero in pronunciando maxime, & apoſtropho deſignant: qua nota ab apocope diſcernitur. Ecthlipſis,latine,Eliſio,eſt conſonãtis alicuius

cum

cum uocali priore in dimenſione uerſuum ſuppreſſio: uocales autem quæ ſupprimuntur, ſunt M, & S: ut,

Non equid' inuideo; miror magis, &c.

In hoc uero exẽplo quod ſubijciam tollitur S, ob ſequentem uocalem:

Aut uoiū foet' aut urentes culta capellas. Virg.

pro fœtus. Interdum etiam ſi non ſequatur uocalis; & aliquando S, ſolum manente præcedente uocali: ut apud Lucretium;

Multi' modis agitatur, & omnes accipit
in ſe
Lætitiæ motus.

Et Lucilius Satyricus poeta apud Ciceronem in contumeliam Samnitium: Tuſ. 2.

Samnis ſpurcus homo, uita illa dignu'
locoque

Quamuis autem Metaplaſmi potiſſimum metri cauſſa uſurpentur a Poetis: tamen Euphoniæ gratia etiam in pedeſtri oratione adhibentur, de qnibus ea lege, quæ Cicero in Oratore perfecto, ſcripta nobis reliquit. Et quidem frequentiores ſunt apud Græcos ſcriptores, quam apud Latinos, qui pauciores habent uerborum transformationes, quam illi habeant, de quibus aliqui Grammatici copioſe egerunt. Nos his omiſſis, ad ſchemata Syntactica, ſeu conſtructionis tranſitum faciamus. Laſcar. Theod. Gar. Eryth.

De

De figuris Grammaticis, ad conſtructionem pertinentibus. Diſp. XXVIII.

DE ſecundo grammaticorum ſchematum genere diſputaturus, primum de eo aliquid vniuerſe ſtatuam: deinde ſingulas figuras breuiter, vt noſtrum inſtitutum requirit, explanabo: quod igitur ad primum attinet, has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, eam Grammaticæ partem quam Græci ſyntaxim vocant, noſtri Conſtructionem, Cicero conſecutionem appellauit: quæ nihil aliud eſt, quam partium orationis, hoc eſt ſingulorum verborum in eorum accidentibus, ſiue adiunctis apta coniunctio, atq; ſtructura. Ars itaq; conſecutionis eſt ratio ac uia collocandorum uerborum, vt ex eis congrua conficiatur oratio: Contra quam qui peccant, in ſolæciſmum incidunt. Secunda poſitio, texendæ ſeu conſtruendæ orationis ratio duplex eſt: altera recta, omninoque ſimplex, de qua latiſſime Grammatici præcepta tradunt: altera figurata, quæ ab illis regulis ac præceptionibus non nihil recedit, ac diſcrepat: unde nouæ formæ, & quaſi figuræ locutionum naſcuntur, de quibus

bus deinceps diſputaturi ſumus. Tertia poſitio, ſchema conſtructionis eſt conformatio, quædam, ſiue immutatio propoſitę regulæ arte aliqua, & certis de cauſſis uſitata: Vel eſt figurata conſtructio cui aliquid deeſt, uel redundat, uel ſuo loco abeſt, uel immutatum eſt, non tamen ſine linguę Romanę peritorum exemplo. Cauſſæ autem cur hæ figuræ fiunt, hæ numerantur: perſpicuitas, breuitas, ornatus, illuſtratiove, concinnitas ſiue ſuauitas, ac neceſſitas. Quarta poſitio, conſtructionis figuræ duobus modis fiunt; primo quantitate, defectu ſcilicet, cum aliquid ex proximo, vel deforis petimus, & exceſſu. Secundo qualitate, hoc eſt, immutatione, tum uerborum, tum ordinis. Alij conſtructionis figuras trium generum eſſe a unt: Iac. lędes *aliæ fiunt detractione defectuue alicuius dictionis, ut Zeugma: aliæ additione dictionis;* Prut. li.4. *ut Pleonaſmus: aliæ denique mutatione, uel* c.8. *ordinis, uel cum una dictio ponitur pro alia.*

Prima poſitio, Zeugma latine Adiunctio & coniunctio, duplex eſt, altera oratoria, cum uerbũ uel adiectiuum ita pluribus ſubſtantiuis ꝛnitur, ut omnibus cõueniat; ut, uincit pudorẽ libido, timorẽ audacia, rationẽ amẽtia: altera grammatica, in qua conſequens uni tantum

par-

parti & [illegible] præſtantiori conuenire poteſt. Præſtat autem genus maſculinum fœminino, & neutrum, quo etiam femininum eſt præſtantius: & numerus pluralis ſingulari: perſona prima ſecunda & tertia, quam etiam ſecunda antecedit: & caſus recti obliquis. Secunda poſitio, in Adiunctione duæ ſpectantur partes, una quæ dicitur antecedens, duorum ſcilicet, aut plurium ſubſtantiuorum, ſed tamen diuerſorũ copulatio, quæ fit per coniunctiones, uel aduerbia [illegible] quæ conſequens uocatur, & eſt ipſum uerbum, uel adiectiuum cum propinquiore ſubſtantiuo conueniens. Tertia poſitio, Zeugma eſt unius uerbi, aut ſubſtantiui proprie ſubſtantiuo reſpondentis, ad plura atq; diuerſa accommodatio: ut,

——Sunt nobis mitia poma,

Vir. Eclo. Caſtaneæ molles & preſsi copia lactis.

Hic uerbum, ſunt, quod concordat cum poma, [illegible] etiam, in copia lactis. Quarta poſitio, huius figuræ ſeptem ſunt formæ: quattuor conſideratione antecedentis, cum ſubſtantiua aut genere, aut numero, aut perſona, aut caſu diuerſa coniunguntur; tres ratione conſequentis, cum uerbum uel adiectiuum ponitur in principio locutionis, aut interponitur, aut in poſtrema parte collocatur: primus protezeugma, ſecundus meſozeugma, tertius hype-

zeugma

zeugma nominatur: quarum formarum, per ſingulas percurrendo, unum ſubijciam exemplum. Zeugma generis; utinã, aut hic ſurdus, aut hęc muta facta ſit. Numeri, ſemper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt. Perſonarum, ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra rep. percontatus eſt, Aliquando eſt Adiunctio in numero & perſona ſimul: ut miro me deſiderio urbs afficit, & omnes mei, tuque in primis. Caſus, Ter. Virg. Cic.

Tu quoq; cum Druſo præmia fratre feres

Fit etiam caſus Adiunctio in clauſulis, quæ per relatiua uocabula connectuntur; cum id quod repetitur, in diuerſo caſu repetitur: vt, Arma uirumque, cano, Troiæ, qui primus ab oris, Italiam uenit. Eſt & alia Adiunctio temporum; ut heri ueni in Cumanum, cras ad te fortaßе: alia modorum, ut uideo, quos uolebã, ſcilicet uidere. Exemplum protozeugmatis, Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque uolucres. Meſozeugmatis, Caper tibi ſaluus & hædi. Hypozeugmatis, Hic illius arma, hic currus fuit. Et de Adiunctione hactenus: nunc de ſyllepſi ſecunda conſtructionis figura agamus: de qua has ſtatuo poſitiones. Ouid.

Prima poſitio, ſyllepſis, latine comprehenſio, eſt coniunctio duorum, pluriumue ſubſtantiuorum, quibus adiectiuum aut uerbum addi

uel ſyllaba redundat: In ſecundo alij ſuperioribus contrarij in quibus litera, uel ſyllaba abijcitur: In tertio ponuntur alij in quibus qualitas aliquo pacto mutatur. Rurſus, alij Metaplaſmi pertinent ad ſimplicem locutionem, alij uero ad proſodiam: de quibus ſequenti diſputatione agemus.

Decima poſitio, non ſunt reprehendendi illi dicendi Magiſtri, qui cum de ornamentis rhetoricis ſcribunt, etiam de grammaticis & poeticis figuris agunt. Hoc dixerim contra quoſdã Criticos, qui ſine ulla firma ratione multorum ſcriptorum conſuetudinem damnant. Primũ, quia non eſt alienum ab officio optimi artificis interdum ex aliqua re ſumpta occaſione, id attingere, quod ad aliam artem, ex profeſſo, pertinet, pertractare: quomodo Logicus decem rerum naturas, quæ uulgo prædicamenta uocantur, exponit: & Ariſtoteles in phyſicis, nõ uno in loco tanquam Metaphyſicus diſſeruit: idq; maxime quando aliquæ artes ſunt inter ſe affines, & in communi conueniunt materia, ut ſunt Grammatica & Rhetorica: Deinde, quia de quibuſdã figuris dubitari poteſt, an ad Grãmaticum, an uero ad Rhetorem pertineant, cũ multæ a multis in uno, ab alijs in altero reponantur ordine: ideo melius faciunt, qui omnes unica tractatione cõplectuntur, ne quas omiſiſ- Lib. 1.

ſe uideantur. Denique, qui de rhetorica ſcribit, ideo debet grammaticas figuras attingere, ut earum uſum in eleganti & ornata oratione demonſtret, & ut elocutionis uirtutes, & uitia melius ob oculos ponat; & denique ut expoliēdę & dilatandæ orationis uim aperiat. Quidquid ergo aliqui ſcriptores minoris auctoritatis exiſtimauerint, nos, ne hic primus liber, in quo priuatim de figuris elocutionis egimus, imperfectus uideatur, in hac poſtrema parte, de Grammaticis figuris, agemus. Et cum argumēta initio allata eam probent doctrinam, quam tradidimus, nobis ſoluenda non ſunt: ad rem igitur propoſitam aggrediamur. Claud.

Explicantur omnes Metaplaſmi modi. Diſputatio XXVII.

EXPOSITIS ijs, quæ de grãmaticis figuris uniuerſe dicenda eſſe duximus, nunc analyticam methodum ſequentes, de Metaplaſmis, qui in literis & ſyllabis ſpectantur, priore loco, omnes ordines percurrendo, agemus: Quorum ſingulos breuiter numerando definiemus, & uno uel altero exemplo illuſtrabimus.

Proſtheſis, latine Appoſitio, quæ eſt literę,

in principio dictionis adiectio. Litera quæ additur apud Latinos eſt conſonans; ut gnata, gnarus, gnauus, gnauiter, quibus uocabulis additur, G, quod retinent etiam in compoſitis. Comici poetæ pluribus dictionibus addũt aliquid in initio: dicunt enim, Stlatum, Stlites, pro latum, lites. Apud Græcos fit etiam per additionem uocalis, quæ uel ſyllabam per ſe facit, uel non facit, ut in diphthongo. Huc pertinet Anadiploſis, latine Geminatio, quæ eſt primarum, aut ſecundarum ſyllabarum per eaſdem conſonantes, aut cognatas repetitio: ut, tetuliſſem, tetuli, pro tuliſſem, tuli: ingreditur, pro graditur, & adiuro, pro iuro apud poetas. Oratores etiam dicunt, momordi, cucurri. Verum plerique Grammatici hanc eodem nomine, quo ſuperiorem appellant, & ab ea non diſtinguunt. Epentheſis, latine Interpoſitio, eſt literæ, uel ſyllabæ in medio uerbi, id eſt inter primam, & ultimam ſyllabam adiectio. Litera quæ adijcitur, uel eſt uocalis, ut fideij, reij, pro fidei, rei, Troiugena pro Troigena, omneis, pro omnes, & hanc Græci, Parentheſin, ideſt interclusionem uocant: uel conſonans geminata, quæ ſyllabam nõ abſoluit; ut, relligio, relliquias apud Virgilium, rettulit apud Ouidium, &, ut Fabius ſcribit, olim geminabant etiam, S, ut in cauſſa, diuiſſio; quę Duplicatio dicitur. Apud

Lucr.

Græ-

Græcos ſit etiam geminatio per conſonantem diuerſam, quam Paremptoſin uocant, Syllabæ uero interpoſitionem Epectaſin: ut, Mauortis, pro Martis, alituum, pro alitum apud Virgilium: Cinctutis, pro Cinctis apud Horatium, Induperator, pro Imperator apud Iuuenalem, nauita, pro nauta apud Propertium, & Indupedita, & indugredi apud Lucanum. Paragoge, latine Deductio, quę & Paralepſis dicitur, eſt alicuius literæ, uel ſyllabæ ad dictionis finem adiunctio; ut, hoſtis pro hoſti, & poteſtur, pro poteſt, apud Plautum: dicier, apud Perſiũ, ueſtirier apud Prudentium. Atque hi ſunt Metaplaſmi quibus aliquid additur: ſequuntur alij his contrarij, per quos aliquid demitur. Aphæreſis, latine Ablatio, quæ eſt literæ uel ſyllabæ in principio dictionis amputatio: literę, ut, mittit, mitto, pro emittit, & omitto, apud Plautum, & apud Virgilium, Ruet omnia late, pro, eruet: ſyllabæ, quam amputationem Græci, arſin uocant; ut, Pone metũ, pro, depone: linquere, pro relinquere: temnere, pro contemnere, & Plautus, Spicis pro conſpicis. Interdum aufertur uocalis, quæ nullam ſyllabam conficit; ut apud Lucilium, Pretor, pro prętor: & apud Perſium erumna, pro ærumna: quam greci Ellipſin, & hyphęreſin uocãt: Conſonantis uero duplicatæ abiectionem, Pa-

rellepſin, ideſt prætermiſſionem appellant: ut, Porſena, pro Porſenna: conſonantis uero, quę nullam facit ſyllabam remotionem Hypoſtalen, ideſt ſubtractionem: ut aſtruo, pro adſtruo, aſto, pro adſto. Syncope, latine Conciſio, eſt literæ, uel ſyllabę e medio dictionis abiectio: ut uocalis conſtituentis ſyllabam, ſeclorum, pro ſeculorum: repoſtum, pro repoſitum, apud Virgilium: ſyllabæ, acceſtis, pro acceſſiſtis; porgite pro porrigite. Quare apud latinos ſyncope fit, uel in nominibus, ut uincla, pocla, oracla, caldior, puertiæ: uel in uerbis, ut decrerat, ſurpuerat: uel in participijs, ut repoſtum, compoſtum. Apocope, latine Amputatio, eſt literæ uel ſyllabæ in fine dictionis abiectio: ut literę

Ecl. 1. *uocalis apud Virgilium, peculi, pro peculij: metu, pro metui: aſpectu, pro aſpectui: conſonantis, mage, pro magis: Syllabæ, Hymen, pro*

Lib. 3. *Hymenæus apud Ouidium: famul, pro famulus, apud Lucretium. Atque hæc de metaplaſmis qui in quantitate ſpectantur: nunc de illis qui in qualitate cernũtur. Metatheſis, latine tranſmutatio & tranſlatio, eſt literarũ, uel ſyllabarum in ſingulis uerbis tranſpoſitio: literę, Euandre, pro Euander, Tymbre, pro Tymber: Syllabæ, apud Terentium, I prę, ſequar, pro prei. Apud Græcos eſt etiam toni, ſiue accentus tranſpoſitio. Antitheſis, aptius Anti-*

ſtoe-

tiſtoechon, Eſt literæ pro litera, uel Syllabę pro Syllaba poſitio: ut, optumus pro optimus, impete pro impetu, olli pro illi, upilio pro opilio, apud Virg. Sunt tamen qui dicant eſſe archaiſmon, ideſt antiquam locutionem. Qui nũc ſequuntur metaplaſmi, pertinent ad ſchemata proſodica, quę in uerſuum ſcanſione adhiberi ſolent. Digreſis ſeu Die'zeuxis, latine diuiſio, diſiunctio, eſt unius ſyllabæ, hoc eſt diphthongi in duas ſyllabas diductio: ut, animai pro animę: aquai, pro aquę apud Lucretiũ: terrai, frugiferai, apud Martialem: perſoluenda, apud Ouidium, euoluant: ſed hi duo modi poſteriores, ſola carminis ratione deprehendũtur: hanc figuram quidam Dialyſin uocant. Syngreſis, latine Contractio, cum duæ ſyllabę in unam contrahuntur: huc etiam pertinet Craſis, ut æripidem ceruam, apud Virg. pro aeripedem: Et apud Ouidium. Aen. I. Rober.

Sint Mecoenates, non derunt Flacce Marones;
Virgiliumq; tibi, uel tua rura dabunt.

Derunt, pro deerunt: aluaria, pro aluearia: aluo, pro alueo: eburno, pro eburneo. Huc pertinent contracta nomina, bini, bellum, tibicem, pro diuni, duellium, tibycen: & uerba, ſit, audit, ſultis, capſis, pro ſiet, audijt, ſi uultis, cape ſi uis. Diaſtole ſiue Ectaſis, latine Extenſio, quæ

quæ eſt ſyllabę natura breuis, aut ancipitis productio: Vt, Italiam fato profugus: cum, Italia primam habeat longam. Exercet Diana choros: ubi, Di, producitur: Et Ouidius, dixit, dederitis, longe. Syſtole, latine Correptio, cũ ſyllaba longa neceſſitate cogente contrahitur: ut,

Proper. Nec ſi poſt Stygias aliquid reſtabit ærumnas.

æ, corripitur. Duo numerati Metaplaſmi ſchemata chroni, hoc eſt, temporis uocantur. Synalephe, latine Deletio, quæ eſt dictionum per uocales concurrentium conglutinatio, uel uocalis ob ſequentem uocalem remotio: ut,

Ill'ego qui quondam gracili modulatus auena.

Idem fit in fine carminis ob uocalem ſequentem initio alterius verſus: ut,

Aen. 1. Aerea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Aere trabes.

Huiuſmodi uerſus hypermetri nominantur. Aliquando prior uocalis non eliditur, ſed corripitur, cum ſit longa: ut,

Et lõgum formoſe uale, uale inquit Iola.

Oratores latini hac figura non utuntur, Græci uero in pronunciando maxime, & apoſtropho deſignant: qua nota ab apocope diſcernitur. Ecthlipſis, latine, Eliſio, eſt conſonãtis alicuius

cum

cum uocali priore in dimenſione uerſuum ſuppreſſio: uocales autem quæ ſupprimuntur, ſunt M, & S: ut,

Non equid' inuideo; miror magis, &c.

In hoc uero exẽplo quod ſubijciam tollitur S, ob ſequentem uocalem:

Autuoiú foet' aut urentes culta capellas. Virg.

pro fœtus. Interdum etiam ſi non ſequatur uocalis; & aliquando S, ſolum manente præcedente uocali: ut apud Lucretium;

Multi' modis agitatur, & omnes accipit in ſe

Lætitiæ motus.

Et Lucilius Satyricus poeta apud Ciceronem in contumeliam Samnitium: Tuſ. 2.

Samnis ſpurcus homo, uita illa dignu' locoque

Quamuis autem Metaplaſmi potiſſimum metri cauſſa uſurpentur a Poetis: tamen Euphoniæ gratia etiam in pedeſtri oratione adhibentur, de qnibus ea lege, quæ Cicero in Oratore perfecto, ſcripta nobis reliquit. Et quidem frequentiores ſunt apud Grçcos ſcriptores, quam apud Latinos, qui pauciores habent uerborum transformationes, quam illi habeant, de quibus aliqui Grammatici copioſe egerunt. Nos his omiſſis, ad ſchemata Syntactica, ſeu conſtructionis tranſitum faciamus. Laſcar. Theod. Gar. Eryth.

De

De figuris Grammaticis, ad conſtructionem pertinentibus. Diſp. XXVIII.

DE ſecundo grammaticorum ſchematum genere diſputaturus, primum de eo aliquid vniuerſe ſtatuam: deinde ſingulas figuras breuiter, vt noſtrum inſtitutum requirit, explanabo: quod igitur ad primum attinet, has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, eam Grammaticæ partem quam Græci ſyntaxim vocant, noſtri Conſtructionem, Cicero conſecutionem appellauit: quæ nihil aliud eſt, quam partium orationis, hoc eſt ſingulorum verborum in eorum accidentibus, ſiue adiunctis apta coniunctio, atq; ſtructura. Ars itaq; conſecutionis eſt ratio ac uia collocandorum uerborum, vt ex eis congrua conficiatur oratio: Contra quam qui peccant, in ſolæciſmum incidunt. Secunda poſitio, texendę ſeu conſtruendæ orationis ratio duplex eſt: altera recta, omninoque ſimplex, de qua latiſſime Grammatici præcepta tradunt: altera figurata, quæ ab illis regulis ac præceptionibus nonnihil recedit, ac diſcrepat: unde nouæ formæ, & quaſi figuræ locutionum naſcuntur, de quibus

bus deinceps diſputaturi ſumus. Tertia poſitio, ſchema conſtructionis eſt conformatio quædam, ſiue immutatio propoſitę regulæ arte aliqua, & certis de cauſſis uſitata: Vel eſt figurata conſtructio cui aliquid deeſt, uel redundat, uel ſuo loco abeſt, uel immutatum eſt, non tamen ſine linguę Romanę peritorum exemplo. Cauſſæ autem cur hæ figuræ fiunt, hæ numerantur: perſpicuitas, breuitas, ornatus, illuſtratiove, concinnitas ſiue ſuauitas, ac neceſſitas. Quarta poſitio, conſtructionis figuræ duobus modis fiunt; primo quantitate, defectu ſcilicet, cum aliquid ex proximo, vel deforis petimus, & exceſſu. Secundo qualitate, hoc eſt, immutatione, tum uerborum, tum ordinis. Alij conſtructionis figuras trium generum eſſe a unt: aliæ fiunt detractione defectuue alicuius dictionis, ut Zeugma: aliæ additione dictionis; ut Pleonaſmus: aliæ denique mutatione, uel ordinis, uel cum una dictio ponitur pro alia.

Iac. lędes

Prut. li.4. c.8.

Prima poſitio, Zeugma latine Adiunctio & coniunctio, duplex eſt, altera oratoria, cum uerbũ uel adiectiuum ita pluribus ſubſtantiuis anitur, ut omnibus cõueniat; ut, uincit pudorẽ libido, timorẽ audacia, rationẽ amẽtia: altera grammatica, in qua conſequens uni tantum

par-

parti & quidem pręſtantiori conuenire poteſt Præſtat autem genus maſculinum fœminino, & neutro, quo etiam fœmininum eſt præſtantius: & numerus pluralis ſingulari: perſona prima ſecunda & tertia, quam etiam ſecunda anteit: & caſus rectus obliquis. Secunda poſitio, in Adiunctione duæ ſpectantur partes, una quæ dicitur antecedens, duorum ſcilicet, aut plurium ſubſtantiuorum, ſed tamen diuerſorũ copulatio, quæ fit per coniunctiones, uel aduerbia; altera quæ conſequens uocatur, & eſt ipſum uerbum, uel adiectiuum cum propinquiore ſubſtantiuo conueniens. Tertia poſitio, Zeugma eſt unius uerbi, aut ſubſtantiui propiori ſubſtantiuo reſpondentis, ad plura atq; diuerſa accommodatio: ut,

——Sunt nobis mitia poma,

Vir. Ecl. 1. Min. Caſtaneæ molles & preſsi copia lactis.

Vbi uerbum, ſunt, quod concordat cum poma, accommodatur etiam, in copia lactis. Quarta poſitio, huius figuræ ſeptem ſunt formæ: quattuor conſideratione antecedentis, cum ſubſtantiua, aut genere, aut numero, aut perſona, aut caſu diuerſa coniunguntur; tres ratione conſequentis, cum uerbum uel adiectiuum ponitur in principio locutionis, aut interponitur, aut in poſtrema parte collocatur: primus protozeugma, ſecundus meſozeugma, tertius hypozeugma

zeugma nominatur : quarum formarum, per ſingulas percurrendo, unum ſubijciam exemplum. Zeugma generis ; utinã, aut hic ſurdus, aut hęc muta facta ſit. Numeri, ſemper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt. Perſonarum, ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra rep. percontatus eſt, Aliquando eſt Adiunctio in numero & perſona ſimul: ut miro me deſiderio urbs afficit, & omnes mei, tuque in primis. Caſus, Ter. Virg. Cic.

Tu quoq; cum Druſo præmia fratre feres Ouid.

Fit etiam caſus Adiunctio in clauſulis, quæ per relatiua uocabula connectuntur ; cum id quod repetitur, in diuerſo caſu repetitur : vt, Arma uirumque, cano, Troiæ, qui primus ab oris, Italiam uenit. Eſt & alia Adiunctio temporum; ut heri ueni in Cumanum, cras ad te fortaße: alia modorum, ut uideo, quos uolebã, ſcilicet uidere. Exemplum protozeugmatis, Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque uolucres. Meſozeugmatis, Caper tibi ſaluus & hædi. Hypozeugmatis, Hic illius arma, hic currus fuit. Et de Adiunctione hactenus: nunc de ſyllepſi ſecunda conſtructionis figura agamus: de qua has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, ſyllepſis, latine comprehenſio, eſt coniunctio duorum, pluriumue ſubſtantiuorum, quibus adiectiuum aut uerbum additur

tur, quod digniori, etiam remotiori, reſpondet. In eo autem ab Adiunctione differt, quod illic cum propinquiore, hic cum præſtantiore conſequens conformatur: ut, ſi tu & Tullia noſtra ualetis: ubi uerbum conuenit cum digniore perſona. Secunda poſitio Syllepſis duas habet partes; antecedens, ſiue copulatum, & conſequẽs. Antecedens eſt copulatum duorum, uel pluriũ ſubſtantiuorum genere, numero, perſona, uel caſu diſcrepantium, quorum connexio fit particula copulatiua, uel præpoſitione, Cum, ut uim copulæ habet. Conſequens eſt in adiunctione adiectiui, uel uerbi attributio. Quare, ſi antecedentis alterum ſubſtantiuum fuerit maſculinum, alterum fœmininum, totum erit generis maſculini, ratione præſtantiæ: vt,

Ouid. Dulciberis capti, Marſq; Venuſq; dolis.

Tertia poſitio, Syllepſis duplex eſt: una recta, cum ſubſtantiua copulantur coniunctionibus: indirecta, cum copulantur, particula, cum: illa triplex eſt, generis, numeri, & perſonæ: hæc unius modi, uidelicet caſus, cum ſubſtantiua ſunt diuerſi caſus; ut Ilia cum Lauſo de Numitore ſati &, Remo cum fratre Quirinus iura dabunt. Rurſus ſyllepſis generum duplex: una rerum inanimatarum, cum ſubſtantiua antecedentis res ſignificant inanimos; quæ plerunque adiectiuum uel relatiuum neutrum in

Ouid. Virg.

nu-

numero multitudinis, more gręco, recipit: altera rerum anima utētium, ubi attenditur nobilius genus: quæ uel eſt expreſſa, in qua ſubſtātiua diuerſa exprimuntur: uel tacita, in qua, poteſtate & ui continentur. Rerum anima carentium per adiectiuum hoc modo; Diuitiæ, decus, gloria in oculis ſita ſunt: per relatiuum cum Daphnidis arcum fregiſti, & calamos: quæ tu peruerſe Menalca: Propter ſummam, & doctoris auctoritatem & urbis; quorum alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis. Rerum animatarum expreſſa, Pater mihi & mater mortui: tacita,

Impliciti laqueis nudus uterque iacet, Ouid.

Scilicet, Mars & Venus reti a Vulcano implicati. Syllepſis numerorum, cum diuerſorum numerorum inter ſe iunctis nominatiuis, uerbum, uel adiectiuū plurale redditur; ut, ſed pectus anhelum, & rabie fera corda tument: Vel cum ſubſtantiuis ſingularibus reſpondet Virg. *uerbum plurale: ut, Genus, ætas, eloquentia prope paria fuerunt.* Sal. *Syllepſis perſonarum, eſt deterioris perſonæ ſub præſtantiore comprehenſio: ut, Ipſe cum fratre Capuam ad conſules adeſſe iuſſi ſumus: Egregiam uero laudem, & ſpolia ampla refertis, tuq; puerque tuus. Sequitur alia figura, quæ communi nomine uocatur Prolepſis; ſed hoc loco, non ante occupa-*

tionem, aut præſumptionem, ſreiue non dum geſtæ precedentem narrationem ſignificat, ſed id, quod ſequentibus poſitionibus explanabo.

Prima poſitio, Prolepſis, ſiue Præſumptio eſt, cum totum, ſeu aliquid uniuerſale prius ponitur, quod deinde per partes explicatur: quod duobus modis contingit: primo cum membra in uerborum ſtructura omnino cum re uniuerſe poſita conſentiunt, ut nulla ſit opus applicatione ad ſingula, quæ, Prolepſis locutionis dicitur; ut, Duorum Catonum hic eſt maior, hic minor: Secundo, cum totum cum attributo conuenit, ſed cum partibus minime, niſi immutetur; & hæc, Conſtructionis, uocatur: ut aquilæ uolant, una ſurſum, alia deorſum, ſcilicet uolat. Secunda poſitio, Prolepſis locutionis, duplex eſt; altera perſonarum, cum ſcilicet perſonarum numerus prius ponitur, et poſtea ſubdiuiditur: ut Catonum, hic maior, ille minor: altera rerum cum totum aliquo modo in recto, uel in obliquo præſumitur. Tertia poſitio, de Prolepſi locutionis hæ traduntur regulę. Prima, quando verbum in aggregatione præcedit, etiam nominatiuus pręcedet, & contra, ſi rectus caſus præcedat, ſubſequitur uerbum eiuſdem numeri: ut, Diſcipuli audiũt lectionem, hi attente, illi negligenter: Vicerũt Romani, mari Carthaginenſes, terra Gallos.

Se-

Secunda; cum uerbum ponitur in partibus, genitiuus in aggregatione præcedit: ut Ciuium alios regere, alios parere decet. Tertia, quod in collectione antecedit, numero multitudinis ponitur; vel voce, vt animalium, aliud homo, aliud beſtia; vel ſignificatione, vt humani generis pars, corpus excolit, pars animum; poſſumus etiam dicere, humani generis alij docti, alij indocti: & humanum genus partim ſui iuris, partim alieni. Quarta, tam quod in congregatione, quam quod in partibus ſumitur per obliquum effertur, cum participium loco uerbi collocatur: Vt, aquilarum uolantium, vnius ab ortu, alterius ab occaſu, par eſt velocitas. Quarta poſitio, Prolepſis duas habet partes: unam, qua genus vel res vniuerſa, nomine plurali, aut collectiuo, aut partitiuo, diſtributiuoque proponitur, quæ collectio dicitur: altera, quæ partitio & enumeratio uocatur, in qua partes ponuntur, cum quibus uerbum uel adiectiuum non conſentit: illa præcedit, hæc ſequitur. Quincta poſitio, Prolepſis duplex eſt, altera expreſſa, in qua ambæ partes exprimuntur: altera imperfecta, ubi totum & partes tacite continentur. Illa fit tribus modis: In numeris, cum hi diuerſi ſunt; ut, Principes utrinque pugna ciebant: ab Sabinis Metius Curtius, ab Romanis Liu. lib. 1.

Hoſtius Hoſtilius. Et apud Virgilium.

Compulerantq; greges Corydon, & Thyrſis in unum:

Thyrſis oues: Corydon diſtentas lacte capellas.

Ter. *In perſonis, cum hę diuerſæ ſunt: ut, Ego vapulando, ille uerberando vſque ambo defeſſi ſumus. In generibus, cum ea diuerſa ſunt: ut, duo ſibila mihi audita ſunt: vnus ſubtilis, alter acutus. Implicitæ exempla ſunt hæc; Alius alio more uiuentes: Aperite aliquis actutum oſtium ideſt aperite, & aliquis: Suppliciter* Ouid. *veſtros quiſque rogate Deos. Sequitur Eclipſis, in qua aliquid extrinſecus aßumitur, de qua ita ſtatuo.*

Prima poſitio, Eclipſis, latine Defectio, eſt dictionis, ſiue oratiunculæ ad rectam orationis ſtructuram neceſſariæ prætermiſſio, ſeu defectus. Quod autem foris petendum eſt, uel auctorum conſuetudine ſubaudiri ſolet, vel ex alijs verbis eſt perſpicuum. Habet hæc figuratio nonnullas vtilitates, & ſpeciatim illam, quod Vir. Ecl. 3. *turpia tegit: vt, cum ille dixit, Nouimus, & qui te, &c. Secunda poſitio, hæc figura non eſt eadem cum Apoſiopeſi & reticentia rhetorica: unde male quidam Apoſiopeſin in figuris grammaticis numerant. Patet hæc poſitio ex ijs, quæ ſupra de Apoſiopeſi ſcripſimus. Tertia*

tia poſitio, Eclipſis eſt omnibus partibus orationis communis. Quæ poſitio manifeſta fiet nonnulla ſubijciendo exempla. Defectus nominum appellatiuorum; ubi ad diui Marci veneris ſcilicet, ad ædem: cur non recta pergis ſcilicet uia: abeſt bidui ſcilicet itinere: aiunt, dicunt, ferunt ſcilicet homines: Quem dixere chaos. Adiectiui, vt, eſt qui dicat, ſubintelligitur, aliquis: quem ſequar non habeo. Pronominum, vt primæ & ſecundæ perſonæ: coram quem quæritis ad ſum: & ante uerba infinita, quæ vim habent ſenſus, memini uidere, credit ſcire. Verborum, vtinam hæc vera: triſte lupus ſtabulis: ſæpe verbum ſubſtantiuum, uerbum, dico, decet, vel ſimile, fuerit, fecerit, & rogas, ſubaudiuntur. In his integer ſenſus, Hic Dolopum manus, hic ſæuus tẽdebat Achilles, ſub intelligitur, aliquis dicebat. Præpoſitionum, Italiam venit, Romam eo, id eſt ad: Domo me cõtineo. Aduerbiorum ad unguem factus ſcilicet vſque; ad unum omnes; particulæ ſimilitudinis ſæpe deſiderantur. Coniunctionum, vt particulæ copulatiuæ, diſcretiuę, cauſales, collectiuæ. Interiectionum: ut Me miſerum. Participiorum vero eclipſis rarior eſt apud latinos, quam apud Græcos: ſed tamen in appoſitione, de qua nunc dicam, ſubintelligi videtur: ſicuti cum aduerſatiua coniunctio dictioni præponi-

 tur,

tur, non ſententiæ: ut, Affui tibi, quamquam inimico, id eſt exiſtenti. Itaque in legendis auctoribus, uidendum erit quid ſæpe ſubintelligendum ſit; quod ab eis per hanc figuram fuerit pretermiſſum. Sed iam de Protheſi dicamus.

Prima poſitio, Protheſis, ſiue Epexegeſis, latine, Appoſitio, & Expoſitio eſt, cum ſubſtātiuo obſcuriori, explicandi cauſſa, aliud proxime additur ſubſtantiuum: vt, lacus Thraſimenus, id eſt, ens, vel exiſtens, uel dictus Thraſimenus. Fit autem, uel ornatus, vel maioris perſpicuitatis, vel generis reſtringēdi, uel proprietatis explicandę cauſa. Secunda poſitio, Appoſitio duplici conſtat parte antecedente, in qua obſcurius ponitur ſubſtantiuum: conſequente, in qua id quod declarat, collocatur. Pręcedens ſubſtantiuum dicitur obſcurum, vel quia eſt genus, uel ſpecies, uel uox ambigua, uel uocabulum alias ignotum: quę declarantur ſequentibus modis. Tertia poſitio, Protheſis quattuor fit modis. Primo, cum genus explicatur per formam, ſiue ſpeciem, aut cum appellatiuo nomini ſubijcitur proprium: ut, Nilo amne uectus, arbor laurus fulmini non eſt obnoxia. Secundo, cum formę additur genus deſcriptionis cauſa, cum aliqua ſpeciei differentia: ut lepus animal auritum, quod her-

ba paſcitur: uel per genus ſolum: ut, prope Tyberim fluuium: interdum fit diſtinctio per ſolum genus, Lupum piſcem, non uidit Italia. Tertio cum ambigua & quę multiplicem poteſtatem habent, certo uocabulo exponũtur: vt, Cancer aquatile ſignum. Quarto, cum additur ſubſtantiuum ad veram vel quaſi veram proprietatem rei attribuẽdam: vt, Chriſtus filius Dei: Socrates Philoſophus ſapientiſſimus: Fama malum, ubi quaſi uera declaratur proprietas: vt etiam hoc loco, Plan.

Et genius & formam regina pecunia donat. Horat.

Quarta poſitio, Protheſis duplex eſt: una ſimplex, altera coniuncta: Simplex fit aut cum eodem genere numero, & caſu ſubſtantiua connectuntur; vt, regina pecunia: aut diuerſo genere, vt, Fama malum: aut numero, cum alterum caret ſingulari, vt vrbs Venetiæ, Alexis delicię, uel eſt nomen collectiuum, Proci turba: aut diuerſo caſu, Fontem ſuperare Timaui. Coniuncta dicitur cum duplex adeſt figuratio; quæ fit, vel diuerſo genere & numero; vt, Ignauum fucos pecus a pręſepibus arcent: amicos non parare ſupellęctilem optimam vitæ: vel diuerſo genere & caſu: vt, In oppido Antiochiæ, Celſam Butroti aſcendimus vrbem. Sequuntur nunc figuræ quædam Virg.

in quibus aliquid ratione conſtructionis abundat.

Pleonaſmus, fit cum verbis ſuperuacuis orationis contextus oneratur: qui, vel affirmationis, vel vehementiæ cauſſa fit. Pleonaſmus nominum appellatiuorum, ſic ore locuta eſt, & vbi gentium: adiectiuorum, nihil tibi quicque credo: diminutiuis, paruus & minutus adduntur, &, quid. Pronominum geminatorum, ſe ſe, tete, hic, is. Præpoſitionum, ad, ab, & re, in compoſitione: Aduerbiorum, vt retro referri, præceſſiſſe ante: neſcis, nec in pace, nec in bello viuere: negatio ſpeciatim ſæpe abundat. Coniunctionum, multa quoque & bello: vt ne impune illudas. Huc pertinet Parelcon pleonaſmi ſpecies.

Parelcon, ideſt ſuperfluum, notatur in particulis redundantibus, vt ſunt coniunctiones expletiuæ, quæ nihil ad verborum coniunctionẽ, vel ſententiæ perfectionem conferunt. Sed tãtum, vel ornatus, uel carminis gratia adhibentur: cuius hi notantur modi. Primus, cum abũdant genitiui, gentium, locorum, terrarum: ſecundus cõſiſtit in particulis expletiuis, ut ſunt num, dum, & ſimiles: tertius, cum idem bis dicitur, quia enim, quoque etiam: quartus, cum adijcitur vocabulum, quod in ſe alterius ſignificationem continet; ut ſeruus homo, meretrix Georg. Fabr.

mulier:

mulier: Quinctus per congeriem uocum multarum affirmantium, aut negantium; quidem, hercle, certe, neque tu haud dicas tibi non prædictum: ſextus, cum uox aliqua repetitur: ſeptimus, additione pronominis; qui placere ſe ſe ſtudeat: octauus, cum in ſententiæ concluſione ponuntur connectendi particulæ, denique, tamen, poſtea, ſaltem: nonus, iteratione præpoſitionum; accede ad ignem: ultimus, cum comparatiuo adiungitur ſuæ poteſtatis aduerbium: ut æque commodius, æque melius.

De figura Enallage, Syntheſi, Synecdoche & Euocatione. Diſp. XXIX.

QVONIAM inter grammaticas figuras nulla eſt, quæ in omni idiomate, ſiue latino, ſiuæ greco, ſiue hebraico ſit magis uſitata, quam Enallage, ut quæ ad copiam ornatumque maxime confert; ideo paullo fuſius de ea ſcripturi ſumus de qua inter alios diligentiſſime egit Linacer, a quo poſteriores Scriptores, de hac figura agentes, omnia fere acceperunt. Et vt perſpicue quæ dicenda ſunt, tradamus, ea quibuſdam poſitionibus complectemur.

Prima poſitio, Enallage, latine Mutatio, ad eas

eas pertinet figuras, quas ſupra qualitatis eſſe diximus, quæ in commutatione, partim uerborum, partim orationis, conſiſtunt, dequibus deinceps acturi ſumus. Figura quæ in verborũ mutatione cernitur, communi appellatione Enallage, dicitur: quæ in partium orationis Hyperbaton uocatur. Secunda poſitio, Enallage, eſt partium orationis, & earum accidentium inter ſe commutatio. Quare duę ſunt Enallages partes: vna qua orationis partes, ut nomen cum uerbo, & contra, altera, qua partium attributa, ſiue accidentia commutantur: illa Antimeria, hæc Hæteroſis, Alloeoſis, Alloeotheta, & accidentis Enallage uocatur. Tertia poſitio, Antimerię quattuor ſunt formæ: prima cum pars flexibilis, pro flexibili ponitur: ſecunda, cum eadem pro inflexibili: tertia cum inflexibilis pro fexibili: poſtrema cũ inflexibilis pro inflexibili, ut in exemplis patebit. Quarta poſitio, ſub prima forma quattuor continentur modi. Primus, nomen pro participio: ut, prudens, pro prouidens, ſibila pro ſibilantia, coruſca pro coruſcantia. Secundus, pronomen loco nominis; ut, ſua prĕmia, pro propria: is, pro talis; eo & quo, pro tanto & quanto. Tertius, uerbum pro nomine; ſcire pro ſcientia, uiuere prouita. Quartus, participium pro nomine; Alieni appetens, ſui pro-

ſu-

ſuſus, pro appetitor, & profuſor: & pro uerbo, conſulto, & facto, pro conſuli & fieri: trãſcurſus, pro tranſcurrere. Quincta poſitio, ſecunda forma quattuor alijs modis uariari poteſt. Primo nomen ponitur pro præpoſitione, ſecundum conſuetudinem, pro ex conſuetudine: pro aduerbio, recens, toruũ, pro recenter, et torue & pro coniunctione & interiectione. Secundo Pronomẽ pro coniunct ione, idem pro etiam: pro aduerbio, quid, pro cur: quod, pro quia. Tertio Verbum pro aduerbio, amabo te, ſodes: pro coniunctione, licet, et licebit, pro quamuis. Quarto Participium pro aduerbio, lubens, pro libenter. Sexta poſitio, ſub tertia forma hi continentur modi. Primus, prępoſitio pro uerbo, ſuper pro ſupereſt. Secũdus, aduerbium pro nomine, ſic vita erat ideſt talis: ut ut, pro qualecunque. Tertius, aduerbia pro nominibus: ęgre, pro ęgritudo, abũde pro abundantia, partim pro pars. Et pro pronomine, ut hinc, pro ex hac re, & loco relatiui: unde pro, a quo: cur, pro propter quã cauſſam. Quartus, coniunctio pro nomine; illius ergo, pro cauſſa: præterea neminem, ideſt pręter eum. Septima poſitio, ſub quarta forma ſunt hi modi. Primus, prępoſitio pro aduerbio: ante pro prius: contra pro inuicem, & omnes fere præpoſitiones pro aduerbijs uſurpantur: ut

cir-

circiter, coram, extra, poſt, iuxta, & aliæ. Itẽ pro coniunctione; ut prĕter, pro prĕterquam. Secundus, aduerbium pro prĕpoſitione, & coniunctione; ut una, pro &: cum, ut, ubi, pro poſtquam. Tertius, coniunctio pro aduerbio: atque pro ſtatim, etiam pro ſic, ſed pro immo. Atq; hactenus de Enallage partium orationis: nunc de mutatione accidentium partium, quam Heteroſin appellari diximus, de qua has alias ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, Heteroſis, ſiue Alloeoſis eſt accidentium partium orationis mutatio. Mutãtur, partium ſpecies, figurĕ, caſus, genera, numeri, perſonæ, modi & tempora; quos omnes modos breuiter percurrimus. Secunda poſitio, per Heteroſin mutantur ſpecies nominum, pronominum, uerborum, participiorum, aduerbiorum, & coniunctionum: & quidem varijs modis. Et quoniam nimis longum facerem, ſi omnes ſpecierum ſingularum partium modos numerare, & exemplis illuſtrare uellem, modos ipſos attingere ſatis erit. Tertia poſitio, nominum ſpecies ſic mutantur. Propria ponũtur pro poſſeſſiuis: dardana pro dardania: Proprium pro adiectiuo, Tullius eloquio: Appellatiuum pro nomine quod partem ſignificat; ut pars pro alij: Abſolutum pro comparatiuo, & contra: ſuperlatiuum pro abſoluto: compara-

tiuum

tiuum pro ſuperlatiuo: Distributiua pro cardi dinalibus, deni pro decem: cardinalia pro ordi nalibus: unus, pro primo: & contra, ſextus pro ſex. Partitiuum pro numerali & cardinali, ut unum & alterum pro duobus, pro ordinali, al tero & tertio, pro ſecundo & tertio: Quidam pro aliquis, & contra: aliquis pro quiuis: quis, pro aliquis: quicumq; pro quiuis, qui pro quis: quo pro quanto: nemo pro nullus: patronymi- ca, pro poſſeſſiuis, & denique aurum pro pate- ris aureis, Quarta poſitio, pronominis ſpecies ſic mutantur: Demonſtratiuum pro poſſeſſiuo, ut mei tui, pro meo tuo: reciprocum primitiuũ pro relatiuo, rogat ut ad ſe uenias, pro ad eam; uerum utroque modo loquimur: reciprocũ poſ- ſeſſiuum pro relatiuis tertię perſonę, ſui pro eius: poſſeſſiuũ pro primitiuo, tua pro tui. Quin cta poſitio, uerbi ſpecies ſic commutantur. A- Aen. 2. *ctiuum pro neutro abſoluto, ut nox pręcipitat, pro præcipitatur; & paſſiue, male uertat, ideſt uertatur. Abſolutum pro actiuo, ardebat pro amabat: Paſſiuum pro actiuo, bellantur, expo* Aen. 12. *liantur, pro expoliant: nam antiqui actiuis da bant uerbum medium, uel commune. Et nomẽ ac uerbum per periphr ſin pro uerbo: miſſa hæc facio: ſigna dedi ueniſse, ideſt ſignificaui. Aduerbium & uerbum, pro uerbo: ægre eſt, et me miſerum pro miſeret, uel uehementer dolet.*

Sex-

Sexta poſitio Hęteroſis ſpecierum participij fit his modis: Actiuum pro paſſiuo, uehens, pro uectus, euidens pro eo quod aperte uidetur, horrentia, pro horrida: Paſſiua pro actiuis, conſpectus, conſideratus, diſertus, cautus, falſus, & nõnulla alia de quibus uide Laurentiũ Vallã: ex quibus tamẽ aliqua paſſiue ſumũtur. Paſſiuũ pro actiuo per ſynecdochen, uultũ demiſſa, oculos deiecta, quę tamẽ exponi poſſunt per caſum ablatiuum; demiſsa uultu, oculis deiecta. Septima poſitio ẽt aduerbiorũ ſpecies per hęteroſim uarie mutantur: ut ibi, pro tũc, bene, pro ualde: nequicquam, pro non: olim, pro aliquando: ne, pro non: modo, pro tantum: adeo ita pro ualde. Octaua poſitio, etiam coniunctionũ ſpecies uarie commutantur: ut, quoque, pro etiã, uel ſimiliter: uel pro etiam, & pro nam; ut audiſera, & fama fuit: at, pro ſaltem niſi, pro quam: ut non, & an, pro niſi, &c. Nona poſitio, etiam prępoſitiones inter ſe commutãtur: de, pro in, de te, pro in te: de pro propter; ſub pro per, ut ſub nocte ideſt per noctem. Decima poſitio, caſuum hęteroſis uarijs omnino modis fit: ponitur enim rectus pro obliquis, & contra. Rectus pro genitiuo, uocatiuo, ut ſępe apud antiquos; ut meus pro mi: pro accuſatiuo, putauit bonus eſſe ſocer, & pro ablatiuo. Genitiuus pro nominatiuo, nigræ lanarum: pro accuſa-

cuſa-

cuſatiuo, eius non uenit in mentem, pro id: pro dactiuo, & ablatiuo, deſine curarum, pro a cutis. Datiuus pro genitiuo, ut cui pro cuius: accuſatiuo, licet eſſe diſertis, pro diſertos, uobis decet, pro vos: pro nominatiuo, cui nomen Iulo: ablatiuo, certare alicui, pro cũ aliquo. Accuſatiuus pro nominatiuo, vrbem quam ſtatuo veſtra eſt: pro genitiuo, id genus, pro eius generis: pro datiuo, illis labra admoui, pro illa labris, & ablatiuo. Vocatiuus pro nominatiuo, expectate uenis, pro expectatus, macte virtute eſto. Ablatiuus pro nominatiuo, genitiuo, iniquo pondere raſtri: & pro datiuo, parce metu, pro metui. Vndecima poſitio, Alæoſis proprie eſt generum, numerorum, perſonarum & temporum: modorum: generum & pluribus fit modis. Maſculinum pro fœminino, timidi damæ, oculis capti talpæ: maſculinum pro neutro, ab antiquis Aeneas & Anchiſa eſt dictus, pro dictum: fœmininum pro maſculino, acuta, & nuda ſilex: neutrum pro fœminino, hæc erant itiones, dulce ſatis humor. Duodecima poſitio, numerorum Allæoſis uarijs fit modis. Singularis pro plurali, negotium non dignum uiribus noſtris, qui poſſim et ſoleam, &c. Pluralis pro ſingulari, pars in fruſta ſecant, pars uolucres factæ, litora iactetur odio Iunonis iniquæ. Decimatertia, Allæoſis Teren. Ter. in Phor. Vir.

ſæpe

ſæpe perſonarum fit commutatione: ſi quis me quæret rufus, præſto eſt, pro ſum, nam de ſe loquitur: item, Danai qui parent Atridis, contra Priamum arma ſumite.

Decimaquarta poſitio, etiam modorum Alloeoſis uarie fit. Indicatiuus pro imperatiuo, iſtis, paraſtis, pro ite parate: ſubiunctiuo, erat pro eſſet: futurum pro imperatiuo, ſed ualebis, pro uale: Imperatiuus pro futuro indicatiui, aureus eſto pro eris, et ꝑ optatiuo: ſubiũctiuus pro imperatiuo, uelim pro uolo: infinitiuus pro præterito imperfecto indicatiui, capere, pro capiebat: negare factum pro negabat: pro præterito perfecto, & ſupino; ut ire uiſere, pro uiſum. Decimaquincta poſitio, temporum Alloeoſis his ſolet fieri modis. Præſens pro imperfecto, uulnus alit uenis, pro alebat: hoc Ithacus uelit, pro uellet: ni faciat, pro faceret. Præſens pro perfecto, cum rem ob oculos ponere cupimus, accedo ad pediſſequas, quæ ſit rogo, pro acceſſi, rogaui: pro futuro, ego uero duco, pro ducam: perfectum pro imperfecto, præſenti pluſquamperfecto, & futuro: pluſquamperfectum pro imperfecto: infinitiui præſens pro futuro, duci pro ducendam eſſe, & fore pro eſſe: legitur etiam, futurus, cum eris, ero; ut uenturus ero. Atque de Enallage, tum partium orationis, tum adiunctorum ipſarum breuiter hæc di

cta ſufficiant; quibus trium aliarum huc pertinentium figurarum doctrinam adyciemus; quæ ſunt Syntheſis, Synecdoche, & Euocatio, de prima ita ſtatuo.

Prima poſitio, Syntheſis latine Cõpoſitio, eſt cum nominatiuum a uerbo, aut ſubſtantiuũ ab adiectiuo, uoce tantum, non ſignificatione, diſcrepat. Quæ affinitatem habet cum numerorum enallage. Per hanc itaque figuram conſtructio non ad uocem, ſed ad ſenſum & intellectum referri ſolet: ut cum dicitur, ubi eſt ille ſcelus, qui me perdidit. Secunda poſitio, Syntheſis duabus conſtat partibus; antecedente, in qua ponitur nomen collectiuum; ut, turba, populus, plebs; uel partitiuum, ſiue diſtributiuum, ut pars, alter, quiſque; & conſequente, quod eſt aliquod verbum, vel nomen adiectiuum. Tertia poſitio, Syntheſis formæ ſunt duæ: una ſimplex, quæ genere tantum fit, vel numero: altera coniuncta ſiue compoſita, quę fit genere & numero, numero & perſona, per Euocationem. Quarta poſitio ſyntheſis, generis, his de cauſſis fit: diſcernendi ſexus cauſſa; ut Anſer fœta: ſupplementi cauſſa, Præneſtre ſub ipſa, ideſt urbe: Centauro inuehitur magna ideſt naui. In numero tantum, pars uolucres factę; pars onerant menſas: & partitiuo nomine, pro ſe quiſque precari cęperunt, quiſque Pantal.

ſuos patimur manes.Coniunctę Syntheſis hæc ſunt exempla : maxima pars in flumen acti : gens uniuerſa Veneti apellati : maxima pars ociſi. Numero & perſona , Curemus æquam uterque partem. Hęc figura crebrior eſt apud Poetas, & hiſtoricos, quam apud Oratores. Sequitur Synecdoche, quæ ad Ellipſin præpoſitionum referri poſſet.

Prima poſitio, Synecdoche, latine Comprehenſio & intellectio, eſt transfiguratio, in qua id quod partis eſt, toti attribuitur. Secunda poſitio, Synecdoches duæ ſunt partes, antecedēs, quod eſt totum , & conſequens, quæ eſt proprietas, adiectiuum ſcilicet , vel verbum , & pars : ut, omnia Mercurio ſimilis, omnia eſt antecedens , ſimilis conſequens, hyems hirſuta capillos , hirſuta antecedit, capillos ſequitur . In quibus loquendi modis Latini imitantur Gręcos, prætermittendo præpoſitionem , ſecundum, uel iuxta, vel vſque ad, &c. Tertia poſitio, duæ sūt ſynecdoches formæ: una quæ fit ex adiectiuis ſignificantibus aliquam proprietatem, uel qualitatem : altera, quæ ex uerbis paſſiuis & neutralibus , quæ aliquam paſſionem ſignificant. Exempla ſunt huiuſmodi, nuda genu , expleri mentem nequit, fractus membra labore . Qui loquendi modi per auferendi caſum uſitatius a Latinis efferuntur: ut,

Ore tener, latus pectore, crine glaber. Mart.

Sequitur Euocatio, quę ad perſonarum Enallagen pertinere uidetur.

Prima poſitio, Euocatio, ſiue Auocatio, gręce Ecclesis, eſt continua nominatiui tertię perſonę ad primam, aut ſecundam, immediatá reductio. Quare verbum quod additur in hac figura erit primę uel ſecundæ perſonæ. Dicitur reuocatio immediata, quia debet abeſſe coniunctio. Secunda poſitio, Euocationis partes ſunt duæ, antecedens ideſt perſona euocans, prima uel ſecunda, & perſona euocata, quæ ſemper eſt tertia, & conſequens, uerbum nimirum, ſecundę, uel tertię perſonæ: ut, Valent.

Penolope coniux ſemper Vlysſis ero.

Tertia poſitio, forma Euocationis sũt duę: una expreſſa, ſiue perfecta, in qua vtraq; perſona explicatur, vel diſcretionis cauſſa, vt, Nos animæ viles inhumata infletaq; turba, ſternimur cãpis; vel emphaſis gratia; vt ille ego, qui quõdam, &c. cano: Non expreſſa, ſeu imperfecta, in qua euocans ſubintelligitur; vt, moniti meliora ſequamur. Item, duplex vna ſimplex, cũ perſonæ ſunt eiuſdem numeri; vt ille ego cano: altera diuerſorum numerorum: vt, in magnis læſi rebus vterque ſumus.

De Hyperbatis, ſiue tranſgreſsionibus. Diſputatio XXX.

EX grammaticis figuris illę nobis reſtant explicandę, quæ ordinis commutationem habent, quas Gręci ſchemata tactica vocant. Et quia ordinis Grammatici perturbationem habent, ideo communi nomine hyperbata, hoc eſt, tranſgreſſiones nominãtur: quę ſunt numero ſeptem, de quibus ſtrictim breuiterque agemus. Prima dicitur Anaſtrophe, ſeu Metatheſis, latine Peruerſio, ſiue verborum inuerſus ordo: quę hos habet modos. Primus modus, commutatio prępoſitionis cum ſuo caſu, Italiam contra, maria omnia circum, quem penes, cuius ob oculos, quorum e numero. Secundus, aduerbij cum, diu cum eſſet pugnatum. Tertius, coniunctionis, ut, illam ut dicceres, enim non ſinam, progeniem ſedenim, quoniam, & ne. Quartus, relatiui, mater quod ſuaſit ſua. Quinctus, dictionis poſitæ inter adiectiuum in accuſatiuo poſitum, & ſubſtantiuum in genitiuo collocatum. ut, Plus habet ſuauitatis: Paululum da mihi operæ. Secunda, Dialyſis, latine diſſolutio, uel Parentheſis, latine interpoſitio, intercluſio

eſt autem orationis diſſolutio, per alicuius ſententiæ interpoſitionem, qua ſublata, adhuc ſermo eſt perfectus; etſi declarandi cauſſa interſeratur: Vel fit, cum continuationi ſermonis, aliquis medius ſenſus interuenit. vt, O ſocij (neq; .n. ignari ſumus ante laborũ) o paſſi gra uiora. Addunt aliqui Epembolen, hoc eſt Interiectionem, cum aliquid interponitur, ut magis ſententia continuetur: ut, Diuturni ſilentij P.C. quo eram his temporibus uſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim uerecundia, finem hodiernus dies attulit. Vir. eclog. 1.

Tityre, tu, patulæ recubans ſub tegmine fagi,

Siluestrẽ tenui muſam meditaris auena.

Verum poſt hanc interpoſitionem, ſi longior ſit, perſpicuitatis gratia, Epanalepſis adiungitur, repetendo quod principio eſt collocatum: quæ fit, uel iiſdem uerbis, uel poteſtate paribus aut magis communibus: Caue enim exiſtimes Brute (quamquam non eſt neceſſe ea me ad te, quæ tibi nota ſunt, ſcribere) caue putes, &c. Adhibentur in Epanalepſi interdum notæ quędam; ut inquam, igitur, ſed, & harum ſimiles. Tertia, Diacope, ſeu Tmeſis, latine Interciſio, ſectio, quæ eſt uocabuli compoſiti diuiſio, uno, uel pluribus aliis interiectis: ſecat itaque verba continuata aliquid interponendo; Vt, ma-

ximo te orabat opere, qui rem curat publicã, procul inquit dubio, antea uero quam, quo me cumque feret tempeſtas. fit autem, uel in ſimplicibus uerbis, ut, ſaxo cere comminuit brũ: ſed hic modus eſt antiquatus; quo tamen metri cauſsa uti liceret: uel in iunctis; ut inque ſalutatam, pro inſalutatam. Rurſus fit, uel ſimpliciter, ut per mihi gratum, uel per anaſtrophen, ſtant circum, pro circunſtant. Denique uel nullo interpoſito verbo, vt in exemplo proxime allato, aut uerbo interiecto; ut dare brachia circum. Quarta Synchyſis, latine Confuſio, eſt ordinis uerborum perturbatio, quam Herennianus auctor, tranſiectionem uocat. Quæ aliquando commoda eſt, Nam, licet uerba diſiungat; tamẽ efficit, ut non modo non obſcura, ſed etiam pulchra uideatur oratio; ut hoc loco apud Ciceronem, Id ſperaſti remp. non diutius, quam quoad mecum ſimul expulſa careret his mœnibus eſſe laturam. Aliquando incommoda eſt, cum orationem reddit duriorem, atque obſcuram: Vt apud Virg.

Iamque ibat dicto parens, & dona Cupido,
Regia portabat Tyrijs, duce lætus Achate.

Hoc eſt, Cupido lætus parẽs id eſt qui parebat, dicto ſcilicet patris; ibat iam Achate duce, & por-

portabat dona regia Tyrijs. Quę per Chiaſmum, hoc eſt decuſſationem, hoc pacto declarantur.

Iāque ibat parēs dicto duce lętus Achatę
Regia portabat Tyrijs & dona cupido.

Sed eo modo locutus eſt, ut in ſecundo uerſu per dactylos celeritatem retineret, quæ Achatis celeritati reſponderet. Idem poeta ut in deſcribenda tempeſtate decorum ſeruaret, uerborum uſus eſt confuſione, cum cecinit, Tres notus abreptas, &c. Et apud Horatium, Aen. li. 1.

Nanque pila lippis inimicum, & ludere crudis. Li.1.ſat.5.

Quincta Hyſterologia & Prothyſteron, id eſt ſermo præpoſterus, cum præpoſitio non cum caſu quem regit, ſed cum uerbo coniungitur: ut, qui adueneris urbem, pro ad urbem, Arma uirumque, pro uirum & arma: & cum relatiuum præponitur pronomini demonſtratiuo; ut quibus in rebus alij peccant, in ijs tu erras; qui loquendi modus eſt Ciceroni frequentiſſimus: & cum relatiuum ſententiæ ad quam refertur, poſtponitur: ut, Tamen, quę tua ſuauitas eſt, quique in me amor, nolles a me hoc tempore ęſtimationem accipere: Et ubi relatiuum diuerſę ſententiæ, quę ſequi debebat, priore loco ponitur: ut cęteris ſatisfacio omnibus; mi

hi ipſe nunquam ſatisfacio. Sexta hyſteron proteron, ſenſuum præpoſterus ordo: in ſuperiore figura eſt uerborum, hic uero rerum tranſpoſitio: ut, Moriamur, & in media arma ruamus:

Poſtera pheboea luſtrabat lāpade terras
Humentemque aurora polo dimouerat umbram.

Septima Hypallage, latine ſubmutatio, quæ eſt, cum oratio rerum ordine conuerſo exprimitur: ut, Tot uoluere caſus inſignem pietate uirum, ideſt tot caſibus uolui: dare claſſibus auſtros, ideſt claſſes auſtro: Ibant obſcuri ſola ſub nocte, ideſt ſoli ſub nocte obſcura. Hendiadys, latine diſsolutio, eſt unius, hoc eſt ſubſtantiui & adiectiui, in duo ſolutio, hoc eſt, cum metri cauſſa, una res in duas diſsoluitur: ut, arma uirumque cano, pro armatum uirum: pateris libamus & auro, pro pateris aureis: molem et montes, pro molem montium: cui contraria eſt illa locutio, cum duo pro uno ponuntur. Sūt etiam nonnullæ aliæ impeditæ conſtructiones, quæ ad dictas reuocari nequeunt, quæ communi nomine Hyperbaſes uocantur, ut eſt illa apud Ciceronem, Animaduerti, Iudices, omnem Accuſatoris orationem, in duas diuiſam eſſe partes: ubi longius a ſuo loco dictio eſt transgreſſa: recta fuiſset oratio, ſi dixiſſet,

xiſſet, In duas partes diuiſam eſſe. Addunt etiam aliqui Anacoluthon, ideſt non conſequens, quod potius eſt orationis uitium, cum non redditur id, quod cum ſuperioribus conueniat, hoc eſt, cum non ſubijcitur in redditione uerbum, quod debet reſpondere ei, quod poſitũ eſt in propoſitione, ſed omittitur: ut ſunt hæ notæ, tot, tunc, uero, ſed etiam, & c. vt ſi præmittatur, Non modo, & omittatur, ſed etiam.

Millia quot magnis nunquam uenere
Mycenis.

hic deeſt altera particula comparationis. Vbi ea cauſſa, quamobrem id faciunt, erit adempta, deſinent. Denique illud adnotauerim plures in una ſententia figuras ſæpenumero reperiri, quæ notandæ erunt; ut hic, Syllepſis, & eclipſis, Odium & metus, peſſimi ad diuturnitatem cuſtodes: hic Prolepſis, Syllepſis, & Syntheſis, Ego uapulando, ille uerberando, uſque ambo defeſſi ſumus: hic ecleſis, & ſyntheſis, Pars Scythiam, & rapidum Cretæ ueniemus Oaxem. Atque hæc ſunt, quæ de grammaticis figuris breuiter dixiſſe uolumus: ſequitur, ut de uitijs orationis agamus.

De

De orationis uitijs, & ſpeciatim de Barbariſmo & Solœciſmo. Diſput. XXXI.

QVONIAM tũc optime cognoſcuntur contraria, cum vnum iuxta alterum poſitum fuerit; propterea, vt multo facilius orationis vitia cognoſcantur, eiuſdem virtutes prius ob oculos paucis proponere non erit inutile. Tres igitur faciunt Grammatici orationis virtutes, puritatem, hoc eſt latinitatem, emendatã,ue elocutionem, perſpicuitatem, atque ornatum, de quibus initio huius libri nonnihil d ximus, eaſque deſcripſimus. His tria opponuntur vitia, quæ non in rebus, ſed in verbis, & in verborum continuatione verſantur, de quibus deinceps diſputaturi ſumus. Nec me latet Diomedem aliter orationis virtutes numeraſſe & expoſuiſſe; ſed allata diuiſio, eſt magis ad noſtrum inſtitutum accommodata. Vt autem perſpicue quæ dicenda ſunt, exponam; ea ad quaſdam poſitiones reuocabo.

Prima poſitio, orationis grammaticæ virtutes ſunt tres: vt ſit emendata, dilucida, ornata. Emendatio conſiſtit in ſingulis verbis pro-

prijs

prijs ſignificantibuſque, & in pluribus, hoc eſt in conſtructione grammatica; quæ conſtructio regula, analogia, auctoritate, & conſuetudine nititur. Diluciditas conſtat proprietate, ſenſu, ſeu ſententia, & compoſitione facili & æquabili ſecundum commata, cola, & periodos. Ornatus poſitus eſt in figuris. Secunda poſitio, his uirtutibus hæc opponuntur uitia; Barbarum, id eſt non latinum, cuius quattuor ſunt genera, barbariſmus, barbarophonia, barbara lexis, & ſolœciſmus: quæ uitia ſunt contra orthographiam, proſodiam, etymologiam, & ſyntaxin. Obſcurum in vno, vel pluribus verbis fit, cuius ſpecies poſtea numerabo: & inornatum, ſiue incomptum, quod in verbis, in compoſitione, et in tota oratione ſpectatur: hoc etiam ſub ſe plures habet ſpecies, quas infra explicabo: nunc de barbaro priuatim agendum eſt. Tertia poſitio, Barbarum, dictum eſt a verbo grҫco barbarizo, quod non ſolum moribus totoque vitæ genere incultum eſſe ſignificat, ſed etiam male & inepte loqui ac pronuntiare. Nanque apud Athenienſes peregrini homines, cum primum græce loqui conarentur, in hanc uocem abſonam, Barbar, incidere ſolebant: quare apud illos Barbari dicebantur, qui difficulter, aſpere, imperfecteq; loquebantur: quos Latini, læſos & balbos vocant, Strabo lib. 14.

quod

quod aliquam literam, ſyllabamue pronuntiare nequeant. Illud ergo in pronuntiatione uitium ad deprauatam ſcribendi loquendique conſuetudinem tranſlatum eſt. Quarta poſitio, barbariſmus tribus accipitur modis: primum cum vocabulo ab aliqua natione accepto vtimur: vt ſi ex Gallica, vel Hiſpanienſe lingua aliqua vox ſumeretur, qua in ſermone uteremur Latino: deinde, barbariſmus dicitur, quod fit animi natura; vt is, a quo inſolenter quid, aut minaciter, aut crudeliter dictum ſit, barbare locutus exiſtimetur: poſtremo, cum verbum aliquod literæ, vel ſyllabæ adiectione, remotione, tranſpoſitioneue corrumpitur. Hic de primo & tertio modo agendum eſt; ſed prius de poſtremo. Quincta poſitio, Barbariſmus, eſt verbum contra Latini ſermonis præcepta vitioſe ſcriptum, aut pronuntiatum. Vel eſt cum verbum aliquod vitioſe effertur: Vel eſt contra ſermonis legem aut ſcripta, aut pronuntiata dictio: Vel peccatum circa dictionem. Quo fit, vt partim ſit in orthographia, partim in proſodia. Differt autem a ſolœciſmo, quod hoc vitium ſit orationis, illud vero dictionis corruptio: vel apertius, Barbariſmus fit in vnius verbi deprauatione, ſolæciſmus vero, diſcrepantes inter ſe, aut inconſequentes dictiones habet: eſt itaque uitium contra ſyntaxis regu-

Quinct. Auc. Her. Diom. Theod. Gaz. Chariſ.

regulas. Sexta poſitio, Barbariſmus duobus fit modis, ſcriptione, & pronuntiatione, ſeu proſodia: ſcriptione, aut quantitate addendo, uel detrahendo, aut qualitate, immutando, uel tranſponendo. Additur, vel litera, aut vocalis, aut conſonans, in principio, medio, & fine dictionis, vel ſyllaba. Exempla repete ex ijs, quę diximus de Metaplaſmis. At vero Fabius alia quattuor fecit barbariſmi genera. Primum, cum in vna dictione vnus, vel duo, aut plures ſunt barbariſmi diuerſa ratione, vt cum miſcētur Antitheſis, & Metatheſis: vt ſi diceres precolam, pro pergula. Secundum, cum idem error geminatur, vt ſi fiat duplex literarum immutatio. Tertium, cum ſingula uitioſa ſunt, ſed non iuncta; dua, & tre non dicimus, ſed duapōdo, & trepondo dicimus. Quartum, cum fiunt barbariſmi ſine dictionis corruptione per genera & numeros, ut ſcopa, in numero ſingulari, & muſta in plurali, & gladia, pro gladij. Septima poſitio, barbarophonia, quæ eſt corrupta uocis pronuntiatio, oritur, vel ex mala conſuetudine, uel ex naturæ defectu, oris nimirum, vel linguæ deprauatione. Fit autem, uel uocalium & diphthongorū diuiſione per dięreſin, uel complexione per ſyneresin: uel temporis & ſyllabarum inſolita productione, aut contractione, per diaſtolē

Lib. 1. c. 5.

&

& ſyſtolen, vel toni traiectione, uel aſpiratio nis expreſſione deprauata; aut prætermiſſione uitioſa. Hi defectus qui accidunt in ſono, partim demonſtrari poſſunt ſcripto; ut pictai, pro pictæ; partim non poſſunt, ſed ſola uoce & pronuntiatione cognoſcuntur, ut ſi breuis ſyllaba fiat longa. Fit itaque barbarophonia, aut cum producimus, aut cum corripimus, aut aſpiramus, aſpirationemve detrahimus: ut faciebat quidam Arrius, quem ſic irridet

Lege Fabium. *Catullus;*

Chommoda dicebat: ſi quando commoda uellet
Dicere, & inſidias Arrius hinſidias.

Octaua poſitio, Eiuſdem literæ moleſta in oratione repetitio habetur in vitijs, quod uitium Alliterationem uocant; & pro literarum uarietate uarias apud Græcos accepit appellationes. Alphaciſmus, ſeu polyalpha, betaciſmus, Gammaciſmus, deltaciſmus, & ſic deinceps. Eſt ergo alphaciſmus, cum A, ſæpius ponitur, uel in principijs, uel in clauſulis uerborum, ſiue continenter, ſiue cum interuallo fiat: ut in hoc uerſu: Atque his auratis uolitans ar

Aen. 8. 12. *genteus Anſer. Item, Perque ærea ſcuta, per tunicam ſquallentem auro, latus haurit apertum. Exemplum deltaciſmi eſt tale,*

Aen. 2. *Dixerat, & dextra deſcendens, &c. Io-*

taciſ-

taciſmi, Inſulæ Ionio in magno. Mytaciſmi, Machina multa, minax, minatur maxima muris. Sigmatiſmi, & ſola ſicca ſecum ſpatiatur arena. Atque hæc alliterationis conſonantium exempla attuliſſe ſufficiat, Verum hi loquendi modi non erunt uitia, ſed potius ſtructuræ uerborum uirtutes, ſi abſit affectatio: qui, uel ad rem aliquam exprimendam, uel ob neceſſitatem a poetis adhibentur, uel ultro ſine ullo ſtudio in ſimplicem purumque ſermonem incidunt. Tunc autem barbarophoniam afferunt orationi, cum inconcinne & inepte affectantur. Nunc aliquot ſubyciam exempla repetitionis ſyllabarum: quæ repetitio Syllabariſmus, ideſt ſyllabarum annominatio dicitur: ut, Neu prçceptis parere recuſa: tales mihi caſus Caſandra canebat. Hçc ſyllabarum repetitio, uel eſt in duobus uerbis, aut in pluribus, aut continuate, aut cum interuallo, uel in principio, uel in fine: de cuius uſu idem dicendum eſt, quod de literarum coitione diximus: ſed cum hæc ſit euidentior, magis cauenda eſt cacozelia; quæ fit, cum repetitio neq; decorum habet, nec imitatur naturam. Atque de iſto barbarophoniæ genere hactenus. Nunc de alio, quod ex naturç uitio oritur, hoc eſt oris, uel linguæ deprauatione: quod uitium in ſcribendo percipi nequit. Huius barbarophoniæ genera

Geor. 1.
Geor. 1.

nouem

nouem numerantur, de quibus ſtatim dicemus.

Ioa.Cam. *Cum ergo ad recte loquendum, & ad expeditum liquidumque ſermonem, linguæ modo, & apta linguæ connexione cum iis partibus quæ ad loquendum ſunt neceſſariæ ſit opus, hinc fit, ut lingua dicatur, uel lata, uel media, uel impedita: unde hi manant in pronuntiando errores.*

Primus, Platiaſmos ideſt hiatus, cum ore & faucibus nimis diductis, ſermo promitur: platiazo, ore diducto loquor. Secundus, Iſchnotes ideſt gracilitas, uel exilitas, cum literæ graciliter profertur, uel cum ſyllaba ſyllabæ male connectitur: hoc uitium eſt ſuperiori contrarium. Iodoc. Vuil. *Tertius, Mogilalia ideſt hæſitantia, in uerbis ex aliquo affectu iræ, uel pudoris orta, uel ſi magno conatu uix exprimatur oratio. Quartus, Coeloſtomia, ex cauo ore prolatio, cum uox ueluti in receſſu oris auditur. Quinctus, Colouotiſmus, cum ſyllabæ extremæ decurtantur, & deglutiuntur. Sextus, Pſellotes, ideſt balbuties, cum litera, aut ſyllaba ſupprimitur. Septimus, Traulotes, a uerbo* Gal.com. 6. *traulizin, italice, tregliare. Hoc uitium, ut Hippocrates ait, ex immodico humore naſcitur: quo uitio pueri, temulenti, ac ſenes laborant.* Theod. *Aliqui Blæſitatem traducunt. Traulotes ergo non aſſequitur alicuius literæ pronuntia-*

tio-

tionẽ: Pſellotes literã, uel ſyllabam ſupplan tãt: Iſchnophonos nõ connectit expedite ſyllabas Octauus, Battologia, multiloquinm a Batto poeta dicta, qui in ſuis ſcriptis eadẽ ſępe inculcabat. At uero battarizin eſt effutire, & nugas deblaterare, & blatteriſmus nugacitas. Vox ducta a Batto quodam Thebano, qui linguam parum expeditam habuit. Nonus, Scleroſtomia, cum non modo literæ, aut ſyllabæ, ſed etiam integra oratio duriter & aſpere profertur. His uitijs aduerſatur Vrbanitas, & uocis elegantia, de qua ſupra ſcripſimus, quæ uirtus græce Orthoepia, id eſt recta & emendata locutio dicitur. Atque de hoc barbariſmi genere ſatis. De eo autem barbariſmo, qui ſcribendo committitur, non eſt noſtrum hoc loco aliquid docere.

Quod attinet ad Barbarolexin, cum ſupra de peregrinarum uocum uſu, nonnihil ſcripſerim, nihil hoc loco repetam. Barbarolexis itaque fit, quoties peregrina uox ſermoni latino inſeritur: uel ut alij ſcribunt, hoc uitium committitur in etymologia, ſeu dictione, cum uox peregrina Romanis auribus inſueta affertur: quare omnis dictio, quam imperiti fuderunt, et non adhibuerunt docti, pro barbara habetur: ut biretum, quitantia, locumtenens, & id genus alia. Multę tamen externę uoces per con Georg. Fabric.

Dd ſue-

ſuetudinem ſunt ciuitate donatæ: quarum nonnullæ a Germanis, Gallis, Britannis, Hiſpanis, Sardis, Aegyptijs, Poenis, Phrygibus, Perſis, Macedonibus, Hebræiſque ſumptæ ſunt, & a Græcis quamplurimæ, uel integræ, ut lego, fero, propino, lampas, eclipſis; uel deflexæ, ut domus, ager, poema, fama, bos, & aliæ multæ: & denique aliæ a nonnullis Italiæ populis. Sed iam de ultima barbariſmi specie, hoc eſt, de Solæciſmo agamus, de quo has ſtatuo poſitiones.

Aſinius Capito Deſpau. Diom.

Prima poſitio, Soloeciſmus his modis deſcribi poteſt. Eſt impar & inconueniens compoſitura partium orationis; Vel non conueniens Romano ſermoni iunctura uerborũ; Vel breuiter, oratio inconſequens; aut conſtructionis peccatum. Secunda poſitio ſolœciſmus nõ poteſt in una tantum uoce fieri, niſi uox illa ad plura referatur; ut ſi uni dicas, Abite, uel pluribus, Abi; ſed iam erit in conſecutione error. Quo fit, ut nec in geſtu fieri dicatur, ut cum aliud voce, aliud geſtu, vel nutu ſignificatur: de qua re uide Fabium. Quare, ut in ſimplicibus quod non eſt latinum, ita in coniunctis quod non eſt conſequens uituperatur. Quo fit, ut neque uitium illud, quod eſt contra phraſin, ſiue elocutionem, quando ſcilicet non obſeruatur bonorum auctorum elegantia, proprie di-

catur

catur Solœciſmus:ut ſi pro componere epiſtolam, diceres, facere epiſtolam, & pro affici damno, damnum pati. Hoc ſolęciſmi uitium, a quibuſdam Imparilitas & Stribiligo, a tortuoſæ orationis prauitate, nominatur: ad quod tamen reducitur, quidquid habet Solęciſmi ſpeciem. Tertia poſitio, huius uocis origo hęc eſſe dicitur. Solæ urbs fuit Ciliciæ a Solone primum ædificata, & colonis Atticis ornata: qui cum patriam linguã corrupiſſent, Solæcizin, dicti ſunt, quod eſt corrupte loqui, & ſolæciſmum committere. Quarta poſitio, omnes Solœciſmi fiunt aut quantitate, cum aliquid additur per Pleonaſmum, uel detractione, per Ellipſin: aut qualitate, vel verborum ordinis inuerſione, per Anaſtrophen, uel partium orationis commutatione per Antimeriam, accidentiumue tranſmutatione per Alleoſin, ſiue hetoroſin: & hoc, vel in una orationis parte, uel in pluribus. Sunt itaque quattuor ſolæciſmi formæ, ad quas omnes reuocare licet, Additio, detractio, traſmutatio, immutatio, ut eſt communis Grammaticorum ſententia. Additione hoc modo, ad domum peto; Detractione, Ambulo uiam, Aegypto uenio: Tranſmutatione ſeu inuerſione, quoque ego; enim hoc fecit; autem non habuit: Immutatione, cum una pars orationis pro alia ponitur,

Diog. Laer. in vita Solonis. Strabo lib. 14.

Charis. Val. Eryt. Theod. Gaza Fabius.

aut cum eorum accidentia immutãtur, ut diximus ſupra, cum de Anallage eiuſque formis egimus: de quibus Fabium, Diomedem, & alios lege. Huc reuocares eos errores, qui committuntur cum particulæ ſibi mutuo reſpondẽtes inepte collocantur. Quo loco illud admonuerim Solœciſmos apud poetas ſchemata orationis nominari, ſicuti barbariſmi, Metaplaſmi nuncupantur. Sed de primo orationis vitio ſatis: nunc de alijs duobus agamus.

Theod.

De obſcurę & inornatæ orationis uitijs. Diſput. XXXII.

S*ECVNDAE orationis uirtuti, quæ perſpicuitas nominatur, teterrimum opponitur obſcuritatis uitium, quod gręce aſaphes, & Scotinon dicitur. Huius uitij nouem ſunt formæ, ſiue modi, quorum alij in una dictione, alij in pluribus fiunt.*

Primus græce dicitur, Acyron, impropria nimirum unius verbi vſurpatio, in quo differt ab acyrologia, quæ in uerborum coniunctione cernitur. Improprie uſurpatur, ſperare, pro timere, promitto, pro minari, & non ſum neſcius, pro recordor: huc refertur Catachreſis. Neque, ut recte adnotauit Fabius, ſtatim

atque

atque aliquid non eſt proprium, improprij uitio laborabit: multa enim ſunt græce & Latine non denominata. qui iaculum mittit, iaculari dicitur: qui pilam, & ſudem appellatione priuatim ſibi aſſignata caret. Et ut lapidare quid ſit manifeſtum eſt, ita glebarum teſtarum que geſtus non habet nomen. Secundus Hyperbaton, & hypertheſis, latine Traiectio, qua non concinna & ſuauis, ſed obſcura redditur oratio, cum ea inuertuntur, aut diſiunguntur quę ſunt coniungenda: ut in his patet exemplis, Aggreſſi inijciunt ipſis ex uincula ſertis; Virg. *pro uincula ex ſertis. Et apud Lucilium, qui in hoc uitio aſſiduus fuiſſe dicitur,*

Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Aeli. Lucil.

Omnes inuidioſe eripuit tibi bene uiuendi caſus facultates. Tertius, Ellipſis, uel Eclipſis, Latine, defectio, neceſſariæ nimirum dictionis defectus: Vel eſt ſententia verbo minor, quam neceſſe eſt, ſalua tamen compoſitione uerborum: vt Sapies uina liques, & ſpatio breui ſpem longam reſeces, pro, ſi ſapies: Paucis te uolo: Quid multa? Ego ne illam? Eſt tamen interdum cum uirtute coniuncta, ut cum facile ſubauditur uerbum. Quartus, Homonymia, cum una utimur uoce, quæ quoniam multa ſignificat, niſi diſtinguatur, obſcurat ſententiam: ut, Taurus, animal an ſit, an mons, an

Lege Neren. Auct. lib. 4.

cœleſte ſignum, an hominis nomen, an arboris radix, incertum eſt. Fit homonymia, uel in nomine ambiguo, ut in allato patet exemplo, uel in verbo communi, vt ſi dicas, Petrus in foro criminatur, cum, criminor, ſit uerbum commune, & actiue & paſſiue ſumi poſſit; uel per diſtinctionem adiectiui a ſubſtantiuo: vt, vidi ſtatuam auream haſtam habentem, dubiũ eſt, an ſtatua ſit aurea, an haſta. Fit etiam nonnullis alijs modis, de quibus uide Grammaticos. Diom. *Rurſus fit obſcura oratio ex uerbis coniunctis his modis. Primus modus dicitur Acyrologia, id eſt verbis non proprijs obſcurata ſententia: quæ propter uerborum abuſionẽ & perpetuam obſcuritatem eſt Allegoriæ affinis: ut,* Aen. 5.

Nunc pater, & tenues Teucrum res eripe letho,

hoc eſt, ſerua naues ab incendio. Huc pertinet Acyrologia, quæ fit in phraſi, cum bonorum auctorum conſuetudo in loquendo non ſeruatur: ut, ſi diceres, Dare verba, pro loqui, cũ fallere, & decipere ſignificet: habere fidem alicui, pro ſeruare fidem, cum ſignificet, cuipiã credere. Secundus Hyperbaton, uel Synchyſis, ſermo obſcurus, uel ob verborum confuſionem, aut traiectionem, cum verba interſeruntur alicui ſententiæ, uel ob conſtructionem longiorem in longioribus periodis. Verum Hiſtori-

ci

ci ob genus dicendi ductum atque fluens, ſæpe transgreſſiones et interpoſitiones uſurpant, ut patet in Liuio.

Tertius Mioſis, ideſt diminutio, oratio imperfecta propter verborum prætermiſſionem. Cicero ad Atticum, Antonius de lege quid egerit: liceat modo ruſticari: ubi neutra pars ſententiæ eſt abſoluta. Quartus Amphibolia, alij, amphibologiam, & dittologiam, atq; ampheteriſoſin uocant, eſt oratio anceps, quæ in utramque partem intelligi poteſt: ut, Omnes ſocrus oderunt nurus, Chremetem audiui percuſſiſſe Demeam. Quinctus, Aenigma, hoc eſt per incredibilia confuſa ſententia: ænigmata ergo licet uerbis ſint aperta, occulta tamē ſunt ſenſu: de quo genere Quinctilianum lege. Atq; hæ ſunt obſcuræ orationis formæ. Sequitur ut de inornati ſermonis partibus agamus. Leg. Quinct. lib. 8. c. 3.

Inornatus itaque ſermo is dicitur, qui uilitate tenuitateque laborat, & omni elegantia uarietateque caret: qui tum in uerbis ſingulis coniunctiſque, tum in tota oratione fit: cuius hæ ſunt formæ. Cacophonia ideſt abſonum, quod uitium non modo in ſingulis uerbis, ſed etiam in eorum coagmentatione conſiſtit, cum literę, uel ſyllabę deformiter, hoc eſt aſpere, duriterve ſonant; ſub qua forma hi continentur modi. Aſper literarum tonſonantium con

curſus: ut, ars ſtudiorum, error Romuli: *Vocalium*, quæ hiulcam, & hiantem faciunt orationem: ut, baccæ æneæ amoeniſſimæ impendebant: Caſtaneæ hirſutæ, in Acteo Aracyntho. Huc referres omnium literarum & ſyllabarum abſonum concurſum, ut ſunt Lambdaciſmi, Sigmatiſmi, tautaciſmi, & ſimiliter terminata; & cadentia. Tapinoſis, ideſt verbi humilitas, qua rei magnitudo, uel dignitas minuitur: ut uexare, pro dilaniare, gurges & lacunę ſalſæ pro mari, uerruca, pro colle, & loco edito aſperoque. Ongos, ideſt inflatio, cum rei humili tumidum uerbum tribuitur; ut ſi hominem nequam nefarium appellares: & pro mari Neptunias lacunas diceres. Pleonaſmus cum ſuperuacuis uerbis oneratur oratio: ut, ſic ore locuta eſt. Sed, ſi quid ad emphaſim & euidentiam addatur, non eſt uitium: erit igitur uitium, ſi quid otioſe ponatur. Quibus autem modis pleonaſmus fiat, ſupra docuimus. Eclipſis, quæ eſt uel literæ, uel ſyllabæ, uel uerbi, uel orationis; de qua loquendi ratione ſupra ſcripſimus.

Fab. li. 8. c. 3. Heren. auct. li. 4.

Aliud inornati ſermonis caput, eſt Cacoſyntheton, ideſt male collocatum, cui adijcitur, indiſpoſitum, & diſſolutum. Incompoſitū igitur, eſt indecens ſtructura uerborum: ut, Annibal Romanos contra alpes cum aceto montium

tium rupes dirupit, & efferus effregit. Et Tibullus,

Semper ut inducar blandos offers mihi vultus.

Qui verſus fluctuat, ob inciſorum frequentiã. Diſſolutum dicitur, quod iuſtis numeris caret; alij Arithmon uocant, de quo conſequenti libro plura; hic breuiter dixerim, In numeris, alia nõ implent, cum ſcilicet minus decurrunt, quã par erat; quæ adiectione corriguntur: alia redundant, quæ detractione emendantur: alia male traijciuntur. Anæconometon, id eſt inordinatum, cum omnia turbata, confuſa, & permiſta ſunt. Atacton, id eſt indiſpoſitum, cum nec ſententiæ nec orationis partes ſuo ponuntur loco, ut ars dicendi requirit. Sequuntur alia uitia, quæ in tota ſpectantur oratione. Periſſologia, ideſt multorũ uerborum adiectio ſuperuacua, ſine ulla ui rerum, aut ſententiæ: Vel cum ſenſu abundat oratio, cum ſcilicet clauſula, uel aliqua ſententia ſine rerum pondere adijcitur: ut, ibant qua poterant, qua non poterant non ibant: Marcellus retro unde uenerat, Nolam redijt. Lege Fab. lib. 9. c. 4. Diom. Liu.

Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto. Ovid.

Verum Poetæ in mouendis animis, in miſeratione, dolore, & luctu Periſſologia utuntur: cũ

hæ

hæ perturbationes uerboſos & diſertos reddant homines. Periergia, ideſt ſuperuacua, & nimis operoſa elocutio: uitium macrologiæ affine. Operoſe Virgilius ſolis ortum deſcribendo dixit,

Aen..12 Poſtera uix ſummos ſpargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto ſe gurgite tollunt
Solis equi, lucemq; elatis naribus efflāt.

Li.2.Met. *Et Ouidius ſolis currum. Hoc uitium alij uocant Callopiſmon, alij Leptologiam, cum in rebus leuiculis anxie nimis ac religioſe uerſamur; in quo peccant, qui male copiam affectāt. Tautologia, nugatio eiuſdem uerbi, aut ſermonis iteratio: quod uitiū Tullio obijcit Fabius, quod ſæpe fuerit Tautologos, vt hoc loco, Non fuit igitur illud iudicium, iudicij ſimile, iudices non fuit.* Pro Clu. *Verum, ſi conuenienter & cum ratione fiat repetitio, erit virtus, quæ Epanalepſis uocatur. Fit itaque repetitio, vel dictionis, eiuſdem, uel alterius eandem ſignificationem habentis, uel ſermonis. Vt exultans redeo, gaudenſque reuertor. Repetitur tamen idem verbum in eadem ſententia vel in diuerſis periodis venuſte, per Traductionem.*

Macrologia, quæ & Peribole dicitur, Eſt nimis tracta & prolixitate inanis oratio: cum

aliqua

aliqua ſententia eſt iuſto longior, ita vt audientem fatiget. Fit autem, tum aliarum rerũ iniectione, tum eiuſdem ſententiæ productione. Alij tunc proprie fieri Macrologiam dicũt, cum oratio eſt longa ſine cultu. Exemplum ex Terentio eſt tale, Ad aures haud inuito ſermo mihi acceſſit tuus, pro recte locutus es, uel tuũ ſermonem libenter audiui : ſed appoſite ſenem loquacem fecit. Huic uitio contraria eſt Syntomia, id eſt breuitas. Soraiſmos Miſcellanea multarum linguarum, & diuerſarum dictionum eiuſdem linguæ aceruatio & miſtura. Sunt ergo Soraiſmi genera duo: alterum, quod Fabius Cœniſmõ uocat, & eſt eiuſdem linguę, cum eius dialecti miſcentur: ut ſi apud Gręcos, Attica, Dorica, Ionica & alia idiomata miſcerentur, & apud Italos diuerſorum populorum dialecti, quos in ſuis canticis a paucis cognitis, & abijs, a quibus cognoſcuntur, nunquam pro dignitate laudatis, Frater Iacobonus: quæ cantica tanti ego facio, quantum nũquam uerbis poſſem exprimere, cum ſummo ſpiritu, ſummaque ſapientia ſint conſcripta. Ex lingua latina non poteſt huius uitij vllum afferri exemplum, cum dialectis careat : niſi quis uerba noua, impropria, obſoleta, & ſordida permiſceret. Alterum uero genus ex diuerſarum gentium linguis cõflatur. Huius generis In Hecyra

eſt,

eſt, ſi quis poeticas configurationes, quę Metaplaſmi nominantur, orationi ſolutę temere aſſueret. Huc etiam Paraplocem ideſt poeticę et orationis ſolutæ commiſtionem, ſeu verſuum ineptam, & ſine neceſſitate proſę applicationem referres: quod partim de induſtria fit, & merito vituperatur; partim uero temere accidit: nanque in Liuio, Cicerone, & alijs ſcriptoribus verſus integri, uel hemiſtichia notantur. Sed de vſu carminum in oratione, conſequenti libro aliquid dicemus. Oximoron, oſtentationis ineptæ uitium: at Gellius ænigmatis ſpeciem facit, & nos ſupra in figuris numerauimus. Eſt autem, ut Budęus ait, ſententia ita acute & affectate enuntiata, ut fatua videatur: vnde oximoros logos, fatue acutus ſermo, & ſtultus; quod accidit, ut quidam uolunt, cum ita aliqua coniunguntur, quorũ alterum, aut eſſe, aut non eſſe fuerit neceſſe: Vt, Num capti potuere capi? Sequiturque ſequentem: Strenua nos exercet inertia.

Virg.

Polyſchematiſton, ſermo non modo nimiũ figuris grauatus, ſed etiam pluribus uitijs quaſi inquinatus & coopertus in pedeſtri oratione. Nam, & ſi crebra ornamenta dignitatem & ſplendorem poeticis ſcriptis afferant, & uitia uirtutes, ob ſeruatum tum perſonarũ, tum rerum decorum nominentur: tamen in oratione

ſione ſoluta quidquid nimium eſt, in reprehenſionem cadit. Exemplum miſturę plurium uitiorum ex Terentio eſt huiuſmodi. Teque ante, quam me amare rebar: ei rei firmaſti fidẽ: hoc eſt, quantum rebar tuum eſſe in me amorem: tantum iam facto probaſti: eſt hic Anacoluthon, dicendum enim erat, quam ante rebar te amare me: Acyron, quam, pro quantum: & Amphibolon, te amare me. Et ut genera obſcuri ſermonis coeunt, ita etiam inornati partes: ut in hac ſententia, Vidi oculis ante ipſe meis, me uoce uocantem. Pleonaſmus, & cacophonia. Orationis multum figuratę exempla multa ſunt apud poetas: cuiuſmodi eſt principium Aeneidos, quod ad imitationem Odyſſeæ Homeri, noſter fecit poeta.

Geo. Fab. In Hecy.

Aen. 12.

Ille ego qui quondam, &c.

Vſque ad verbum, Impulerit. In quibus carminibus multas ſententiarum figuras notares. Ille ego, propoſitio cum tranſitione, & anacephaleoſi: deſcriptio ſuæ perſonæ, & operis epigraphe, id eſt inſcriptio: quę omnia beneuolum, attentum, docilemque faciunt auditorem. Arma virum, propoſitio cum diæreſi ideſt bipartita. Qui primus, Aeneæ deſcriptio per ea quę geſſit & perpeſſus eſt. Terris & alto, locorum diſtributio, & auxeſis. Muſa inuocatio, quam poſtea concludit acclamatione. Schemata

dictio-

dictionis. Lauinaque & terris, & alto, polyſyndeton. Vi ſuperum ſęuæ, aſyndeton. Quid ue dolens, Ermenia ideſt interpretatio, Figurę grammaticę, dictionis: Ill'ego, mult'ill' grat'opus, ſynalepha, & Ecthlipſis; vi ſuperum, ſyncope, Regina Deum, &c. pathos; Itaiam, Ectaſis. Orationis, Ille ego euocatio: Arua, gratum opus, appoſitio. Italiam fato profugus lauinaque, Eclipſis propoſitionis: Iactatus, eclipſis uerbi: ſunt & aliæ eclipſes, quas prætereo. Memorem, enallage generis, non enim ira meminerat. Multa quoque & bello, pleonaſmus coniunctionis: Latio, antiptoſis, pro in Latiū. Memora, allœoſis, pro commemora. Tot uoluere caſus, Hypallage pro tot caſibus uolui. Tropi, parerent arua, id eſt multum fructum redderent: horrētia Martis arma, metonymia, pro bello. In uerbo horrentia eſt metalepſis, non quod horreant, ſed timorem incutiant. Virumque cano, Regina Deum, Animis cæleſtibus, ſunt periphraſes. Lauinaque litera, antonomaſia, pro Italia. Epitheta, aptiſſima, Gracili auena, auido colono, gratum opus &c. Altæ męnia Romę, Synecdoche, deſignat enim urbis conditionem. Allegoriæ, ideſt continuationes uerborū tranſlatorum, qui quondam gracili & cæt. ideſt humili ſtylo ſcripſi. Egreſſus ſyluis, ideſt

hu-

bucolicis confectis, ad agriculturam tranſiui. Notares etiam, quoſdam Grammatiſmos, ut cappaciſmos, Lambdaciſmos, & Myctaciſmos, Rhotaciſmos, ut, horrentia Martis. Similiter Syllabaciſmos, Syluis uicina, genus unde, & omœoteleuta. Verborum ſelectus, Gracili modulatus auena, gratum opus agricolis, cano, horrentia Martis, &c. omnia enim uerba ſunt accommodata, grauia, ſonantia, ſignificantia. Has igitur & fortaße nonnullas alias in his carminibus adnotares figuras: ex quibus facile intelligitur, quid ſit Polyſchematiſton. Aſchematiſton, uel Aſchematon, non figuratum, aut male figuratum, cum oratio ſuis figuris quaſi luminibus caret: exempla vide apud Herennianum auctorem. Pomphologia, uel Bomphiologia, uel Bombiologia, a bombo, id eſt a ſono apum & ueſparum: unde Bombilo, ideſt Bombum edo, & Bombilatio: alij Pompholugiam uocant, a Pōphis, id eſt a bullis ducta Metaphora: unde Pompholugi bullati, bullis turgentes. Eſt igitur Bombiologia tumor immodicus orationis, cum non ſolum res tenues tumida & nimis ſpecioſa oratione tractantur, ſed etiam cum res magnæ forma nimium ampla explicantur: quod in proponendo, narrando, probando, amplificando, & concludendo fit. Vnde Flaccus,

Non

Nō ſic incipies, ut ſcriptor Cyclicus olī,
Fortunā Priami cātabo, & nobile bellū.

Quod uitium in Sillio, & Statio, & Lucano notatur, cum in proponendo fuerint, Pompho logi. Modeſte igitur aggrediendum, ut Homerus fecit,

Dic mihi muſa uirum: captæ poſt tempora Troię,
Qui mores hominū multorum uidit, & urbes.

Et Latinus Poeta. Ille ego qui quondā gracili modulatus auena carmen &c. Vbi humiliora præcurrunt, & poſtea ſe attollit oratio, cū dicitur, Arma uirumque cano, &c. Neq; enim ut exiſtimo, illud principium, ab hoc poemate reijciendum eſſet. Simile exordium eſt illud quod in ſeptimo Aeneidos libro habetur; ubi reliquorum librorum fit propoſitio. Omoeologia, ideſt uniformis, & ubique ſui ſimilis oratio omni uarietate & ſuauitate carens: aridū nimirum, exangue, & exile dicendi genus omnibus figuris, omniq; ornatu deſtitutum: Vt ecce, Nam iſtic ad balneas acceſſit: ad hunc poſtea dixit: hic tuus ſeruus me pulſauit: poſtea dixit hic illi, conſiderabo: Poſt ille conuicium fecit; & magis magiſque præſentibus multis clamauit. Poekilogia, deſt immodice variata oratio, & affectatione putida, & pueriliter effami-

Auc. Ner.

fœminata,floſculiſq; ornata;ut fere eſſe ſolet Apuleÿ ſermo. Leptologia, ideſt rei grauis, humilis & contēpta explicatio,quæ neruis et ſpiritu contentionis caret. Archęologia,ideſt oratio quæ ſententiam uerbis nimis antiquis & iam obſoletis exprimit; vt ſi quis diceret, Appludam edit, & floces bibit, id eſt furfure ueſcitur, & fecem potat. Huc refertur Archaiſmos,id eſt antiquitas,uel antiquiſmus,id eſt uox uetuſte aliquid dictum ſignificans: quæ gratiam ſermoni addit,ut alias dixi:cuiuſmodi loquendi modi plures apud Terentium extant. Idioticon,cum quaſi vulgi ore loquimur, nec a verbis ſordidis abſtinemus:ut ſi quis familiarem,congerronem appellaret, & literarum auidum, belluonem:huiuſmodi ſunt uerba ab opificÿs ſordidis ſumpta; veluti a culinis, popinis, & ſimilibus. Idiotiſmum ergo eſt,aliquid plebeium,& conſuetudinis peruulgatę. Conſiſtit autem,vel in verbis, vel in ſententÿs:in verbis,vel ſimplicibus, vel coniunctis:in ſimplicibus,uel impropriÿs, uel barbaris, uel incredibilibus, uel ſuperfluis,uel reciprocis,ut ſi dicas amore ſuo,pro eius:in coniunctis, uel in loquendi forma impropr a, uel in ſtructura uerborum,vel non vſitata, vel antiquata, uel in adiectio e non neceſſaria,uel in abuſu particularum:in ſententÿs, uel impro-

Greg. Fab.

prijs,uel abſurdis. Laconiſmus .i. breuiloquẽtia,nimia breuitas: ſic dictus , quia Laconici breuitate delectabantur. Hoc uitium referri debet ad genera obſcuri. Huc reuocatur Brachylogia, hoc eſt oratio conciſa, cum de re graui, quæ longiorem requireret ſermonem, nimis breuiter loquimur. Probatur tamen breuitas ſuo loco adhibita.

Alex. ab Alex.

Aſiatiſmus, laconiſmo contrarius, genus eſt dicendi immodicum, tum uerbis, tum ornamentis, ſed rebus inane: quale quibuſdam in locis cernitur in Galeno. Caco zelia ideſt mala, inepta, & inerudita imitatio, ſeu per affectationem decori corrupta ſententia, cum eo ipſo dedecoratur oratio, quo quis eam ornare contendit: quod fit, uel nimio tumore, uel nimio cultu: de quo uitio conſule Fabium, qui ait Cacozelon per omne dicendi genus peccare, & eſſe id quod eſt ultra uirtutem. Aeſchrologia ideſt uerborum obſcoenitas, inuerecunda oratio: quę fit, aut compoſitione, ut ſi dicas, cum nomine, ubi obſcoene, cum, unitur cum ſequenti ſyllaba: quam obſcoenitatem tolleres interponendo aliquid: aut unico uerbo, in quo eſt obſcoenitas, ut ductabat exercitum, arrigere animum. Cacophaton, uerbum quod ad rei obſcœnæ ſignificationem uergit, cui opponitur, Calon onoma, id eſt pulchrum nomen: ut arrige aures

Quinct. libro 10.12.

Diom.

Herm. li. 4.c. 12.

aures Pamphile. Huc referunt etiam Cakephaton, quod ex inepto literarum aut ſyllabarum cōcurſu naſcitur; atqui commodius ad cacophoniam reuocatur. De hoc uitio, quo ſæpe ſpurci poetæ inficiuntur, plura apud Quinctilianum lege. Et quoniam hactenus ſatis abunde de orationis ornamentis, & uitijs, quæ in uerbis, tum ſimplicibus, tum coniunctis ſpectantur, & de ijs omnibus, quæ in hac parte nobis explicanda erant, diſſeruimus, finem huic primo libro faciemus.

Libri primi finis.

DE ELOCVTIONE ORATORIA,

Liber Secundus:

IN QVO DE VERBORVM ſtructura, numeroq; oratorio agitur.

Quæ ſit collocationis verborum natura & vtilitas. Diſputatio I.

AEDIFICIVM aliquod exſtruere uolenti, comparata iam, ac ueluti ſepoſita omni materia, politis lapidibus, lignis dolatis, cæmentoque confecto, illud reſtat, ut iuxta conceptam animo ideam, ad ſingulas domi partes conſtruendas ſe conferat, & ex apta elegantique earum ſtructura, perfectas atque abſolutas ædes fabricet: & quod de ædificio diximus, de oratione, per ſimilitudinem, dictum puta. Cum ergo primo libro de ſingulis uerbis, tum proprijs, tum tranſlatis, ac etiam

de

de verborum ſententiarumque luminibus, quaſi de orationis materia ſcripſerimus, nũc de uerborum collocatione, ſtructuraque agendum nobis eſt, ut poſtea conſequenti libro de orationis idea, cuius natura, ſine his quæ nunc dicturi ſumus, explicari nullo modo poteſt, planius agere poſſimus. Sed contra hanc methodum, quam tenere uolumus, ac etiam aduerſus id, quod explicandum propoſuimus, his rationibus aliquis pugnaret.

Primo, ut architectus, ne ab allato diſcedamus ſimili, antequam ad ędes fabricandas ſe conferat, earum debet perſpectam habere ideam: ita is, cui oratio conſtruenda eſt, prius eius ideam cognitam habere oportet: quare prius de ideis, quam de uerborum ſtructura diſputandum eſſet. Deinde, nos priore loco de uerborum collocatione acturi ſumus, & poſtea de orationis numero: atqui prius de numero agendum eſſet: tum quia ſonus, ex quo proxime oritur numerus, in oratione ſeſe primo offert; tum etiam, quod in uerborum collocatione præcipue numeri habetur ratio: quare priore loco numeri natura eſſet explicanda. Præterea, propoſita nobis eſt diſputatio de natura collocationis, quę nihil aliud eſt, quam ordo: at agere de ordine non ad elocutionem, ſed ad diſpoſitionem pertinet: male igitur iſta de re a

nobis in præſentia quæritur. Quod ſumptum fuit, patet ex Quinctiliano, qui compoſitionẽ, ordine & iunctura conſtare dixit: & ordinem in naturalem & artificioſum diuiſit. Li.9. c.4. *Poſtremo, ut alias dubitandi rationes acutis iuuenũ ingenijs excogitandas relinquam, iſta de uerborum collocatione doctrina, deſtruit rectum loquendi ordinem, qui eſt maxime naturalis, dilucidus, & ad res explicandas omnino neceſſarius: erit igitur, non modo inutilis, ſed etiam pernicioſa; quod ſumptum fuit facile probatur: nam in recto ſermone, nomina epithetis, uerbum aduerbijs, præpoſitiones caſibus præire, & quæ ab alijs reguntur, illis adhęrere debent: at iſta de collocatione doctrina hęc omnia peruertit, & confundit, orationemque quaſi cœcam reddit, abijcienda igitur. Et ſane quis non potius rectum quam obliquum laudet ordinem? & perſpicuitatem potius quam obſcuritatem amet, quam iſta uerborum traiectio procreat?*

In hac diſputatione duo ſunt quæ præcipue difficultatem faciunt: unum, an iſta de uerborum collocatione doctrina ſit magni facienda: alterum, an ordo ille naturalis, quem ponit Fabius, in uerborum collocatione ſpectandus ſit. De primo duas poßumus notare ſententias, quarum una fuit quorundã, qui ut Tullius refert,

ſert, omnino uerborum ſtructuram parui faciẽdam putarunt: quos ij ſequuntur, qui ſibi ſatis eſſe arbitrantur, ſi quacunque ratione animi ſui intelligentiam ſiue ornato, ſiue incondito ſermone exprimant. Altera, ſuperiori omnino contraria, quam olim optimi Philoſophi, ut Plato, Ariſtoteles & Tyrtamus, quem a diuinitate dictionis, eius magiſter Ariſtoteles Theophraſtum appellauit, & Oratores omnes. De ſecundo, Fabius, in omni compoſitione tria ait eſſe neceſſaria, ordinem, iuncturam, numerum. Per ordinem intelligit eam conſecutionem, quę ſpectatur in rebus, quę ita ſunt affectę, ut una, ſua natura, præcedat aliam; ut dies noctem, ortus occaſum, bonum malum, uirtus uitium; atque eam, qua oratio creſcit: & ita dicemus, fur & ſacrilegus, non contra. Fabium ſecutus eſt Publicius & quidam alij. At uero alij in verborum ſtructura hunc ordinem non eſſe ſpectandum exiſtimant: in qua ſententia fortaſſe Tullius fuit, cum hac de re agens, nullam huius ordinis mentionem fecerit. Dixit enim orationem collocari coagmentatione, concinnitate, & numero: quæ quid ſint ſtatim explanabimus. Vt ergo has dubitationes & propoſitam quæſtionem explicem, hæc pono fundamenta. Streb.

Primum fundamentum, in quo exponam

ſignificationes, quas in re rhetorica habere poteſt hæc uox, ordo. Primum, ordo ſignificare poteſt eam diſpoſitionem, quę in tota oratione conficienda, argumentiſque tractandis ſpectatur; de qua in libro de Diſpoſitione egimus. Deinde, eam diſpoſitionem quam in oratione Grammatici ad uitandum ſolæciſmum requirunt. Præterea, eam uerborum conſecutionẽ, qua ita ſingula collocantur, ut quod eſt infirmius, minusve ſignificat priore ponatur loco, & deinde quæ grauiora, & maioris momenti ſunt, ſubijciantur, ita ut ſemper creſcat oratio: quæ etiam creſcit, cum in re diuerſa minora poſterius collocantur: ut ſi dicas, Is a me defenditur, cuius nulla fraus, nulla auaritia, nulla perfidia, nullum petulans dictum in uita profertur. Præterea, ordo eam deſignat ſeriem, quam natura in ſuis rebus ſeruat; quo modo, dies noctem, ortus occaſum, & partes id quod ex eis conficitur, & id quod eſt prę ſtantius, id quod eſt ignobilius antecedit. Denique, ordo, ut ad rem noſtram pertinet, eam deſignat conſecutionem, quam uerba inter ſe habere poſſunt, non habita ratione rerum, quas ſignificant, ſed connexionis, aptę uel ineptæ, qua coniungi poßunt: atque de ordine collocationeue hoc modo ſumpta in præſentia diſputaremus. Hic uerborum ordo duplex eſt: alter rectus,

ctus, naturalis, quotidianus, & inartificioſus, qui apud diuerſas nationes uarius, aliqua parte, eſſe ſolet: alter obliquus, arte quadam ad maiorem concinnitatem inuerſus, qui & facilius fluit, & ſuauius ſonat, aureſque implet: de quo hoc toto libro nobis diſputandum eſt.

Secundum fundamentum, omnis oratio, uel eſt ſoluta, uel colligata: ſolutam eam appello, quæ nullis uerborum uinculis eſt conſtricta; quam qui fundit, nihil curat, an uerba inter ſe conſonent, an aſpere, an ſuauiter coeant, nec qua ratione ſermo incipiat, deſinatve: huic cõtraria eſt illa, quam colligatam & uinctam nomino: quę ſi Ciceroni credimus, tribus conficitur rebus, coagmentatione, concinnitate, & numero. In orat. *Coagmentatio eſt eorum iunctura uerborum, quæ molliter ſuauiterque in ſtructura cohærent: ut hæc, Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, hę contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia & eloquentia.* Pro Quit. *Quæ coagmentatio, iunctura, ſtructura, compoſitio, & conſtructio dicitur. Concinnitas autem eſt oratio apte cadens quarundam figurarum beneficio: ut ſunt quę paria paribus referunt, quæ antitheta componunt, quæ ſimiliter cadunt, aut quæ eodem modo finiunt extrema; de quibus ſuperiore libro egimus, & infra exempla afferendo planius agemus, cum demõ-*

ſtrabi-

ſtrabimus eſſe quædam, quæ ſuapte natura numeroſam gratamque faciunt orationem. Denique, numerus, de quo late poſtea dicetur, ut eũ hic breuiter deſcribamus, eſt orationis harmonia ex apta pedum collocatione nata. At uero Quinctilianus, ut ſupra ſcripſimus, ad compoſitionem ordinem requirit: & concinnitatem fortaſſe ſub numero comprehendit: quem ideo aliqui reprehendunt, quod diſpoſitionem ſiue ordinem dicat eſſe rerum, compoſitionem uero de qua hic agitur uerborum: in qua, non quid naturæ ordo requirat, ſed quem ſonum numerumque uoces faciant, ſpectamus: ut planius, Fabij opinionẽ refellendo, paullo poſt docebo.

Tertium fundamentum, ea methodus in artibus tractandis a Peritis probari ſolet, quam Philoſophi, uiam compoſitionis appellant: cũ ſcilicet a primis principijs ad minores partes, & ab his ad maiores, & tandem ad rem uniuerſam progredimur. Et quoniã oratio, cuius conſtruendæ rationem hic docere uolumus, eſt quoddam totum, quod arte fit, propterea in hac tractatione, hanc ſeruabimus methodum. Primum, explicata collocationis natura, de literarum coitione uerborumque iunctura, atque de ijs quę ſuapte natura aptam & numeroſam faciunt orationem, agemus. Deinde, de ſententiæ ſiue orationis diſtinctione & comprehenſione:

ſione: ubi de inciſis, membris, & periodo: cuius naturam, quantitatem, ſpecies, uſumque explicabimus. Poſtremo, de numero oratorio, late diſſeremus. Et primum de numeri natura, et neceſſitate: poſtea de pedum uarietate & uſu: & denique, numeri uſum, & rationem, qua facile acquiri poſſit, demonſtrabimus. His ita adnotatis, has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, in uerborum collocatione, colligationeue non ſpectatur rerum ordo. Eſt hæc poſitio contra Fabij ſententiam, quam uiri docti merito reijciendam putant: idque hæ rationes demonſtrant. Primum, quoniam boni auctores componendi rationem obſeruantes, iſtum, quem Fabius requirit ordinem, negligunt: ut ſi diceres, nox ſuſtulit diem, non modo ſacrilegus, ſed nec fur erat; ubi non creſcit, ſed decreſcit oratio, ſi uerborum uim ſpectes: uxori uir imperat: principio fœmina uirque peccauere: & apud Ciceronem, noctes dieſque inuenies. Is igitur qui amplificanda auget, aut minuit, cum opus eſt, rerum perſonarumque dignitatem obſeruat, non autem ille qui uerborū concordiam uel diſcordiam quærit, ut uerba amica iungat, & inimica ſeparet. Deinde fatetur Fabius compoſitionem ſine artis præſidio neminem aſſequi poſſe: at rerum collocationē, aut ipſa natura docet, aut liberalis educatio, Lib. 8. in Princ.

aut

aut certe, ſi res ſunt occultæ, ipſa ſapientia demonſtrat: igitur. Item, idem, uno in libro uer-
Lib.9. *borum ſignificationes diſtinxit, componēdi prę cepta in alio dedit. Aliud eſt itaque explorare materiam ſiluæ, aliud arbores in ædificio collocare: aliud oſtendere qua quæque tectorum genera materia fiant: aliud ordinem præſcribere, quid præcedere, quid ſubſequi debeat. Præterea, in rebus diſponendis, dicentis conſilium locum habet, quod pro locorum temporumque opportunitate eas diſtribuit: at uero in uerbis collocandis eſt quędam certa ipſarum uocum ratio, uel potius incerta, cum oratio, ueluti cera in mille ſpecies formari poſſit: igitur. Quod ſi cum Fabio diceres, ſæpe uerba permutato ordine fieri ſuperuacanea, ut ſi dicas, Gemini fratres, ſatis enim fuiſſet gemini; id nihil eſt, tum quia hoc non eſt compoſitionis uitium; tū etiam, quod cum uirtute, pleonaſmi adhiberi*
Lib. 1. *in oratione poßunt. Dixit aliquando Liuius, gemini fratres, & quidem aptius, quam ſi fratres geminos dixiſſet, ob pedum qualitatem: ubi expoſitio compoſitioni cedit. Idem alio loco, tergemini fratres dixit. Cicero etiam,*
Pro Arch. *rerum ordine prętermißo, aliquando dixit, Saxa atque ſolitudines uoci reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur, atque ſiſtunt: Quod ſi magis oratio inſurgeret, ut*

ait

ait Fabius, ſi uerteretur, non tantus fuiſſet in compoſitione decor. Huc facit quod Fabius aliquando laudauit hanc Ciceronis ſententiam, Vt tibi neceſſe eſſet in conſpectu populi Romani vomere poſtridie; quod aduerbium, poſtridie, optime ſententiam illam claudat, & longe melius quam ullum aliud eiuſdem ſententiæ uerbum: quod tamen ad numerum pertinet. Quare, cum de uerborum collocatione agitur, non temporis, non dignitatis, non incrementi, aut interpretationis ſpectatur ordo. Cæterum, quæ Fabius docet, ſi ſuis in locis adhibeantur, non ſunt ſpernenda. Phil. 2.

Secunda poſitio, verborum collocatio ſiue compoſitio, de qua agit Rhetor, eſt longe diuerſa ab illa, de qua ſcribit Grammaticus, cum de ſtructura conſecutioneque uerborum agit. Nam, ideo Grammaticus uerborum ſtructuram conſiderat, vt qua ratione una orationis pars cum alia congruenter copuletur, doceat; & Solœciſmos ab ea remoueat: at uero bene dicendi Magiſter, viam commōſtrat, qua oratio concinna, ſuauis, numeroſaque efficiatur: quæ duo munera inter ſe maxime diſtant. Prut. lib. 3. c. 1.

Tertia poſitio, de verborum compoſitione potuit aliqua ars tradi. Nam, cum a natura quadam certa ratione in omni lingua uerba collocentur, ita tamen, vt vnus melius quam

alius id faciat, & ſæpe etiam ab idiotis, qui ea male collocant, irrideãtur, potuerunt profecto, adhibita diligentia, cauſſæ aliquæ notari, ex quibus melior naſcatur collocatio; quas qui tenet, artem habet.

Quarta poſitio, compoſitio hunc in modum deſcribi poteſt, Compoſitio, eſt uerborum apte & concinne numeroſeque fluentium colligatio, qua vel inciſim, uel membratim, uel circumſcripte aliqua exponitur ſententia: quam deſcriptionem ſic breuiter expono. Dicimus, apte, concinne, & numeroſe, vt ea indicemus, ex quibus conſtat compoſitio, quæ ſupra explicata fuere: dicitur inciſim, & cæt. ut tres inſinuemus modos, quibus aliqua explicatur ſententia; quæ eſt ueluti compoſitionis materia.

Quincta poſitio, iunctura ſeu coagmentatio, eſt apta verborum conſecutio, ut nec literæ duriter ſonent, aut uocales uaſte hient, ſyllabæque & uerba deformiter concurrant: Vel, eſt apta, ratione ſoni, ſingulorum uerborum copulatio. Quare, hæc compoſitionis pars illud ſpectat, ne aut literæ, aut ſyllabæ, aut uerba inepte inſuauiterque iungantur: de qua ſequenti diſputatione priuatim agemus.

Sexta poſitio, collocatio ſiue compoſitio differt a numero & figura. Compoſitio, inquit Tullius, ab utroque differt, quæ tota inſeruit In orat.

gra-

grauitati uocum, aut ſuauitati. Fecerat ante mentionem de numero, & figuræ: & numerus quidem compoſitionem, uelnti effectus cauſſam ſequitur: figuræ vero ſunt veluti formæ & lumina quædam, quibus illuſtratur oratio.

Septima poſitio, compoſitionis effectus ſunt fere iſti. Vt oratio ſit quaſi colligata, ſit ſibi cohærens, ſit concinna, & ut ſuauiter fluat, numeroſeque cadat. Sed & eſt, ait Cicero, collocatio ſeruanda uerborum, de qua loquor, quæ iunctam orationem efficit, quę cohærentem, quæ lenem, quæ æquabiliter fluentem. Id aſſequemini, ſi uerba extrema, cum conſequentibus primis ita iungantur, ut nec aſpere concurrant, nec uaſtius diducantur. Hanc diligentiã ſubſequitur modus etiam, & forma verborum, numerus nimirum. Et alio loco, Ordo enim uerborum efficit numerum, ſine ulla aperta Oratoris induſtria. Quo fit, ut quidam apte numeroſeque dixerint, numero non quæſito. Lib. 3. de orat. In orat. Herod. Thucid.

Octaua poſitio, uerborum componendorum doctrina Oratori, non modo utilis, ſed etiã neceſſaria eſt. Hæc poſitio præterquam quod eſt ex ſe ſatis manifeſta, confirmatur ex eo, quod bona Elocutionis pars in uerborum apta collocatione atque concinnitate, ut patet ex effectis ante numeratis, conſiſtit: ut omittã quod

aliquando Tullius dixit, eſſe ueluti numeri fontem. Et hinc eſt, quod licet multi latine ſcribant, cum nulla uoce utantur barbara, aut aliquid contra grammaticos canones peccent: tamen, quia collocandi artem ignorant, aut negligunt, eorum ſcripta non libenter leguntur, nec ipſi inter eloquentes numerantur. Vt itaq; parum prodeſſet ædium ædificatori lapides habere ſelectos, ligna perpolita, & alia cæmenta ad ædificandum idonea, ſi conſtruendi artē ignoraret: idem de eo dicas, qui bonorum uerborum haberet copiam, ſed quo ſint ponenda loco, neſciret. Et ut ex iiſdem teſſellis ignarus artifex turpe conficeret monſtrum, qui uero artis eſſet peritus pulcherrimum animal; ita qui hanc conſtruendę orationis artem ignorat, ex iiſdem uerbis monſtroſam conflaret orationem, ex quibus qui eam probe tenet, concinnam atque elegantem. Habet itaque recte componendi doctrina ad exornandam orationem uim præcipuam: quam ob cauſſam antiqui dicendi Magiſtri, quos docebant, eos ſpeciatim in uerborum compoſitione exercebant. Et, ut quid hæc ars poſſit & ualeat re ipſa explicetur, accipe ſententiam male conſtructam, exempli gratia iſtam, Filij temeritas comprobauit dictum ſapiens patris, cuius uerba male collocata, corrige hoc pacto, Patris dictum ſapiens,

piens, filij temeritas comprobauit: quam cum Carbo in concione ita pronuntiaſſet, totius cõcionis clamor, propter numerorum concinnitatem, excitatus eſt. Quantum autem ſit, ait Tullius, apte dicere, experiri licet, ſi, aut compoſiti Oratoris bene ſtructam collocationẽ diſſoluas permutatione uerborum, corrumpatur enim tota res; ut hæc noſtra in Corneliana, & deinceps omnia, Neque me diuitię mouent, et quæ ſequũntur: aut, ſi alicuius inconditi arripias diſſipatam aliquam ſententiam, eamque ordine uerborum paullum commutato, in quadrum redigas, efficiatur aptum quid, quod fuerit antea diffluens ac ſolutum. Huc referres illud quod Caligula de Senecę dictione dicere ſolitus eſt, ſibi tanquam arenam ſine calce uideri. Male igitur quidam artem hanc de verborum collocatione negligunt, & damnant: quod non tam quod ita ſentiant, faciunt, quam ut ſuam negligentiam excuſent, & alios a re ualde utili, inutilitatis ſpecie, remoueant. In orat.

Nona poſitio, ut compoſitionis non parua eſt habenda ratio, ita nimia quædam ac ſuperſtitioſa in ſeligendis aptandiſque verbis ſolicitudo, non eſt probanda. Hoc optimus compoſitionis magiſter docuit Cicero, cum dixit, Nec id tamen fiet operoſe: nam eſſet cum infinitus, tum puerilis labor, quod in Albutio a- Li. 3. ora.

 pud

pud Lucillium exagitauit Scæuola;

Quam lepide lex eis? compoſtę, ut teſſerulæ, omnes,

Arte pauimento, atque emblemate uermiculato.

Nolo tam minuta hęc conſtructio appareat: ſed ſtylus exercitatus efficiet facile hanc uiā componendi. Hoc idem uitium aliquando Perſius ironice quendam malum poetam laudans, eleganter notauit.

——Sic claudere uerſum,

Non ſecus ac ſi oculo rubricam dirigat uno.

Cum ergo, compoſitionis doctrina ad bonas orationes conficiendas, Oratoremque conſtituendum, ſit maxime neceſſaria, de ea hoc toto libro accurate, quantum in nobis erit, agemus.

Decima poſitio, optimo ordine in hac tractatione, prius de ſingulorum uerborum iunctura, poſtea de concinnitate, ac poſtremo de numero agetur, quam contra. Patet primum hæc doctrina, ex ijs, quæ in tertio fundamento adnotauimus, quam communis bonorum ſcriptorū confirmat auctoritas: Adde etiam quod numerus eſt ueluti quidam effectus uerborum ſimplicium apte collocatorum, quorum concinna collocatio, eſt numeroſę orationis cauſsa: atqui

rectius a cauſſis, quando non ſunt obſcura, quam ab effectis ſcribendi initium capitur: igitur. Vt omittam, quod diſputatio de numero eſt ſatis perplexa atque obſcura: at nobis innata eſt uia, ut a notioribus exordiamur. Atque ex dictis facile allatas rationes dilueres.

Li. 1. Phy. cap. 1.

De prima, quidquid ſit de ſimili in hac ratione allato, de quo ſequenti libro latius dicetur, nunc illud dixiſſe ſufficiat, idearum orationis naturam ſine coniunctorum uerborum pedum & numerorum doctrina nullo modo cognoſci poſſe; ac proinde ab his auſpicandum eſſe. De ſecunda, nihil priuatim dicam, cum ex ijs, quę diſputata ſunt, manifeſta ſit ſolutio. De tertia, alius eſt ordo quem ſecunda pars Rhetoricæ conſiderat, de quo iam integro libro diſſeruimus, ab eo qui in uerborum collocatione & iunctura ſpectatur, quem hoc loco nobis explicandum proponimus. De ultima, falſiſſimum eſt id, quod aſſumitur, ut ex ſuperioribus clarum eſt, & ex ſequentibus adhuc clarius fiet.

De uerborum iunctura, ſeu coagmentatione. Diſp. II.

EXPLICATA compoſitionis natura, ſequitur ut de eius partibus agamus; quarum prima in uerborum ratione, & in literarum ſyllabarumque conſecutione ſpectatur; quam coagmentationem Latini, Græci harmogen & baphen appellant. Et quoniam duo potiſſimum in hac parte ab omnibus fere ſcriptoribus præcipiuntur; alterum ut uocalium fugiamus concurſum; alterum ut conſonantes quæ aſpere ſonant, uitentur, ideo hãc doctrinam labefactare conabor.

Primum, quod attinet ad uocalium coniunctionem, Græci optimi dicendi magiſtri non uitant uocalium frequentationem, ut aliquando ſcripſit Tullius, qui de Platonis oratione loquens, dixit in ea eſſe crebram uocalium concurſionem: & experientia hoc idem cõfirmat; ſi quis paucos Homeri aut alterius Græci auctoris uerſus legat: quare, non erit fugienda, ſi Græci ea utuntur. Quid? quod etiam Cicero iſtius præceptionis apud latinos auctor, ut ſexcentis poſſet comprobari exemplis, eam non ſeruauit, ſed unum ſit inſtar omnium, cum dicit,

tit, Ego omni officio, ac potius, pietate erga te, cæteris ſatisfacio omnibus; Vide, quam parui fecerit iſtud præceptum, quod initio libri et epiſtolæ artificioſe conſcriptæ tam aperte neglexit. Deinde, quod attinet ad conſonantes, ſi quid in eis eſt aſperi, aut diſsoluti, id ſuis in locis, non modo non eſt fugiendum, ſed etiam ſtudioſe quærendum, ut uerba rebus de quibus agitur ſint accommodata, quod multum commendari ſolet: quare earum aſperitas uitanda non erit. Præterea, ſi iſta doctrina de uocalium concurſu fugiendo eſſet uera, non liceret dictionem ab eadem uocali qua præcedens finitur incipientem illi ſubijcere; quod tamen & rationi & Ciceronianę conſuetudini uidetur repugnare, igitur.

In hac diſputatione quod attinet ad uocalium concurſionem has poſſumus notare ſententias. Prima fuit eorum, qui quadam priuata diligentia uocalium hiatum uitarunt: ut Iſocrates, Theopompus, qui ob eam rem in hominum reprehenſionem incidit. In eadem ſententia uidentur fuiſse Latini poetę, qui ne hiare cogerentur, Synalœpham colliſionemque repererunt. Secunda aliorum, qui non putarunt hunc hiatum ſibi uitandum eſſe, ut Græci fere omnes, & pręſertim Poetę qui frequenter hiant, quos interdum imitantur Latini. Ideò Cic.

Tullius ſcriptum reliquit, ſæpius noſtri non tu liſſent; quod Græci laudare etiam ſolent. Tertiam poſſes fingere ſententiam eorum, qui uniuerſe docent, fugiendam eße uocalium concurſionem, ſed non omnium, nec ubique, ut postea planius docebitur. Solet etiam dubitari, an eiuſdem uocalis repetitio fugienda ſit, quod affirmare uidetur Fabius, qui hac de re ſatis obſcure loquitur. Alij contra ſentiũt, qui hoc cõcurrendi genere frequenter utuntur, ut Gellius ſcribit. Quod attinet ad conſonantes, eas fugiendas eße præcipitur, quæ ſi incidant ſtridere, & quaſi rixari uidentur, ut S, & R, & quod ſpectat ad S, Meßalla, nõ literam, ſed ſibilum eſſe aiebat, quæ idcirco ad colubri ſimilitudinem pingitur. Theßali, ita hanc literam fugiũt, ut eius loco ubique T, ſubſtituãt. At uero quidam huius literæ ſonum non omnino aſperum putant: & ſane Latini multa nomina à Græcis aſpirata, per S, pronuntiarunt; unde pro hepta, herpo, & hus, ſeptem, ſerpo, & ſus dixerunt: vt his dubitationibus ſatisfiat, hæc pono fundamenta.

Primum fundamentum, poßet aliquis hoc loco ſubtilius philoſophando de literarum natura, tum uniuerſe tum priuate de Latinis literis diſſerere, demonſtrando, cur aliquę nationes pluribus literis ſiue uocalibus, ſiue conſonan-

ſonātibus, & diphthongis, aliæ vero pauciori bus utantur: cur apud Latinos literarum numerus ſit recte aſſignatus, et id genus alia multa; quæ nos ſcienter miſſa facimus, cum ſint ab inſtituto noſtro nonnihil aliena. Verū quoniam tota iſta de ſuaui & aſpero, hiante, & contracto literarum ſono, ex naturali earum pronunciatione naſcitur, quod una uno oris habitu, alia alio, & interdum contrario pronuntietur, unde quædā naſcitur antitypia; i. literarum renitentia et quaſi fręni; ideo ne hęc de verborum coagmētatione doctrina ſine fundamento tradatur, de literarum ſono & pronuntiatione aliquid dicendum eſt. Oris partes, quibus literæ & uoces formantur, ſunt, guttur palatum, lingua, dētes, & labia: quibus inſtrumentis uariæ nationes, uario modo, utuntur; qua de re nos nihil: ad pronuntiationem igitur latinarum literarum accedamus. A, omnibus oris partibus iuuantibus pronuntiatur, ut integra erumpat, E, quod etiam figura ipſa deſignat, os & ſpiritum diſpertit. I, contractis omnibus fere partibus vix erumpit. O, vniuerſum os extendit, & in orbem contrahit. V, conun facit, & acutis labris effertur. Ex conſonantibus, mutæ, ſic dictæ, quod nullum ſine uocalibus ſonum exhibeant, uarijs partibus formantur. B, Labijs, G. palato & lingua,

Teren. Io. Gorop. li. 3.

D. dentibus, & lingua: Q gutture, & linguā tactu. At uero ſi preſſius pronunties, tres tenues formabis. P. labijs, C. Palato, T. lingua. At uero L, M, N, R, quæ liquidæ uocantur, quia ſpiritum comprimendo eliquant, nō nihil ſonant. L lingua & palato, M labijs, N. lingua & palato, R. dentibus, quaſi tremulo ſpiritu enunciatur. S. vero cum dentium contractione ſpiritu emiſſo, ſibilat: quo etiam duplices reuocares. Diphthongi ſonum quendā medium, & quaſi raptum obſcurumq; faciūt. Cum ergo, ut rudi quadā ratione expoſuimus, literę, contrario aut diuerſo oris habitu pronūtientur, una aperiendo, altera claudendo, alia lato, alia compreſſo, ore & ſpiritu, profecto ex illarum copulatione alius atq; alius efficietur ſonus: & illę male coniungentur, quæ antitypiam habent, quarum una uel altera facile corrumpetur, cum os diuerſos habitus ſuſcipere, & ſpiritus continuari non poſſit. Ob quam antitypiam in dictionum cōpoſitione literarum fit mutatio. Oritur etiam antitypia ob literarum ſimilitudinem, ut ob duas ſemiuocales, et mutas; vt, manum lauat: id te: ibi prolatio laborat, hic dirimitur. quare, miſcendæ ſunt mutæ cum ſemiuocalibus, & inter ſe diuerſæ mutæ, ut aſperitas uitetur, ut in poſitionibus planius dicetur.

Se-

Secundum fundamentum, literarum cõcurſio; quam priuatim coagmentationis doctrina conſiderat, vel eſt literarum uocalium, uel cõſonantium, uel utrarumque, aut ſyllabarum, uel in eadem, uel in duabus, conſequentibus, vel in pluribus dictionibus. In quibus ſpectari poteſt uel eiuſdem literæ repetitio, uel cum alia copulatio. Rurſus literarum aliæ ſunt ſonantiores, aliæ uero exiliores: aliæ uaſtius, aliæ preſſius ſonãt, ut ante dicebamus. Et ut uocales, ſi male collocentur, hiulcam & biantem orationem faciunt, ita conſonantes aſperam, & ſubſilientem. quare, aliqua monſtranda eſt uia qua hiatus et aſperitas uitentur, ut oratio ſuauiter & apte fluat.

Tertium fundamentũ, cum hæc doctrina de verborum coagmentatione a quibuſdam nimis late, ab alijs nimis ſtricte, & a multis obſcure, & imperfecte tradatur, nos, ut rem ſatis perplexam & fuſam, breuiter planeq; explicemus, omnia ad quaſdam poſitiones reuocabimus, ac primum de uocalium, tum de conſonantium concurſione dicemus, ac poſtremo de earum miſtione, demõſtrando quę bene, quæ ue male concurrant, unã cum alijs comparando, & quidem de uocalibus ita ſtatuo.

Prima poſitio, iunctura debet eſſe cõcinna et elegans. Erit autẽ talis, ſi literarum & uer

borum

borum concurſus non fuerit aſper, aut hiulcus ſed quodammodo coagmentatus, & lenis; ita ut neque hiet, nec hęreat, aut ſubſiliat oratio, ſed æquabiliter, & ſuauiter fluat, & nulla inter extremas antecedẽtium uerborum ſyllabas, & ſequentium primas, appareat rima: ut hic apparet, Glauco & Panopeæ, & Ionio Melicertæ: Propterea Perſius de iunctura loquens, aiebat.

——quis enim? niſi carmina molli.
Nunc demum numero fluere? ut per leue ſeueros
Effundat iunctura ungues.——

Secunda, vt apta ſit uerborum iunctura fugiendus eſt creber uocalium, præſertim longarum & magis ſonãtium, concurſus. Catholicum eſt præceptum, & uniuerſe loquendo, ſeruandum. Nam, cum uocales concurrunt, oratio hiat, & interſiſtit, & quaſi laborat: ut ſi diceres, Ranxie adipiſci, atq; adepta egere, auari animi eſt: Hinc eſt, quod Demoſthenes oratorum princeps uocalium concurſionem, ut Tullius refert, magna ex parte ut uitioſam fugit. Tertia, longarum uocalium ſonus eſt longe uaſtior, quam breuium, & ideo magis illarũ quã iſtarum frequentatio fugienda erit: in illis enim apertius, in his obſcurius erit uitium; cũ hę celerius, quam illæ fluant; ut, in loco arduo

in adunco hamo. Vnde colligeres, nos, tum in ſcribendo, tum in loquendo errare, qui uocales quas antiqui elidebant, coniungimus & id ſegregamus, quod ipſi, ut hiatum fugerẽt, miſcebant. Quare uocalium concurſus eliſione tollendus eſt. Quarta poſitio, A. & O. ex uocalibus maxime ſonant. Illa enim, ut diximus, toto & aperto ore, hæc rotundo, & diſtento profertur: reliquæ non ita, ex quibus, E uocalior eſt, quam I, & V, & V, quam I. Quo fit, ut A & O: male cohęreant. Quincta, A & E, ruſtice ſonant, propterea à Græcis colliduntur, quare non erunt ſępe coniungendæ: At uero E, et A, ut minus diſſonæ ſæpius finitimæ ſunt: ut, uoluntate ad ea arma profectus ſum. Sexta, A & I. biulcam & agreſtem efficiunt uocem: ut in his aulai, ſyluai, frondoſai quas uoces a ueteribus uſurpatas poſteriores repudiarunt coniungit tamen eas interdum Cicero: vt. In prouincia pacatiſſima ita ſe geſſit, ut ei pacem eſſe expediret, At uero I, & A, ut ſuauius audiuntur, ita etiam ſępius conferuntur. Septima. A, & V. uocem uaſte patentem & inuiſam efficiũt, quã ob cauſſam iunxerũt eas Latini: ut audio, plaudo, fraus, laus. Ideo hæc muſa una, ſilua uritur, humida uligo, ſubagreſtia ſunt: iunxit tamen interdum Cicero. At uero V, & A magis urbane congrediuntur, ut difficili

ficili

ficili aſcenſu atq; arduo. Octaua O, & E, minus hiant; ſed inſuauia sũt; ut, æquo aĩo, exiſtimo ẽt: ſi cõmutentur, melius coeunt: ut, quare omniũ rerũ una reprehenſio eſt. Nona, O, & I, cum ſeparantur in iunctura abſona ſunt, & maxime ſi O producatur, ideo a Græcis, ſubſcribitur Iota: at ſi diphthongum faciant, non male ſonant. quod ſi O, ſit breue, magis fluit, nec tam diu in ore immurmurat: ut, homini, tempori: A uero I, & O, nihil diſſonant: ut, tam graui onere, deceſſionem. Idem fere dicas, de O, & V, quæ adiũctæ hiant; vt, colligo uuas amputo ulmos, a tergo urgetur: coniunxit tamen Cicero cum dixit, quouſq; tandem abutere: At uero, V, & O, non male cohęrent: ut ſtatuo, diluo, ſuo. Decima, cęterę uocales, ne in omnibus ſine neceſſitate diutius immorer, non male concurrunt: ut ſecunda cũ tertia & quincta, tertia cum quarta, tertia, & quincta cum ſecunda, & quincta, cum tertia; ac proinde multo ſępius in ordine uerborum committuntur: Quod eſſe verum, facile intelliges ſi aurium adhibebis iudicium: ut, quamobrem ſi mihi unus eſt accuſandus, propemodum manere in inſtituto meo videor. Vndecima, fugiẽda etiam eſt uocalium tenuium multitudo. Hanc n. ob cauſſam, ſpeciei, progeniei, mollitiei, & huius generis caſus, uix apud bonos auctores

inue-

inuenies. Breues vero interim placent: ut, Huc coeamus ait. Duodecima, *vocalis quæ erat in fine pręcedentis dictionis, in principio ſequentis repetitio, non eſt omnino fugienda. Quoniam, cum eodem oris habitu pronuntietur, nec plus una longa auribus percipiatur, talis coagmentatio nullam fœditatem parit. Ade etiam uſum Ciceronis, ex quo multa poſsēt proferri exempla; ſed unum uel alterum ſufficiat. Quoties eſt illa cauſſa a nobis acta: Breui tempore eſse perituram: obſecrabo obteſtaborq; uos iudices.* Decimatertia, *vocalium cõcurſus et hiatus non eſt ita fugiendus, ut interdum ſuis locis, & ex quadam negligentia non ingrata, admitti non poſſit. Patet hęc doctrina, primum ex conſuetudine bonorum ſcriptorum, & maxime M. Tullij, qui, ut nec etiam Demoſthenes, non fuit in hac re nimis religioſus. Deinde hoc idem fatetur Fabius, qui uocalium concurſionem ait habere quiddam molle, neque eſse, ut ingens crimen, expaueſcendã ſeq; neſcire affirmat, an in hoc negligentia, an ſolicitudo ſit peior: ait tandem hiulca interdũ decere facereq; ampliora quædam. Quare, ut diligentia & cura, ita negligentia interdum orationem decet.* Decimaquarta, *hiulca oratio magis eſt in vſu apud Græcos, quam apud Latinos. Patet hoc bonorum vtriuſque linguæ* Fab.

guæ ſcriptorum obſeruatione, & ſane qui orientis ſolis regiones incolunt populi, magis aſpiratione gaudent, quam qui occidentis plagas habitant. & maiore quadam literarum uaſtitate atq; craſſiore. Aſperitas minus offendet Germanos, ſicuti hiatus Luſitanos. Diximus de uocalibus, ſequitur ut de cõſonãtibus dicamus de quibus ſuo ordine diſſerẽdo, quãdo molliter, quando ve aſpere concurrant, quibuſdam poſitionibus docebo. Decimaquincta, B, labiorum litera dum profertur, os claudit, et ideo cum illis male cohęret, quæ contrario modo proferuntur, & raro in fine ponitur; ut in ab, ob, ſub, nec ulli ſequentium eſt familiaris, niſi I, conſonanti: quamuis Liuius etiam quibuſdã alijs præferat: at Romanis aliter uiſum eſt, qui uocalibus præponunt. Quod ſi eis aſpere ſonare non uiſum eſset, non molliuiſſent, dicendo, aufer, amouit, abſcedit, abſtulit, licet in quibuſdam dictionibus, ut in abdit, abnuit, id efficere non potuerint. Et ut B, conſonantibus ſubiecta obluctatnr, ita appoſita nonnihil reſiſtit, niſi quando ſubſequitur C, D, M, R, S, T, X. qua compoſitione, licet ſit aſpera, tamen utitur Cicero. Decimaſexta, C, palatilitera raro latinum uerbum claudit, & rarius græcum: cohæret tamen facile cum, C, Q, ut accedit, acquiro, hoc crimen, hanc quæſtionem.

At

At uero cum alijs conſonantibus, ob ſuam tenuitatem, obſcurum quid ſonat: ut, hoc ferro, hac dextera, ac iuſſit, ac tales: a quibuſdã, ut, ab, S, & T, mollius excipitur. Et cum multa uerba ab ea principium ducant, frequentius ſequitur: ſed ut nec grauiter offendit, ita nec multum delectat: ut, ſed condita ſeruo, Pan curat oues, herbas contundit. Sed literis L, N, R, S, & T. melius occurrit, cum eodem pene oris pronuntientur habitu. Idem iudicium faceres de litera Q, ei cognata: quæ tamen nunquam uocem claudit. Quod autem hę duę literę cognatæ appellari poſſint, ex eo conſtat, quod, ut aliqui ſcripſerunt, Q, olim a literarũ numero eßet excluſa, cuius loco, C, utebantur. Decimaſeptima, D litera linguæ, mollitur in C, F, G, L, N, P, R, S, & T. ut, accedit, affinis, aggreditur, alluit, annectit, apparet, arripit, aſſuit, atterit: aliqui tamen, adſuit, & ammouet, non admouet dicunt. Eadem repetita, nihil offendit: ut, quid dicam, haud dubie. Alijs iungitur, non ſine aliqua offenſione: ut, aliud mercedis, illa ſeges demum, tondent dumeta, Verum cum illis quę eodem pene oris habitu pronuntiantur, ſuauius cohęret, ut cum L. N, S. T. Decimaoctaua, F litera labiorum, in Romana lingua poſtremum locum non obtinet: unde in iunctur æ commiſſione ſemper ap- Vel.long.

poni-

ponitur: ſuauiſſime ſequitur M, & S, amice, T non omnino aſpere: ut, Neſcia mẽs hominũ fati, noctem flammis funalia uincunt, & frangere ſaxo. Cæteras minus urbane ſequitur: ſed famam, ſic fatur, in fluctu. Decimanona poſitio, G, litera palati, nulli uerbo Latino eſt finis: paullo robuſtius ſonat, quam C, cui eſt cognata, multis uocibus eſt principium: de cuius coniunctione idem dicas, quod de C, eſt dictum, niſi quod aliquanto fortius ſonat. Vigeſima poſitio I conſonans non aſperat ſonum prioris, niſi cum uehementius effertur, & eodem fere modo pronuntiatur, ut G, Ab Ioue, hic Iuno, haud iustus, horridus in iaculis.

Vigeſimaprima, L, litera linguæ, eſt per ſe mollis & tenera, non tamen omnibus facilis & obuia; ut in his patet exemplis: alluſit, illexit, pellexit, colluſtrauit, elegit, non elexit, alluſit, aliȷs grate occurrit; ut albus, alnus, algor, altus, lucus: at R, & X, aſpere ſequuntur. Succedit tamen ſuauiter literis M, N, & nonnullis aliȷs: uerum mollius antecedit, quã ſequatur C, D, T. Quare non eſt omnium ſuauiſſima, ut quidam putarunt Vigeſimaſecunda M, litera labiorum, elementum ſuauiſſimũ, his conſonantibus B, F, L. M, P. & V conſonanti, optime præponitur, reliquis haud peſſime: quoniam illæ eodem pene pronuntiantur modo.

modo. ſi in initio uocis fuerint literæ, quæ ſine auxilio labiorum efferuntur, ut ſunt C, D, G, L, N, Q, R, S, T, X, Z, aſpere ſubſequuntur M, ut, Nunquam ad conſilium caſus admittitur, priſtinam dignitatem, ſocietatem gloriæ. Ideo linguæ latinæ conditores in ſimplicibus uocibus dixerunt, ancilla, induit, angit, canna, unquam, anxius, quod N, ab iis conſonātibus minus diſſentiat. Cæterum poſt C, D, T, minus apte, quam poſt, B, L, R, S, collocatur. Nō diſſentit tamen ab I conſonanti: ut, memorem Iunonis ob iram. Vigeſimatertia, N, litera linguæ, ante L. & R. uocem facit inſuauem, ideo illino, irruo per antitypiam dicimus: & repetita, ſiccitatem quandam habet, ut in canna, ſed tamen non omnino fugiendam: ante X, durius collocatur, poſt Z, mollius: ante B, M, P, quia duram facit compoſitionem, tranſit in M: præcedit tamen interdum iſtas literas, ſed in alia dictione: ut, in bello, in pace, non modo, I conſonanti non male præponitur, at a C, D, & T, nonnihil diſſentit: ſed poſt B. L. R, & S, melius collocatur. Denique, in fine gratiſſimum quendam edit ſonum, ut, delphin: M contra ruſtice ſonat: ut. rudentum. Vigeſimaquarta, P litera labiorum, cum ſubſequitur M, ſuauiter ſonat; cum cæteras, nō grauiter offendit, ut, Ad populum phaleras, obtinere non potuit,

nos patriam fugimus. Vigeſimaquincta, R, litera dentium, caninum quid redolet: ac proinde non frequentāda ab eo, qui ſuauitatē amat: Ante mutas, & I, & V, conſonantes, eſt minus horrida: ut uir bonus, ter cęlo, contemptor diuum. Nec multo grauius, ante M, N, & S, exhorreſcit, ſed ante L, aſperior; ut raduntur littora: dure ſibi occurrit; ut, maior rerum. Appoſita uero, ut apertius auditur, ita uidetur immanior: ut hæc reſponſa, ad regem, in regnum. Vigeſimaſexta poſitio, S litera dentium, agreſtem moleſtumque ſonum edit, ideo in fine uerbi antiqui ſcriptores eam detrahebant, ni in ſequebatur uocalis: & ita dicebant, optimu' princeps, & uita illa dignu' locoque: ſed hæc conſuetudo, ut minus urbana, a poſterioribus ſublata fuit. Non male ſonat cum T, ſubſequitur: ut, in manibus tabulas habentem: cū alijs quoque connectitur, & nihil habet durū, ex ſe, in coagmentatione: ſed non eſt in eodem loco frequentanda, quia ſibilat, & euaneſcit.

Cic. in Orat.

Vigeſimaſeptima, T litera linguæ, eſt tenuis & quidem magis, quam D, ac proinde, ex ſe, minus offendit, & aliarum coagmentationem non refugit. Vigeſimaoctaua, V, conſonans, nō diſſilit in iunctura, niſi aſperior illi committatur: ut, ſub ubere, in uota uocauit, per uarios caſus.

Vigeſimanona, X litera duplex, quæ in ſe continet, C S, uel G S, aſpere concurſionis eſt ut, ex mea, ex cuiuſdam, uix tenuis: ob quam aſperitatem in e mollitur, ut cum dicimus, e nubibus, e mundo, e multis.

Trigeſima, Z litera duplex, quę continet duo SS, ſuauiſſima cenſetur; ut in his patet exemplis, Nec Zephyros, intendunt Zephyri, & Zephyro. Trigeſimaprima, in componendo fugienda eſt eiuſdem literę crebra repetitio quæ accidere ſolet cum plura uerba ab eadem litera ducunt initium: ut, cauum conuerſa cuſpide; ubi uides Cappaciſmum: libera lingua loquitur, hic Lãbdaciſmum. Similiter aſpiratio repetita, non placet, ut huic homini. Verũ F, M, & V, conſonans minore cum offenſione repetuntur. Similiter, nõ commode frequentãtur literæ quæ ſunt fere eædem: &, eadem ſæpius male inſeritur: ut, quantum ei debeam alio loco oſtendam: Male etiam capitur initium ab ijs literis, quæ præcedentis uocis erant ultimæ, uel ultimis finitimæ: ut nonnulli literati, ſibila lambebant: manu ualida lacerare, ferant rapidi ſecum, terrã inter, unda dehiſcẽs, ſæculi labes. Fugies hoc uitium mutando uocem: Vnde Virgilius dixit, Argolicas foedare latebras, non lacerare. Fugiendum etiam eſt illud cacophaton, quod obſcænum facit intelle-

 ctum;

ctum;ut, ſi Ca & Ca, Cum & No, iungantur: unde non dices, Cæca caligine, nec, cum nobis, Italicum nomen: quoniam iſta obſcæne & ſordide coeunt. Vitabitur hoc uitium, ſi uerbum interponatur, ut Cicero facit, hoc modo, Cum hoc nouæ litis genus, non, cum nouæ. cum is nō ſolum: quamuis non ſemper hoc fugerit Tullius; qui aliquando Cum non, dixit. In ſumma; ut Fabius ait, cauendum eſt, ne ſyllabæ ultimę uerbi prioris ſint primæ ſequentis, quod Ciceroni excidit, Res mihi inuiſæ uiſæ ſunt: & in hoc carmine, ſi tamen hic aliquid uitij notari poteſt,

O fortunatam natam me conſule Romam.

Enni. *Item in his, Orator ſine pace redit, regique refert rem. Frugigera & ferta arua Aſia tenet:*

Tibul. *Trigeſimaſecunda, aſpera iunctura, ut eſt præcipue illa, in qua multæ concurrunt conſonantes, ſpeciatim fugienda eſt: ut, dolens regina: poſt meridiem: ingens ſtridor: urbs prçclara, Ideo antiqui pomeridianum, non poſt meredianum dicebant. Quod autem erit uitij in compoſitione, id minus in ijs ſentietur, quæ interſpiratione diducuntur, quam in ijs, quę uno conatu proferuntur, hoc eſt in duabus uocibus, quam in una. Trigeſimatertia, cum in compoſitione uocalis iungitur conſonanti, aut uo-*

tali conſonans, uerba ſuauiter fluunt, Et nullum admittunt hiatum: ut,

Parce metu, Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi:

Pauca mihi uidentur eſſe de prouinciæ dignitate, uetuſtate, utilitate dicenda. Verum litera M. in fine uocis propter offenſionem quam parit præpoſita uocali uel eximitur, ut ſupra diximus: uel obſcuratur: ſed minus apte ab A, & O, quam ab I, & V excipitur; cum illæ remotiores ſint ab M; quam iſtæ, quod ad pronũtiationem attinet. Trigeſimaquarta, licet, uniuerſe loquendo, aſper, obſcurus, tardus & dilatatus literarum concurſus fugiendus ſit: tamen ſuis locis, artis eſt hos ſonos adhibere. Quare R, non uitabitur, cum ira, furor, indignatio, & aſperitas explicanda erunt: & ſi quis repetendo, aut enumerando eandem literam, uel uocem geminaret, nihil peccabit: ſimiliter ſi ex induſtria in re leuiore literarum, aut ſyllabarum repetitione luderet. Quare male damnantur illæ repetitiones, Fortunatam natam, & inuiſę uiſæ in Cicerone: alias damnentur ſimiliter cadentia, & deſinentia. Non igitur in his qualitas, ſed potius quantitas improbanda erit. Fab.

Reliquũ eſſet, ut ad argumẽta initio huius

diſputationis allata reſponderem, quod facerē, niſi ex tradita doctrina, quo pacto ſoluenda ſint, apertum eſſet: illis igitur omiſſis, ad aliam diſputationem progrediamur.

Traduntur aliqui communes loci ad aptam uerborum collocationem pertinentes. Diſputatio III.

EXTITERVNT nonnulli *ſuauitatis concinnitatiſque dicendi amatores, qui ex certa quadā partium orationis coniunctione, ſonum quendam magis ſuauem atque fluentem fieri animaduerterunt. Placet ergo ad utilitatem eorum, qui non multum operæ in numero quærendo, uerbiſque coagmentandis ponere uolūt, quaſdam obſeruationes hinc inde collectas, hoc loco recenſere, quas qui in oratione conſtruenda ſeruabit, & ſuauiter, et aliquo pacto numeroſe dicet. Quæ obſeruationes ut ſpernendæ non ſunt, ita pro perpetuis regulis habendæ non erunt. Prima ſubſtantiua apte præcedunt, pronomina adiectiua; ut Laus tua, labor noſter: nomina comparatiua, ut amicus gratior, ſuperlatiua, ut uirtus maxima: numeralia, ut, annus tertius, ante diem ſepti-*

by Google

ſeptimum, liber unus: & adiectiua non plena, ut ſunt omnis, nullus: ut, dij oẽs, rerũ omniũ, præmia nulla, facultas nulla, & hæc, Alius alienus, alter, uterque ſolus, ullus, talis, ſinguli, & compoſita, a qui, quæ, quod: ut, timor quidam, dulcedo quędam: Dicimus, omne id, unum id, & id unum, nihil aliud, alius quiſpiam. At uero ſubſtantiua aliis adiectiuis ſæpius poſtponuntur, niſi adiectiua ſint diſyllaba: ut, ampla domus, boni uiri, ingenia parua, gloria ſera. Secunda, duo adiectiua plena, uni ſubſtantiuo ſine coniunctione, non uniuntur; adiectiua uero non plena, omnis, nullus, & numeralia, maxime: ut omnis mea cura, & omnis maxima cura: at uero, non dicimus, utilis honeſta cura. Tertia, inter adiectiuum & ſubſtantiuum aliquid ornate ponitur: ut, dies plerunque totos, ipſe lenibit dies. Quarta, inter adiectiua nominalia copulata apte aliquid inſeritur: ut, egregia quædam & pręclara laus, magna profecto & laudanda uirtus. Similiter pronomen adiectiuum inter aliud adiectiuum & ſubſtantiuum, ut admirabilis tua uirtus: Et pronomen unius ſpeciei belle præponitur pronomini alterius ſpeciei: ut, tuæ mihi literę, & literæ mihi tuæ. Quincta, quę alias coiunctim dicuntur, eleganter aliquo uerbo interiecto diuiduntur; ut, poſtea uero

quam, parui id facit, maximo te opere diligo; & ſine interpoſitione; non ullis cognita temporibus, id efficere non queo. Similiter, quæ numerum ſignificant diuiduntur, & maior numerus poſtponitur minori; ut, unum & uiginti; ſed nō ſemper. Sexta, genitiuus ante caſum a quo regitur; ut uirtutis gloria, omnium princeps, hominū ſtudia, Romanæ eccleſiæ Pōtifici qui obediunt, aberrant nunquam. Similiter dandi caſus apte præcedit; ut, ſtudiis qui ſe tradunt, ſibi maxime conſulunt. Septima, relatiuum antecedenti uenuſte præponitur, quod eſt Ciceroni ualde familiare; ut, quę tibi grata eſſe cognoui, ea ad te ſcripſi: qui diuitias parare uolunt, ij ſtudia contemnunt: quibus in rebus homines delectantur, eas laudant. Similiter interdum aliquid apte antecedit: ut beatam Virginem omnes colere deberent, quæ eſt peccantium refugium. Non male interdum relatiua copulantur; ut, id quod feci; pro, quam rem feci. Octaua, inter particulas redditiuas ſonore aliquid interſeritur; ut, quanto ſuperiores ſimus, tanto nos ſummiſſius geramus. Nona, præpoſitio diſyllaba ſępe poſtponitur, præſertim, cum, uſque, uerſus, & alię; tenus, uero ſemper; ut quibus cum, qui cum, qua de, hæc inter, Italiam contra, quem penes, quem ultra: belle etiam interponitur; ut, his de rebus, pau-

cis

cis poſt diebus, quamuis hic ſit aduerbium: amor erga te meus, uoluntas in me tua. Decima, ſi, non in principio, ſed in ſecundo loco uenuſte ponitur: ut, id ſi, feceris, amantem te ſi neglexeris: idem dicas de, ni, & niſi. Vndecima, uocatiuus poſt pronomen elegantius ponitur. quam contra: ut mi Antoni, mi Leli, tuus Brute: ſic, Cuius, ſuo ſubſtantiuo: ut cuius e ludo, cuius cum patre: at uero cum non adeſt præpoſitio poſtponitur, licet non perpetuo. Duodecima que, copulatiua particula, poſt dictiones polyſyllabas, & adiectiuum omne, totum & pronomina, & poſt particulas non inclinatas; ut, grauiſſimiſque poenis, omneſque, ſecumq; eiuſque, & monoſyllabas, meque, ſeque. Decimatertia, Quam, inter duo uocabula, ſequente comparatiuo: ut, boni, quam docti mihi gratiores ſunt: eius nomen, quam Solonis illuſtrius. Poſtponitur comparatiuo, & inter duo comparatiua: ut, clarius, quam uerius. Decimaquarta, interdum aliquid detrahitur concinnitatis gratia: ut, breui, paucis, recta veniam, ubi aliquid ſubintelligitur: legendis noſtris. Contra, aliquid additur; ut ubi gentiũ, ubi terrarum. Decimaquincta, ſæpe uerba contrahuntur, ut ſuauius ſonent: ut noſti, pro nouiſti, fabrum, pro fabrorum, putaram, pro putaueram, et ſimilia. Decimaſexta, contraria

pro-

proxime collocantur: ut religioſis profana non placent: & relata, uxor marito pareat: & diuerſa, diuinis humana comparare: & idem uocabulum in diuerſo caſu repetitum, ut digna dignis, homo homini lupus; qui uitare poteſt, uitet; & uocabulum deflexum prope illud a quo deducitur, ante mortem mortua, dulce dulcior, Chriſo, chriſotera dixit quidam poeta Græcus, hoc eſt, auro magis aurea: & uocabula quæ ſunt ſimilia, uel unum eſse uidentur, Azacrà. *quid agas, ubique ſis, tulit, fecitque puer; reſonant arbuſta cicadis. Decimaſeptima, oratio, uniuerſe loquẽdo, uenuſte uerbo finito clauditur, & nomine polyſyllabo, & multo uenuſtius uocabulo negatiuo; ut ſunt nemo, nullus, nunquam: & uerbo eſt, præſertim præcedente adiectiuo, & participio, & particula, non. Eædem recte collocantur in principio: ut, Nemo eſt, nihil eſt, audiendum eſt, abijcienda nõ ſunt. Decimaoctaua, aduerbia in o, terminata elegãter ante uocem comparatiuam: ut aliquanto melior, tanto audacior: & paullo ante, paullo poſt: quæ aliquando adiectiuis poſtponuntur: honeſtior aliquanto, grauius multo. Decimanona, aduerbium apte ſuo adhæret uerbo; ſapienter fecit, id, ut & alia omnia eleganter dixit, cuius loco recte uſurpatur ſubſtantiuum cum adiectiuo in caſu auferendi; ut magna cũ ſapien-*

ſapientia, pro ſapienter, egit: conſtanti animo, pro conſtanter. Vigeſima, qui apte & ſonore uoluerit dicere, gerūdijs, ſupinis, participijſq; omnium temporum utatur; ut, res ſcitu digna, lecturus ueni, te audiente dixit. Vigeſima, particularum, hoc eſt aduerbiorū, coniunctionum, præpoſitionumque aptus uſus mirum in modum illuſtrat, amplificat, ac ſonoram reddit orationem: ac proinde apte dicere uolenti, omnino animaduertendus erit: qua de re integri ſcribuntur libri. Et quoniam bene dicendi uim non tam in his obſeruationibus, quam in numeri oratorij doctrina, poſitam eſſe pro confeſſo habendum eſt, has paucas attuliſſe ſufficiat. Plura qui cupit, Iacobi Publicij inſtitutiones, & Franciſci Syluij progymnaſmata legat.

Scor. Iac. Omph. cap. de uerb. iunctura.

De quibuſdam ornamentis, quę ſua ſponte orationem numeroſam faciunt. Diſputatio IIII.

MVLTAE ſunt orationis formæ, quæ ideo inter ſchemata recenſentur, quod in ſe numerum & harmoniam quandam continere uidentur: vt ſunt præſertim nonnulla verborum ornamenta, quæ

numeroſam quandam concinnitatem habent; de quibus hac diſputatione, acturi ſumus. Inter alia autem orationis ſchemata, in quibus numeroſa ſentitur concinnitas, quattuor a M. Tullio numerantur, ſimiliter deſinentia, ſimiliter cadentia, membra paria, atq; contraria. Quod autẽ in his nihil poſſit eſſe numeroſum, aut ſi eſt, non eſſe quęrendum, his rationibus demonſtrares.

In Orat.

Primum, ea ſententia dicenda eſt numeroſa, in qua eſt numerus, ſicuti eam rem diceres candidam, in qua eſſet candor: atqui in ſchematis conficiendis nulla habetur pedum ratio cum tamẽ ex illis omnis conficiatur numerus, igitur. Deinde, multa ſunt quæ ſimiliter cadunt, in quibus nulla eſt numeroſa concinnitas, igitur: quod ſumptum fuit, patet in hoc homoeoptoto. Et, ſi quantum in agro locisq; deſertis audacia poteſt, tantũ in foro atq; in iudicijs impudentia ualeret, non minus in cauſſa cederet A. Cęcinna Sex. Ebutij impudentię quam tum in ui facienda ceſſit audaciæ. Hic ſunt multi caſus ſimiles, at numeroſi exauditur nihil. Præterea ſimiliter deſinentia non poſſunt fieri ſine literarum & ſyllabarum ſimilium repetitione, quam ſupra, de iunctura agentes, damnauimus: quare in his nulla eſſe poterit numeroſa concinnitas, quæ ex apta

Pro Cęc.

iunctura

iunctura naſcitur. Denique, in his figuris nec pedum, nec ſyllabarum, quantitas, vel numerus ſpectatur, immo neque membrorum æqualitas: quo igitur pacto poſſunt numeroſe cadere? & quoniam in hac diſputatione nullæ mihi occurrunt citandæ ſententiæ, nec, ob rei, qua de agitur perſpicuitatem, aliquod fundamentum eſt neceſſario ponendum, quæ de numeroſa concinnitate dicenda ſunt, quibuſdam poſitionibus complectar.

Prima poſitio, numerus, & numeroſa concinnitas plurimum inter ſe diſtant. Primum, numerus longa & breuia ſyllabarum tempora metitur, & ex illorum temperata compoſitione demulcet aures: at vero figura, aut ex partium æquabilitate, aut ex ſimili concentu voluptatem creat. Deinde, numerus latius vagari poteſt, & in toto orationis ambitu ſpatiari, & modo in maiori, modo in minori excurſione: at vero figura numeroſa certis continetur terminis, vt, ſi uel latius fluat, aut nimis ſe contineat, nihil ſuauitatis ad aures deferat. Denique, numeroſa concinnitas eſt aperta, quam etiam ineruditæ aures ſentiunt: numerus occultus, hic fere ſemper, & vbique adhibetur, illa non item; hic maioris, illa minoris eſt artis: hic quæritur, illa ſeſe vltro offert: numerus ſine concinnitate erit,

at

at concinnitas ſine aliquo numero eſſe non poteſt, qui neceſſario cōcinnitatis figuras conſequitur. Sunt igitur aliquæ figuræ numeroſæ, ſed non numerus. Quare numeroſum eſt, non quidquid e numeris conſtat, ſed quod elocutionis aliqua voluptate gratum, refertur ad modulationem.

Secunda poſitio, homoeoteleuta, hoc eſt, ſimiliter deſinentia, vel finientia dicuntur verba, quæ literis eiſdem concluſa in clauſulis orationum proximarum ponuntur: Vt, Ille deos deorum ſpolijs ornare uoluit, hic ornamēta Mineruæ virginis in meritriciam domum tranſtulit. Ergo & mihi meæ priſtinæ vitę conſuetudinem C. Cęſar intercluſam aperuiſti, & his omnibus ad bene de omni rep. ſperandū quaſi ſignum aliquod dediſti. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduerſariū nobilitate, ingenio, virtute præſtantem, non modo extollere iacentē, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem, hæc qui facit, non ego cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.

Tertia poſitio, ſimiliter deſinentia apta sūt facere concinnitatem numeroſam, tum ob illā ſimilem terminationem, tum etiam ob æqualitatem membrorum & partium, quibus conſtant, cum eaſdem fere numero ſyllabas habeant.

beant. Ex illa itaque quaſi menſura numeroſum quiddam naſcitur; ac etiam ex illa finiē di ſimilitudine, in qua aures acquieſcunt, & oblectantur, concentus quidam proficiſcitur; ex quibus numeroſa efficitur concinnitas; vt, Accuſant ij, qui in fortunas huius inuaſerūt: cauſſam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Qui diligebant hunc, illi fauebant: qui admirabantur hunc, illū probabant: qui denique huius nomen audiuerant, illū eruditum & perfectum exiſtimabant. Et ſane, ſi qui rhythmos Italicos conficiunt, quamuis in illam nonmultum gratam ſimilitudinem, in qua perpetuo verſantur, finiant ob eandem deſinentiam, atque certum ſyllabarum numerū, & numeroſe & concinne canere putantur, & a pleriſq; Oratores ob rhythmum, & Poetę ob certum numerum habentur, cur non etiam Orator, apte & numeroſe dicet, cum paria & ſimiliter deſinentia adhibebit?

Quarta poſitio, hoc ſchema, vt apte extrema extremis & media medijs accommodentur, non requirit parem ſyllabarum numerum, ſed vt ad prope ęqualem magnitudinem extendantur, immo, ſi extrema pars erit aliquanto longior, totus ambitus magis numeroſe cadet: vt in allato exemplo patet. Quod autem ad membra parteſue huius ſchematis attinet,

tinet, pauciores ſint, cum ſtudio & arte quæruntur: quando vero ſponte ſua iidem caſus occurſant, ita ut alio reiici non queant, ſeptē, & octo, & aliquando plura membra eodem fine claudere, bonorum auctorum exemplo, licebit. Quare, interdum plura, interdum pauciora, aliquando longiora, aliquando breuiora; alias paria, alias imparia erunt, & alias arte quæruntur, alias in calamum non vocata incidunt. Cæterum quanto hoc ſchema pulchrius & apertius eſt, tanto parcius eo vtendum erit. Natura ſiquidem voluptates honeſtas ſuadet; ſed ars ſuum interponit iudiciū, approbando, aut improbando, aut adiiciendo cum deeſt, aut reiiciendo cum ſupereſt.

Quinta poſitio, ſimiliter cadens græce homoeoptoton, eſt, cum in eadem conſtructione verborum, duo aut plura ſunt verba, quæ iiſdem caſibus ſimiliter efferuntur. Ex qua deſcriptione colligeres ſolum fieri in partibus orationis, quæ declinantur; at vero ſuperior in omnibus fit.

Ariſt. Heren.

Rurſus, fit hæc figura cum caſus veluti ex contraria parte ſibi reſpondent; nec tantum, ut ait Fabius, in fine deprehenditur, ſed reſpondent, vel prima inter ſe, vel mediis, vel extremis, vel etiam permutatis his, vt media primis, & ſumma mediis accommodentur, &

quo-

quocunque modo accommodari poterunt: at homoeoteleuton eſt in extrema parte duarum, aut plurium ſententiarum: id ſi uerum eſt, hic non erit homoeoptoton, Soleo ſępe ante oculos ponere, idque libenter crebris uſurpare ſermonibus, omnes noſtrorum imperatorum, omnes cæterarum gentium, potentiſſimorumque populorum, omnes clariſſimorum Regum res geſtas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec uarietate regionũ, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum poſſe comparari. ſunt hic ſimiles caſus; ſed quia non reſpõdent ex aduerſo, ſimiliter cadentium ſuauitatem non habent. Homæoptota igitur ſunt quorum extrema ſimilem referunt in cadendo ſonum, ſibique ex aduerſo reſpondent, ut hæc, Non illæ ſunt uirtutes imperatoriæ quæ uulgo exiſtimantur, labor in negocijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo. Item, Cum hæc ita ſint, ſtatuite quid uos tempora reip. de armatis hominibus, quid illius confeſſio de ui, quid noſtra deciſio de æquitate, quid ratio interdicti de iure admoneat, ut iudicetis: ubi uides, ut, Confeſſio, deciſio, ratio, commode reddita concinnitatem pariant. Item, Ego huic cauſſæ patronus extiti, non electus unus, qui maximo ingenio, ſed re

Pro M. Mar.

lictus ex omnibus, qui minimo periculo poſſem dicere. Interdum ſimiliter cadunt finis & medium: Maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæſar, maiores etiam habemus.

Sexta poſitio, ſimiliter cadens merito numeroſum atque concinnum eſse cenſetur. Quoniam, dum ſimilem caſum reddimus, & oppoſitis ſimilibus orationẽ quodammodo metimur, uoluptate quadam aurium ſenſus reficitur. Quo fit ut eodem modo cadentia, iucundiora efficiant carmina, quæ ita quibuſdam placent, ut alia ſtudioſe, ſed non ſine errore, fugiant. Ob hanc itaque cauſſam hęc iucunda cenſentur:

Aſpera tũ poſitis miteſcent ſecula bellis.
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Cui mater media ſeſe obtulit obuia ſylua.

Vbi uides eſſe ſimiliter cadentia paribus interuallis poſita, quibus nonnihil permouetur ſenſus; ut ſunt, poſitis bellis: lato ferro: media ſilua. Quod ſi in hac conformatione erunt paria membra, numerioſior erit oratio; ſi uero imparia, ſua non deerit uoluptas: quæ ſane in ſonorũ collocatione ſentiri debet, quando etiam in uno uel altero pede bene compoſito facile exauditur. Sed iam de membris paribus dicamus.

Septi-

Septima poſitio, membra paria græce, iſocola, ea dicuntur, quorum par eſt, aut pene par ſyllabarum numerus. Vt ecce. Bellum extrema hyeme apparauit, ineunte uere ſuſcepit, media æſtate confecit. Item Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adoleſcentiæ, cedo amicitiæ, tribuo parenti. Et quoniam ſimiliter deſinentia, & homoeoptota, ac etiam contraria quãdam membrorum æqualitatem habent, quibuſdam hanc configurationem, Symmetriam appellare placuit, latine compar, uel commenſurationem diceres, id eſt, aptam dimenſionem, quæ paribus interuallis, aut prope paribus cernitur; cum ſcilicet orationis uerba ueluti dimenſa uerbis, paria reſpondent paribus: atque hic eſt ille numerus, qui uidetur aures implere, & a Craſſo deſiderari, de qua proportione non nihil infra dicam.

Pro. lege Mar.
Pro Syl.

Octaua poſitio, iſocola merito numeroſa eſſe dicuntur. Siquidem uerſus, in quibus perfectus eſt numerus, in eandem prope menſuram cadunt, ut patet in carmine heroico; quamuis iſocola nec pedes obſeruent, nec numeros metiantur. Huc accedit, quod quædam carmina in quibus nulla pedum, aut numerorum habetur ratio, quod habeant quandam æqualitatẽ, & numeri ſimilitudinem, uerſus eſſe uulgo putantur.

Nona poſitio, iſocola interdum fiunt membris paruis, interdum mediocribus, & aliquãdo magnis. Parua ſunt hęc; Gallos accerſiuit, ſeruitia concitauit, Catilinam euocauit, & cęt. Hæc mediocria, Subiectos prope iam ignes circũmdatoſque reſtinximus, ijdemque gladios in remp. diſtrictos retudimus, mucroneſque eorũ a iugulis ueſtris reiecimus. Hęc maiora, Mythridatem inſolito inflammatum uictoria continuit, et Tigranem magnis copijs minitantem Aſiæ retardauit. Miſcentur etiam paria diuerſi generis, ut ſunt quæ inciſis & colis conſtant: ut, Cuius ea ſtultitia eſt, ut eam nemo hominem; ea uis, ut nemo fœminam: ea crudelitas, ut nemo matrem appellare poſſit. Ex quibus colligeres, tunc iſocola maiorem habere concinnitatem, quando ſimiliter deſinentibus, aut eodem modo cadentibus uniuntur: & cum pedibus aptis, eorumque numero iuuantur.

Decima poſitio, contraria numeroſa, quę oppoſita & contrapoſita dicuntur; uel ſunt ue re contraria, ut amare & odiſſe: uel priuantia, ut lux & tenebræ: uel relata, ut uxor & maritus: uel contradicentia, ut legere non legere; uel repugnantia, ut amare, & lædere: uel denique tantum ſeparata; ut, non noſtri ingenij, ueſtri auxilij eſt. Hęc ita ſunt numeroſa, ut ſæpe in uerſum cadant: Verum, ut exiſtimo, nõ

eſt

eſt in ipſis contrarijs numerus, ſed in paritate membrorum, quibus contraria explicantur, ſine qua paritate quodammodo explicari nequeunt: Vt ecce, Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc boneſtas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido. Cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs, non offenſionibus belli, ſed uictorijs, non ſtipendijs, ſed triumphis eſt traducta.

Vndecima poſitio, non omnia contraria, uel oppoſita huc pertinent, ſed ea ſolum, in quibus partes partibus, & membra membris ex aduerſo conferuntur. Quare ſi diceres, Heu quã pingui macer eſt mihi taurus in aruo, Vel taurum macilentum eſſe in agro pingui, contraria quidem complecteris, ſed ſine partium collatione, ac proinde ſine oratorio numero. In antithetis ergo collatio debet eſſe partium, ex qua numeroſa oritur concinnitas.

Duodecima poſitio, in antithetis interdum paria membra componuntur, ſæpius imparia: rurſus aliquando pauciora, aliquando plura coniunguntur: quandoque longiora, alias breuia: ut, Si conſul Antonius, Brutus hoſtis: ſi conſeruator reip. Brutus, hoſtis Antonius: Aliquando ſingula ſingulis opponuntur; vt,

Antonij igitur promiſſa cruenta, ſcelerata, dijs hominibuſque inuiſa, nec diuturna, nec ſalutaria. noſtra contra, honeſta, integra, glorioſa, plena lætitiæ, plena pietatis. Aliquando ſtatim ſubijciuntur; vt, Qua in re mihi ridicule viſus es inconſtans, qui eundem & læderes & laudares: & virum optimum, & hominem improbiſsimum eſſe diceres: eundem tu & honoris cauſſa appellabas, & virum primarium eſſe dicebas, & cæt. Denique, illud adnotauerim, non ſemper quæ opponuntur, eſſe inter ſe vere contraria, ſed ſatis eſt ſi ſint aliquo modo diuerſa: Quamuis ex contrariorum oppoſitione, grauia, pulcherrimaque ſæpe fiant enthymemata, quibus frequenter boni vtuntur Oratores; de quibus libro de oratoria Diſpoſitione late diximus. Huc referres relata, grece Parallela, ut ſunt illa, quæ in commutationibus fiunt, cum plura in diuerſis membris, aut commatis ſeſe reſpiciũt. Quæ relatio fit, aut rerum genere; vt, pecuniam qui habet, non reddidiſſe; & qui reddidit non iam habere: gratiam vero, qui retulit, habere; & qui habeat, retuliſse: aut caſibus nominum; vt, quam non didicimus, legimus, accepimus: verum a natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: Aut rebus & verbis; vt vis & audacia, vi & virtute, victa &

ſta & oppreſſa: Aut, oppoſitis numeris, vt sũt Dactylus & Anapæſtus, Epitritus & pęon: vt, Parum ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi: Aut denique alio quouis modo. Parallelum duplex eſt, alterum coniunctum, quod per coniunctionem fit, vt in primo patet exẽplo: alterum appenſum, quod fit per ſuſpenſionem; vt, Quem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus; hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitauit occidere. Vt autem quæ de numeroſa concinnitate diximus, non eſſe vana intelligas, ratio ob quam ad aures permulcendas vim habent, aperienda eſt. In his itaque dicendi formis ſemper fere aliquam, vel dictionum, vel ſyllabarum, vel accentuum, vel, reſpirationum in tota periodo, vel in membris proportionem reperire licet. Vocum proportio, vel dupla, vel tripla, vel ſeſquialtera, uel ſeſquitertia, & ſic deinceps, harmoniam efficit. Dupla frequenter delectatus eſt Virgilius, vt hoc in loco, ubi duobus membris vnum reddidit.

Saltem, ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet, Aen. 4.
Ante fugam ſoboles: ſi quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas, qui te tantum ore referret:

Non equidem omnino capta, aut déſerta viderer.

Hic duo ad tria referuntur, Hæc, ſicut expoſui, ita geſta ſunt. Hic tria ad ſex, Vi victa vis, aut potius virtute eppreſſa audacia eſt. Hic ſex ſyllabæ ad nouem, ſi id iure nõ poteſt, nihil habeo quod defendam. Vbi ratio accentus, a quo dictionum numerus petitur, & ſynalephæ; & continuatiuæ particulæ, quę nihil auget, habenda eſt. Hic quinque, ad quinque, Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querela. His loquendi modis maxime in contentionibus, & congreſſionibus vtimur: at vero, vbi frequentatione & continuatione eſt opus, proportione, quam vocant arithmeticam.

Vt ſi fiat progreßus a quinq; ad ſex, et hinc ad ſeptem, & poſtea ad quinque rediretur: quæ multis modis variari poteſt: quamuis non ſit neceße, vt in omnibus mẽbris eadem ſymmetria ſeruetur, modo ad eam accedatur: quo fit, vt quædam magna cum paruis conferantur. Prior proportio apta eſt initijs, altera clauſulis: quod hæc eo, vnde cœpit, redeat, illa vero excurrat. Vnde narrationes a paruis, ad maiores uoces progrediuntur, vt, Sic fatur lacrymans, Mos erat heſperio: Vt belli ſignum. Hic uero.

An

An Deus immenſi venias maris, & tua
nautæ:
Numina ſacra colant.

ab una ad duas, & tres, ſemel & iterum, ob diphthongum, in uoce, nautæ, & a tribus ad duas reditur. In hoc carmine, & ſyllabarum, & uocum & temporum proportionē animaduerteres, Romanos rerum dominos, gentemq; togatam. At uero in hoc, cuius uoces omnes ſunt triſyllabæ, nihil ſuauitatis ſentis, Occurrit, ueterem Anchiſen agnouit amicum: Prę terquam quod tres continet dictiones ab eadem litera incipientes. At quanto ſuauior hic uerſus, Multa quoque & bello paſſus, dū conderet urbem. Vbi a ſeſquialtera ſyllabarum proportione, in prima parte, ad duplam progreditur, in ſecunda. Sed de his hactenus, quæ ut non ſunt inutilia ad cognoſcendam harmoniæ orationis cauſſam, ita non ſunt nimia affectatione quærenda, in ſoluta præſertim oratione.

Nunc ad allatas obiectiones reſponderem, ni earum ſolutio eſſet cuiuis ſatis expedita, atque etiam ex ijs quæ de numero poſtea diſputabuntur, aliqua ex parte non penderet.

De

De commatis, ſiue inciſis. Diſputatio V.

AD perfectam orationis, uerborumve compoſitionem tria neceſſaria eſſe ex Tullij ſententia diximus; iuncturam, numeroſam cõcinnitatem, & numerum: & ut iunctura in apta extremarum partium coniunctione, atque ſuaui uerborum ſono ſpectatur, et concinnitas in quadam membrorum, & uerborum ſimilitudine, æqualitateque, ita numerus præcipue in tota notatur periodo; de qua ab eius partibus auſpicando, nunc acturi ſumus. Eſt enim periodus de perfecta loquor, ueluti quoddam corpus, quod ſuis conſtat partibus; quarũ aliæ maiores, aliæ minores ſunt: illæ Membra latine, Cola græce dicuntur, hæ uero Inciſa, & Cõmata nominantur: illę ſunt ueluti digiti in manu, hæ quaſi articuli: ac proinde ab his, tanquam a primis partibus auſpicandum eſt. Et quoniam in tradenda de inciſis doctrina nonnihil eſt inter auctores diſcordiæ, propterea nos quoque quaſdam dubitationes proponemus, ut quid hac in parte explicandum ſit, melius percipiatur.

Primum poſſet aliquis dubitare de Ciceronis

nis doctrina, qui compoſitionis partes aſſignan-do, nullam mentionem fecit de inciſis, de membris, & de periodo, ſed ſolum de numero, qui non eſt pars, ſed potius effectus ex ipſa compoſitione natus. Deinde, ex Tullij & Hermogenis ſententia, inciſa, minimum, debent conſtare duabus ſyllabis, quibus perficiatur ſententia, ſummum ſeptem; atqui multa reperiuntur, quæ pluribus conſtant quod facile quiſq; animaduerteret: & interdum etiam monoſyllaba perficiuntur, igitur non erit uera iſta ſummorum artificum doctrina, quam etiam alij approbant. Præterea, omnes qui hac de re ſcribunt, diſtinguunt inter comma, & colon; atqui hæc duo non ſunt diſtinguenda, ſicuti nec homo paruus a magno, & contra; cum iſta ſolum magnitudine & paruitate differãt: ac proinde interdum comma fit membrum, & membrum comma: & ſi eſt uerum quod Hermogenes ſcripſit, commata epodo, hoc eſt, breui uerſui, ſeu hemiſtichio eſſe commenſuratũ, profecto comma & colon idem erunt, cum epodos, ſit quoddam membrum, ut Lyrici docent poetæ; qui ſuas odes in dicola, & tricola diuidunt. Huc facit, quod Ariſtoteles nihil de commatis dixit, ſed ſolum de membris, quorũ alia parua, alia magna eſſe manifeſtum eſt. Deinque, multi de his periodi partibus agẽtes affirmant Aquila Martian.

firmant

firmant commate non perfici ſententiam, & in hoc differre a colis docent: atqui hoc uidetur falſum, cum inciſis non raro abſoluatur ſententia. Vt hic omittam, quod multi de principio & fine periodi nihil dicunt, quas duas partes diſtinxit Ariſtoteles.

In hac diſputatione, quod attinet ad magnitudinem inciſi, atque ad ſyllabas, quidam numero ſyllabarum inciſa metiuntur, a duabus uſque ad ſeptem, uel octo: alij hanc menſuram reijciunt, & aliter rem exponunt. Putant itaque non a numero ſyllabarum, ſed a ſenſu articulos, inciſa, & membra diſtinguenda eſſe. Articulus eſt pars illa, quę ſenſum diſtinctum ſeparatumque complet, ſed ei additur aliquid imperfectum, quo cum membrum perficitur: uel ipſum adhæret alij, quod ſeipſo conſiſtere non poterat; quia uel uerbum, uel nomen, uel coniunctionem ab alio petebat. Illa uero particula, quæ nec ſenſum perficit, nec omnino ullum ſenſum, ex ſe, habet, ſed per hyperbaton trunca, aut adiecta remanet, proprie comma, hoc eſt, ſegmentum appellatur: ut, Hærent infixi pectore uultus, uerbaque. Quare, cum in hoc genere orationis, Rem, famam, parentes, amicos perdidit, a ſcriptoribus articulus eſſe dicitur, non eſt intelligendum in ſingulis ſectionibus eſſe articulum, ſed in tota oratione.

me. Similiter cum dicitur periodum conſtare ex membris, non eſt ita accipiendum, quod ſemper ex ſolis membris fiat, cum etiam ex alijs partibus conficiatur. Quid autem his de rebus ſentiendum ſit, ſequentibus poſitionibus explicabimus.

Prima poſitio, comma, latine inciſum, triplex eſt; unum muſicum, alterum poeticum, tertium oratorium: de primo, cum nihil ad rem noſtram faciat, dicemus nihil: de altero illud dixerim, comma poeticum eſſe quandam tomē hoc eſt cæſuram, ſiue inciſionem, quæ ad uerſuum concinnam modulationem pertinet, ſine qua carmina, alias ſuis pedibus perfecta, ingratum ſonum auribus exhibent; ut hoc carmen, Inclita uirtus ducet nos ad ſidera coeli. *contra, ſi certis in locis commatis ſecentur, ob arſin, & theſin, ſuauiter ſonant. Quibus autem in locis hæ cæſuræ fieri debeant, & quot, & quæ ſint, non eſt noſtrum exponere. Eos igitur conſule, qui de proſodia ſcripſerunt. Oratorium uero comma, uoco illud, quod ad ſenſuum diſtinctionem, rectam ſcriptionem, locutionemque in omni genere ſcriptionis adhibetur; de quo nos acturi ſumus.*

Secunda poſitio, comma uarie deſcribi ſolet: Aquila Romanus, Mecoenatis libertus, & Martianus hoc modo, Comma eſt pars ora-

tionis ex duobus aut pluribus uerbis, non dum quicquam abſoluti ſignificans. Fabius hoc pacto, Inciſum eſt ſenſus non expleto numero cõcluſus, pleriſque pars membri; ut, Obſequiũ amicos, ueritas odium parit. Alij hunc in modum, Commata ſunt imperfectæ & inchoatæ

Io. Riu. *orationes, ac etiam ſingula u rba interdum: ut, ſi dicas Veni, uidi, uici. Denique alij hac ratione, Inciſum pars membri eſt, & ueluti articulus. Vt autem quæ ex his definitionibus melior cenſeri debeat, & quæ dicenda ſunt, facilius intelligantur, notandum eſt, tam inciſa, quam mẽbra duobus modis conſiderari poſſe: uno modo ut ſunt periodi partes, & unam comprehẽſionem faciunt, quę, ut infra dicetur, pluribus partibus conſtare debet: ſub qua ratione ſi conſiderentur, ex ſe ſententiam non omnino perfectam efficiẽt, cum ex integra periodo perficiatur; ſed tamen ſemper inciſum imperfectius erit, quam membrum, cuius eſt particula quædam: quod et ſi aliquid perfecte enuntient, illud tamen ad totam comprehenſionem abſoluendam refertur. Altero modo, ut ſunt extra periodum, uel ut non faciunt periodum; ut cum inciſim, uel membratim dicimus, quomodo, ex ſe quandam ſententiam paucioribus aut pluribus uerbis continere poſſunt: quæ uel frequentantur, cum plura inciſa, aut membra*

ſubij-

ſubijciuntur, aut ſolitarie ponuntur: ut ſi diceres, Etiam capillus unus umbram habet ſuam, &, Ne quid nimis, ibi membrum, hic quoddã inciſum ſeorſim poſitum agnoſceres. Quo fit, ut tam inciſum, quam membrum extra periodum, integram poſſint facere ſententiam: in periodo uero non omnino abſolutam, præſertim inciſum. Sed obijceres, quo nam modo dici poteſt inciſum, aut membrum, cum non ſunt in periodo, eius eſſe partes? ſicuti non licet appellare partem id, quod eſt a ſuo toto ſeparatũ; ueluti manum a brachio abſciſam. Cui obiectioni ita occurrerem; Ideo orationem, qua pauciſſimis uerbis exponitur ſententia, per ſe poſitam inciſum uocari, cum tamen ſit quid unum, quod per ſe exiſtere poteſt, quia ſi comparetur cum periodo, ſiue, cum membro, quod pluribus partibus conſtat, eſt ueluti particula, ſeu cæſura quædam. Atque idem dicas de ſententia pluribus uerbis extra periodum comprehenſa, quæ cum ſit aliquanto maior, membrũ nominatur. Cæterum, quoniam ſcriptores dũ agunt de inciſis & membris, ea conſiderant, ut ſunt periodi partes; ideo ſub hac etiam ratione deſcripſerunt: ac proinde omnes definitiones allatę ſatis bonę uideri poſſunt. Inciſum igitur, ſiue comma, eſt ueluti particula, ſiue cęſura quædam membri, ſiue articuli, quæ ſenſum

ſum

ſum non complet: id quod nomen ipſum ſigni-ficare uidetur. Quid enim aliud ſignificat cō-ma, quam orationis particulam ſpiritu pronun-tiantis interruptam, & ſine alijs mancam, ut-pote quæ nec ſenſum, nec numerum habeat per-fectum?

Tertia poſitio, Inciſum differt a membro his fere modis. Inciſum etiam uno uerbo fit, membrum uero pluribus tantum: inciſum ex ſe caret numero, membrum numerum conti-net: inciſum non habet plenam ſententiam, quam membrum habere poteſt: loquimur autē de utroque ut ſunt periodi partes. Ex quibus colligeres non male feciſſe eos, qui inciſum a membro ſyllabarum numero diſtinxerunt, cū inter ſe magnitudine & paruitate differant.

Quarta poſitio, inciſa, aut ſingulis, aut bi- Cic.
nis, aut ternis uerbis conſtare debent; atque ita a duabus ſyllabis uſque ad ſeptem extendi ſolēt: quod ſi ulterius progrediantur, membrū aut inciſum maiuſculum fieret: Quamuis in di-ſtinctione inciſi & membri, non tam certę ſyl-labæ, quam quantitas & orationis numerus ſpectandus ſit.

Quincta poſitio, inciſum extra periodum poteſt ſenſum perfectum facere: & a quibuſdā hoc pacto deſcribi ſolet, Inciſum eſt compoſi-tio, quę a duabus uſque ad ſex, uel ſeptem,

ſylla-

ſyllabas ſententiam abſoluit; eſt quę lyrico carmini par in dimenſione. Ex quibus colligeres duo eſſe inciſorum genera: quædam breuia, ut ſunt quæ ſingulis & pene paribus uerbis continentur, quale eſt hoc, Exceſſit, erupit, euaſit: quædam longiora, quæ κῶλα uocantur membtis fere æqualia; ut, ſi uales, bene eſt, ego ualeo: Accepi tuas literas, quibus, &c. quare inciſa longiora, cum colis confundi ſolent; ita ut breue colon, inciſum, & longum inciſum, colon appelletur.

Sexta poſitio, Inciſis frequentatis utimur, in oratione concitata, & uehementi, & ubi ſunt interrogationes & reſponſiones. Quibus inciſis, fit figura illa quæ articulus nominatur qui, ut quidam uolunt, idem eſt cum membro, a quo non quantitate, ſed uelocitate diſtingui uidetur: ut, Acrimonia, uoce, uultu, aduerſarius perterretur. At uero inciſo extra periodum, & membrum, cum per ſe ſententiam facit, his locis utimur: In breui reſponſione, ut Laconici ſolebant, ut cum Philippo ſcripſerũt De utroque nihil: Dionyſius Corinthi. In ſapienter dictis, ut, Nihil nimis: Noſce teipſum In apophthegmatis, quę Latini, dicta, uocant, ſed hæc interdum longius excurrunt. In ſermone quotidiano, qui modo breuiuſcula, modo longiuſcula habet inciſa, quæ uſque ad nouem, & Cic. Act. 3. in Ver.

decem ſyllabas exteudūtur. In ſumma, inciſa, uel conſtant ex uerbis, ſingulis, ijſque pluribus, quæ breuia ſunt, & ſententiam, aut abſol uunt, ſi ſint uerba, aut non abſoluunt, ſi ſint nomina, &c. Vel pluribus, atque connexis, & ſunt longiuſcula, & ut illa diſtinguunt uocabula, ita hæc orationes: uel integrum ſenſum faciunt, & hoc, uel in periodo, uel extra, ut ex plicatum fuit. Vt autem quæ diximus magis confirmentur, allatas rationes diſſoluam.

Ad primam, falſum eſt Ciceronem nihil di xiſſe de inciſis, membris, & periodis, licet de illis pauciora dixerit, quam de periodis. Neq; neceſſe fuit, ut in illa enumeratione eorū, quibus collocatio conſtat, omnia quæ in ea ſpectā tur, recenſeret. Ad ſecundam, cum ſcripto res illi certum ſyllabarum numerum in inciſis requirunt, uniuerſe loquuntur, nec rem omnino definiunt. Ni malis dicere, in inciſorum & membrorum diſtinctione, potius orationis ſen ſum, quam ſyllabarum numerum eſſe perpendendum; quod non diſplicet. Ad tertiam, inciſa & membra non ita diſtinguuntur quaſi ſint duæ ſpecies, ſed ut palmus & cubitus, quorum ille minore, hic maiore quantitate cōſtat: Et ſupra quibus modis differant, expoſuimus. Nec mirum eſt ſi Ariſtoteles nihil de inciſis dixit, cum ſint partes quędam minores, quas

ſub

ſub minoribus membris complexus eſt. Vltima ſoluitur ex dictis.

De colis, ſiue membris. Diſp. VI.

QVAE de inciſis proxima diſputatione dicta fuere, faciliorē reddunt hanc de colis controuerſiā: quam propterea quibuſdam poſitionibus breuiter perſtringemus.

Prima poſitio, quod Græci colon uocant, Latini, membrum, appellant: metaphora ſumpta a corpore animalis: quidam, Syſtema, hoc eſt interuallum uocant. Ideo autem maior quædam periodi pars membrum dicitur, quod ex pluribus conſtet partibus, ueluti digitus ex pluribus articulis: ut poſtea planius explicabitur.

Secunda poſitio, colon his modis definiri ſolet, Colon eſt portio orationis uerbis abſoluta, ſenſum aliquem exhibens. Itē, Eſt oratio uno ſpiritu prolata, quæ totam ſententiam uel partem eius breuiter abſque interuallo abſoluit. Ariſtoteles dixit, Colon eſſe alteram periodi partem: quæ aliquando fit periodus: Alij, eodē fere modo, Colon aut eſt ſimplex periodus, aut compoſita periodi pars. At uero Fabius hac ratio-

Archidemus. *ratione, Membrum eſt ſenſus numeris concluſus, ſed a toto corpore orationis abruptus, & per ſe nihil efficiens. Itaque, ut digitus, ſi a manu remoueretur, nullum haberet motum, & nihil efficeret; ita membrum, ſi ab oratione ſeparetur: membrum igitur debet alteri orationis parti adhærere, & ab illa excipi. Ideo Herennianus auctor dixit, Membrum eſt res breuiter abſoluta ſine totius ſententiæ adminiſtratione, quæ denuo alio membro excipitur. Denique, membrum eſt integræ quidem, ſed tamen adhuc pendentis ſententię comprehenſio, inciſo longior, ac pene perfecta oratio: cuius diſtinctio interdum duobus punctis, interdum commate & puncto, interdum commate tantum deſignatur. Atque has deſcriptiones attuliſſe ſufficiat: nam ſi quę ſunt aliæ, in has recidūt. Ex quibus definitionibus dubitandi occaſionem ſumere licet.*

Demet.

Io. Men.

Primum, ſi, ut Ariſtoteles ait, membrum facit periodum, non poterit igitur eſſe periodi pars, ut alij fere omnes affirmant, ſed erit ipſa periodus. Deinde, in allatis finitionibus innuitur, membrũ habere ſenſum pendulũ, atqui hoc de ultimo periodi membro, affirmare non licet, cum eius ſenſus ex conſequenti membro non pendeat igitur ille non conuenirent omni membro. Et ut illud contra Herenniani

ni auctoris definitionem dicam, quonammodo extremum membrum ab alio excipi poteſt? Præterea omnes fere membri deſcriptiones in eo conueniunt, in membro non contineri abſolutam ſententiam; quod Hermogeni dicendi Magiſtro abſolutiſſimo aduerſatur, qui hoc pacto mẽbrum finiuit, κῶλον δέ ἐστιν ἡ ἀπηρτισμένη διάνοια, *id eſt, Membrum eſt perfecta ſententia: igitur ſine ſuſpenſione. Rurſus Hermogenes appellat cola figuram orationis, quod & Aquila exiſtimauit, cum unum ab alio excipi debeat: quare ſi fiat mutatio, exornatio remouebitur. Poſtremo, nemo eſt fere qui non affirmet, cola conſtare ex inciſis, cum ſint quædam maiores periodi partes: atqui multa aſſignare licet membra abſque ullis inciſis; ut eſt hoc, Non uſitata frequentia ſtipati ſumus igitur.* Lib. 4. de Inu. c. de ambitu. Pro Mil.

Atque ex his colligeres quandam opinionũ uarietatem circa membrorum naturam: ut, ecce, an ſenſum perfectum habeant, an integram periodum faciant; an certis ſyllabis temporibusve terminari ac circunſcribi debeant, ut multi affirmant; quibus ſeſe oppoſuit quidam modernus auctor, cuius ſententiam adſcribere nõ pigebit, breuiter colligẽdo, quę ipſe fuſe, & non ſatis perſpicue ſcripſit. Primum affirmat nihil certi habere ad diſcernenda mẽbra, regulam illam, quæ a ſyllabarum temporumve

aut pedum numero ſumitur. Deinde, ut rationem diſcernendi cola doceat, ex quorundam antiquorum ſententia, tres facit orationis partes, nomen, uerbum, & coniunctionem, hoc eſt partem indeclinabilem, a quarum partium acoluthia, id eſt conſecutione et regimine membrũ finiendum eſſe ait; hoc modo, Membrum eſt unius uerbi, aut nominis, aut unius coniunctionis integra perfectaque conſecutio. Quare, ſi plura ſint nomina & unum uerbum, ex quo pendent, unicum erit membrum; ſimiliter, ſi plura uerba, nomen uero unum: & denique, licet plura nomina & uerba ſint, ſi una ſit coniunctio utriſque reſpondens, unum etiam erit membrum: ut ecce; At regina, graui iamdudum ſaucia cura, uulnus, alit uenis: Quod membrum alias integrum, factum eſt maius adiunctione ſequentis, Et coeco carpitur igni, Vbi, cum duo uerba ab uno moueantur nomine Regina, unicum eſt membrum. At uero in hoc exemplo, Multa uiri uirtus animo, multuſque recurſat gentis honos, duo nomina ab uno ſuſtinentur uerbo, ideo membrum unum: Hic uero, licet ſint plura uerba, & nomina, tamen ob coniunctionem, unũ cenſetur membrũ, Hæret infixi pectore uultus, uerbaque; nec placidam membris dat cura quietem: ubi particula, Nec, cum ſimiles modos & tempora connectat,

Virg. lib. 4. Aen.

nectat,

nectat, unum facit membrum, ex pluribus partibus compactum. Ex quibus partibus, illa, Hærent infixi pectore uultus, articulum appellat, cui adijcitur, Verbaque, quod comma uocat; quare articulus eſt, qui cum commate membrum facit: at uero quod ſequitur, Nec placidam membris dat cura quietem, cum ſenſum compleat, & nihil ei addatur, membrum ſimplex uocat, primum uero obliquum: Tota uero comprehenſio unicum membrum eſt ex duobus conflatum. Ex quibus colligitur, quid ſit articulus, & quid comma. Articulus eſt pars illa orationis, quæ ex ſe ſenſum compleret, niſi adderetur aliquid imperfectum, quo cum membrum perficitur: uel quia ipſum adhæret alij, quod a ſeipſo conſiſtere non poterat, uel quia uerbum, uel nomen, uel coniunctionē & conſecutionem ab alio petebat. Comma uero, ſiue ſegmentum eſt illa particula, quę nec ſenſum perficit, neque ex ſe ſenſum habet, ſed per hyperbaton trunca, aut adiecta remanet; ut in allato exemplo, Verbaque. Nec tamen negat articulum fieri ex ſingulis ſegmentis, ut ab alijs dici ſolet; aut periodum ex membris, cum non modo ex colis, ſed etiam ex commatibus fiat. Quare, nemo mirari debet, ſi allatam periodum ex uno membro fieri dixit, ex uno inquam coniuncto, atque connexo. Poſtea

docet membra ſimpliciora & breuiora, non duobus punctis, ſed commate ſecanda eſſe: ut, quare adeſte animis iudices, & timorem ſi quē habetis, deponite. Quod etiam fit, quando ſequentis membri cōſecutio in promptu eſt. Quā do uero oratio per comprehenſionem in duos ſenſus diſtincta eſt, ſi utraque pars, alia diuiſio ne diſtincta ſit, eius partes in articulos & commata ſecabimus, tota oratione in membra, artúſque integros ſeparata. Ad hęc, concludendo ait, clauſulam eſſe ſententiæ comprehenſionem, quæ per ſe ſola conſiſtit: in qua ſi membra, uel articuli ita componuntur, ut unū principij, aliud finis orationem habeat, periodus erit. Vt autem una ſit clauſula una periodus, & unum membrum, id, ut eſt dictum, a coniunctione conſequitur. Denique colligit ex dictis, Cola quę interualla uocat, partim definiri ex proprijs partibus, quæ ſunt nomen, uerbum, & coniunctio, partim ex adiunctione alterius interualli, ex qua adiunctione, quod erat membrum integrum, fit articulus, & quæ erat integra periodus, membrum, hoc modo. Qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico decertauit: plura bella geſſit, quam cæteri legerunt: plures prouincias confecit, quam alij concupiuerunt: vbi vides periodos vna comprehenſione frequentatas.

Atque ex his quæ hactenus dicta ſunt, facile intelligi poteſt, quid de coli natura auctores ſenſerint; quam rurſus alijs poſitionibus adhuc plenius exponemus.

Tertia poſitio, in colo tria ſpectare licet, compoſitionem, quãtitatem, & locum: ex quibus varie diuiditur, vt ſequenti poſitione dicam.

Quarta poſitio, colon his modis diuidi poteſt: colon duplex eſt, alterum ſimplex & integrũ ſiue rectum, alterum compoſitum ſiue obliquum, ex pluribus verbis & inciſis, ſiue ex alijs membris & articulis conflatum. Simplex eſt hoc, cur clãdeſtinis conſilijs nos oppugnat? Hoc vero compoſitum, Obſequium amicos, veritas odium parit. Huc pertinent, quæ fiunt per parentheſin, & epembolem: Rurſus aliud eſt breue ſiue moderatum, aliud longum, aliud longiſſimum. Colon breue eſt illud, quod excedit ſeptem ſyllabas & vſque ad duodecim interdum protenditur, quod commaticum, rectũ, & epodicum, ideſt lyrico carmini par, nominant: vt, Non enim furem, ſed raptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: Mecœnas atauis edite regibus. Longum, quod longius protrahitur vſque ad octodecim, aut viginti ſyllabas. Huius generis membra a Græcis heroica, quod ſint carmini heroico pene paria, Hermog. lib. 4.

ria,

ria, & τεταμένα. hoc eſt, explicata uocantur, vt eſt hoc, ſed pręſidium, quo animo magno ſimus, pollicentur. Longiſſimum, quod uſque ad vigintiquattuor, & amplius ſyllabas producitur, quod Græci χοινοτενὲς vocant, ſumpta metaphora a chorda in longum protenſa; quæ quo magis in longum protrahitur, eo maiorem edit ſonum. Huiuſmodi ſunt membra primæ periodi Miloniani exordij, & orationis ad Pontifices. Rurſus, membrorum aliud ponitur in periodo, aliud extra periodū: quod dupliciter intelligi poteſt: vel quod vnicum membrum ſeorſim ponatur, quo aliqua claudatur ſententia, ut ſupra diximus de inciſo; vel quod plura coniunctim, cum membratim aliquid dicimus: vt hoc loco apud Tullium, Ita illi non procraſtinant: Sthenium ſtatim educunt: aiunt ab eo literas eſſe corruptas &c. Quam compoſitionem, Trapezuntius abſolutionem vocat.

Hermog.

Lib. 4. in Ver.

Quinta poſitio, longa, & longiora membra adhiberi ſolent in exordijs maiorum cauſſarum, & in panegyricis; vt patet in oratione pro Milone, & in Iſocratis Panathenaico. Breuioribus autem, vtimur in cauſſis minoribus, in contentionibus, in epiſtolis, familiariq; ſermone, & in sūma, cū res aliqua leuiter, ſine uerborū circūductione explicāda nobis eſt.

Sexta

Sexta poſitio, vt cola breuiora non ſunt frequentanda, ne oratio arida videatur, & quaſi diſsoluta; ita curandum eſt, ne prælonga membra longo tractu continenter frequententur; ne compoſitio nimium fluat, & plus iuſto redundet, ac obſcurior fiat.

Septima poſitio, membra his modis poſſunt in longum protrahi: Per inciſa, per adiectiuorum, & participiorum adiectionem, per ordinis naturalis immutationem, dum quæ alias commate ſeparari potuiſſent, in vnum copulantur; & denique ſi ſimplex membrum in circumductum commutetur. Atque de inciſis hæc ſatis: ad quorum cognitionem facient etiã ea, quæ ſtatim de periodis dicemus, ſi prius allatis argumentis reſponderimus. Cic. orat. ad Pont.

Ad primum, cum Ariſtoteles ait, membrum eſſe ſimplicem periodum, intelligendus eſt, de ſimplici periodo breuique verborum cõprehenſione, quæ uno ſolet confici membro; quamuis nullum ſit ita ſimplex membrum, de maioribus loquor, quod inciſis non conſtet. Ad ſecundum, vltimum membrum ideo pendulum ſenſum habere cenſetur, quod ex ſe ſolo non perficiat ſententiam, ſed una cum alÿs, nõ quod ab alio conſequenti pendeat, aut excipiatur. Ad tertium, patet ex ÿs, quæ iam explicata ſunt: uocat enim perfectam ſententiam,

quia

quia perfectiora membra ſenſum abſoluunt, licet non ſemper integram conficiant orationem: quo fit, vt etiam numeroſa membra nomine figuræ appellari poſsint. Ad quartum, non eſt neceſſe, ut omnia minora præſertim membra, inciſis conſtent.

Quid ſit Periodus. Diſp. VII.

VT quæ de periodo, & numero, deinceps diſputaturi ſumus, multo intelligantur melius; duo dicendi genera, quæ ſunt inter ſe longe diuerſa nobis priore loco exponenda ſunt. Ariſt. lib. 3. Rhet. *Duę igitur ſunt, uniuerſe loquendo, orationis formæ; quarum altera perpetuo tractu ſuſpenſa; quadam naturæ ui, ſine vllo artificio, nunc cęſim, nunc membratim, nunc utroque modo profluit, & ſola ſenſus neceßitate terminatur: qua olim, antequam perfecti extarent dicendi magiſtri, utebantur antiqui: qui non ſecus ac ij, qui lapides in aceruum temere conijciũt, nullo interiecto calcis glutino, verba fundebant; nullo adhibito artificio, quo certam rationem, modumque orationi tribuerent, quam labare & diſſolute ferri permittebant, donec res ipſa iam expleta, ſibi finem faceret. Altera uero a poſterioribus inuen-*

ta, in qua ita uerba artificioſe nectuntur, ac terminantur, ut concinna, ut ſuauis appareat, & facile in aures auditorum influat, quas nec breuitate defraudat, nec longitudine ſatiat, nec aſperitate obterit; ſed grata quadam harmonia iucunditate complet; quæ potiſſimum in periodis de quibus nunc diſputaturi ſumus, ſentitur: de altera nonnihil poſtea. De artificioſa itaque dicendi forma, quæ priuate in oratione iuncta, ſibique cohærenti, ac certis uinculis, & terminis per circumductionem ambitumve eſt conſtricta, priore loco acturi ſumus. Et quoniam, quæ in hac re ſunt auctorum ſententiæ & dubitationes intelligi non poſſunt, niſi prius de nomine & definitione periodi aliquid dicatur; propterea duo ſubijciam notanda, in quorum uno nomen, in altero uarias definitiones afferendo, naturam periodi explicabo.

Quod igitur ad primum attinet, illa dicendi forma, per quam artificioſe apteque aliqua explicatur ſententia, uoce græca, Periodos nominatur: quæ compoſita eſt ex præpoſitione περὶ, *peri, quæ, circum ſignificat, & ex nomine hodos, quod uiam latine ſonat; quaſi diceres, circularem & in ſe redeuntem uiam, ſeu uiarum circuitum. Hanc orationis formam Latini, comprehenſionem, circunſcriptionem continuationem, circuitum, uerborum orbem, &* Cic. in orat.

ambi-

ambitum appellant. Cur autem per metaphoram ſic uocata fuerit, ea eſt ratio, quia in periodo, quaſi in quodam orbe incluſa procurrit oratio. Medici quoque, illud temporis ſpatiũ, quo febris reuertitur, periodum uocant; unde & periodicæ febres dictæ. Et hęc de nomine. Quod autem ad definitionem attinet, talem ex Ariſtotele, quidam ſcriptores, finitionem colligunt, Periodus eſt dictio, quæ ex ſe principiũ, & finem, & conſpicuam magnitudinem habet. Tria itaque ſunt, ut quidam adnotarũt, quæ Ariſtoteles in periodo requirit; initium, & finem, atque conſpicuam magnitudinem. Quam definitionem omnes poſteriores dicendi artifices approbaſſe uidentur; ut Demetrius, Trapezuntius, & alij. Ex Cicerone libro de Oratore talis colligitur deſcriptio, Periodus eſt oratio, in quodam quaſi orbe incluſa procurrens, quoad inſiſtat in ſingulis abſolutiſq; ſententijs: quæ deſcriptio ſpeciatim periodi formam explicat. In eundem fere ſenſum Herennianus auctor, Continuatio (ſic enim appellat) eſt denſa & continens frequentatio uerborum, cum abſolutione ſententiarum. Demetrius hoc pacto, Periodus eſt ſyſtema, id eſt connexio ex colis & commatis, quæ facile conuertuntur ad ſubiectam ſententiam accõmodatis. Quæ finitio, & formã & materiã periodi

Rufin. Gram.

Aug Nip.

di attingit. Eſt itaque periodus connexio inciſorum & membrorum, quæ ita rotunde inter ſe connectuntur, ut ſententiam aliquam, abſoluant, atque concludant: connexio inquam non ſolum uerborum, ſed etiam rerum in unam ſententiam. Hermogenes hoc pacto; Periodus eſt totius argumenti urgens conuerſio, & quaſi clauis quædam: Et hoc modo, Periodus eſt, quæ inde ab initio perficit & in unum cogit epicherema, ſiue argumentum. Quæ duę deſcriptiones in eandem recidunt ſententiam. Appellat periodum, conuerſionem, ſeu congreſſionem argumenti, quod ipſum argumentum coire cogat: ac ſi dixiſſet, in periodo neceſſariam eſſe argumenti circumductionem. Et ut eius uim planius exponeret, per metaphoram, clauem appellat; quod ſicuti clauis ianuam aperit & claudit; ita periodus aliqua ſententia hominis animum aureſve per propoſitionẽ aperit, & per redditionem claudit, idque argumẽtando efficit: ut in hac patet circunductione, Quare hoc, quo minus eſt credibile, niſi oſtenditur; eo magis eſt, ſi conuincitur, iudicandũ. Hæc deſcriptio aſſignatur per genus, quod eſt, conuerſio; per effectum, qui eſt, argumenti circumductio, & per materiam, quę eſt ipſum epicherema, ſiue ſententia. Alterius vero definitionis hic eſt ſenſus, Periodus eſt uer-

Lib. 4. de inuent.

Prof. Roſ.

borum

borum conuerſio ab initio perficiens & in unũ cogens, ſeu complicans, & conuoluens argumentum. Comprehendit itaque periodus principium, medium proſequitur, & extremũ perficit, ac circulum quendam format. Rurſus ex eodem Hermogene talis colligitur deſcriptio, ſuperioribus affinis, Periodus eſt ſchema ideſt forma habitusve perfecti argumenti, Argumẽti nimirum, ſiue conclusionis uera comprehenſio. Quo fit, ut periodus ſit quaſi anima epicherematis: ut enim corpus ſine anima conſiſtere nequit, ita epicherema, niſi a periodo, quaſi a forma uitam, motum, aſpectumq; capiat, extare non poteſt. Attulit etiam Alexander Rhetor, quandam periodi deſcriptionem, in qua nonnulla uitia, quidam modernus auctor adnotauit; ſicuti & in hac, quam Trapezuntius ex uerbis Ciceronianis conflauit,

Schol. li. 4. c. 25.

Circuitus eſt totius orationis rotunda & coacta denſa cum frequentauione uerborum comprehenſio: & hanc aliam a ſe factam, tanquã bonam, de nouo tradidit, Periodus eſt oratio ſibi perficiens ſententiam. Ideo, inquit ſibi, ut eam diſtinguat a membro, quod non ſibi, ſed periodo ſententiam finit. Approbat etiã hanc quam ex Ariſtotele colligit, Periodus eſt oratio quæ principium & finem habet. Denique,

Lul.

ne plures definitiones congeram, quidam alius

hunc

hunc in modum finiuit, Periodus eſt rotunda quædam, breuiterque coacta compoſitio. Nũc quoniã omnes, Ariſtoteleã definitionẽ approbare uidẽtur, nonnullis rationibus, ne in ſingulis diſcutiẽdis immorer, labefactare conabor.

Primum, in eo Ariſtotelis definitio peccat, quod periodi formam, hoc eſt circumductionem illam, & quaſi orbem, per quẽ a diſſoluta oratione differt, non exponit: cum tamen forma præcipue rei naturam explicet. Deinde, potius dicere debuiſſet periodum eſſe orationem, quam dictionem: tum quia periodus ex pluribus conficitur dictionibus, & eſt oratio quædam: tum etiam, quod alias ſententiam, quæ duobus, aut uno conſtaret uerbo, periodum appellare liceret: ut, ſi diceretur, Matura, uel, Feſtina lente. Præterea, ſunt qui dicant Ariſtotelis finitionem ſolum his uerbis conſtare, Periodus eſt dictio, quæ principium & finem habet: atqui ſi hæc eſt integra definitio, non uidetur bona: quandoquidem, etiam membrum, principio & fine conſtat. Quod ſi dicas addendum eſſe uerbum illud, Euſynopton, id eſt facile uiſibilem; hoc uerbum improprie additur, cum periodus ſub aſpectum non cadat.

Quod attinet ad opiniones circa periodi naturam, ut ex allatis definitionibus colligere licet, ſunt hi dicendi modi. Primus Hermoge-

nis & quorundam aliorum, qui dicunt periodũ eſſe quandam figuram, ſiue quoddam enthyme ma & argumentum: alij uero contra. Secundus, circa definitionem Ariſtotelis, quidam ſo lum hæc duo uerba, principium & finem, continere uolunt: alij, etiam aliquid aliud. Tertius, quidam arbitrantur, periodum non inclu dere neceſſario plures partes, et plurium uerbo rum comprehenſionem: aliqui contra exiſtima runt. Ad has rationes diſſoluendas & perio di naturam explicandam, hæc ſtatuo fundamenta.

Cyl. Scal.

Primum fundamentum, periodus duobus modis accipi poteſt, primum pro quacunque clauſula, ſiue oratione, qua aliqua perficiatur ſententia, ſiue pluribus, ſiue paucioribus con ſtet uocibus, & partibus: altero modo pro arti ficioſa quorundam uerborum comprehenſione quæ numerum habet, auditorem delectat, & fa cile percipi poteſt, eo modo, quo definiri ſolet, quæ proprie periodus, hoc eſt circumuoluta ora tio dicitur. Et hoc pacto rurſus duplici ratione ſumitur: primum, pro quauis artificioſa comprehenſione, qua apte aliqua concluditur ſententia; deinde pro illa dicendi forma, quæ non ſolum quendam uerborum orbem, continet, ſed etiam, aliquid aliud habet annexum, uerborum nimirum, uel ſententiarum ornatum:

ut

ut membrorum paritatem, ſimilem deſinentiam, uel enthymema; ut ſtatim melius exponam.

Secundum fundamentum, in periodo duo animaduertẽda ſunt, ſentẽtia quæ exprimitur ſiue magna ſiue parua, ſiue acuta & ſubtilis, ſiue popularis, alteriusve generis, ſit; & modus, ſiue forma qua explicatur; ſtructura nimirum illa uerborum, circumacta & in orbem comprehenſa, quæ principio & fine, ex ſe, conſtat; quibus duabus partibus, inter ſe aliquo pacto diſtinctis, perfecta debet conſtare periodus. Nomine itaque ſententię intelligi uolo quamcumque enunciationem, quæ aliquẽ animi ſenſum aperit; quam Græci ἔννιαν uocant. Quod ſi hęc ſententia fuerit epicherematica, hoc eſt, ſi argumentum continebit, aut enthymematica, ut eſſet, ſi ex partibus contrarÿs, ſeu ex antecedente & conſequente conſtaret, non ſolum pulchra & ſuauis, ſed etiam lacertoſa fieret periodus. Et huius generis ſententias Hermogenes in periodo requirit, argumentoſas uidelicet & urgentes: & proinde eam perfectam periodum appellat, quę argumentationem perficit, & in unum cogit, & colligit. Quare, abſoluta, quaſi per excellentiam, dicta periodus, erit argumentationis urgens & cogens collectio, ut citatus auctor ait. Qui ergo

circumſcripte loquendo per modum argumentationis nihil concludit, is periodice dicet, ſed periodum Hermogeni non faciet. Cæterum, & ſi periodo nulla interdum conficiatur argumentatio: tamen, ni oratio ſua ſponte procurrat, ſed ſenſum aliquem per verborum ambitum, & quaſi orbem concludat, ex eiuſdem auctoris ſententia, periodus dici poterit, ſed non ita proprie; cum non præſtet id, quod clauis, cui periodum comparauit, præſtare ſolet. Eſt & alia tertia periodi forma, quam non arte metimur, ſed dicentis ſpiritu: quæ tantum continet uerborum, quantum uolui unico ſpiritu poteſt: ac proinde Spiritus appellatur; de quo poſtea agetur. Quare, cum longior fuerit uerborum comprehenſio, non periodus, ſed ſpiritus, proprie loquendo, ex Hermogenis ſententia, dicitur: atqui Fabius inter periodum & Spiritum nullum diſcrimen ponit. His adnotatis, has ſubijcio poſitiones.

Prima poſitio, ſi periodi nomen uniuerſe ſumatur pro quacunque clauſula, ſiue perfecte enunciata ſententia, poteſt ſic deſcribi, Periodus eſt oratio principio & fine conſtans, qua ex ſe perfecta explicatur ſententia. Dico eſſe orationem, quia periodus, uel re, uel poteſtate plures continet dictiones: dico, conſtare principio & fine, ut ab oratione interminata diſtin-

diſtinguam: dico, ex ſe perficere ſententiam, ut ſeparem a membro, quod interdum perficit ſententiam; ſed tamen ad totam refertur comprehenſionem. Et hæc quidem deſcriptio poteſt conuenire omnibus perfectis ſententijs, ſiue per modum membri, hoc eſt pauciſſimis uerbis finiantur, ſiue per modum periodi, aut longioris comprehenſionis & ſpiritus.

Secunda poſitio, ſi periodi nomen propriè ſumatur, pro ambitu & ſententia quaſi per orbem expoſita, quem modum ipſum nomen deſignat, male definitur ab ijs, qui dicunt, eſſe orationem ſibi perficientem ſententiam. Quoniam hæc definitio non explicat uim illius comprehenſionis, quam omnes auctores, explicare uoluerunt; eam dico, quæ artificioſe aliquam complectitur ſententiam. Siquidem, ex iſta definitione, hæc eſſet uera periodus, Noſce te ipſum: Item hæc, Sapienti pauca, Quę, & ſi ſententioſe dicantur, non tamen artificioſe, & ſuauiter. Similiter oratio pendula, quam Ariſtoteles a circumcluſa & a periodo ſeiũxit. Ex quibus colligeres hanc periodi deſcriptionem, Oratio, quæ principio & fine conſtat, nõ eſſe bonam, neque ex Ariſtotelis ſententia, cum ipſe quędam alia in periodi ratione requirat. Scal.

Tertia poſitio, ſi Ariſtotelis ſententiam

ſpectemus, periodus ſic definienda erit, Periodus eſt compoſitio, ſiue coagmentatio, quæ ex ſe principium & finem, magnitudinemque perceptu facilem habet. Cui definitioni ſi uel les, ex eodem, addere periodi effectus, diceres, ſuauis, & dilucida.

Ant. Mir.

Inquit habere finem & principium, ex ſe, ut diſtinguat a pēdente, quæ non uerborum ambitu, ſed re terminatur; ac proinde, nec ſuauis eſt, cum non habeat terminum, nec facile percipitur, memoriaque retinetur: ob quas etiam particulas diſtinguitur a membro, quod ex ſe non habet principium & finem, hoc eſt, duas partes, quarum altera ſit ueluti initium, altera uero finis.

Quarta poſitio, periodus non eſt idem quod enthymema. Etenim, periodus, in quadam uerborum circumducta forma conſiſtit, qua ſublata, enthymena poteſt manere: & non ſolum in argumentatione ex duabus partibus conflata, ſed etiam in aliïs ſententiïs perfectus ambitus reperitur. Quare, periodicum dicetur enthymema, ſi formam periodi habeat, ſed vniuerſe loquendo, periodus non erit enthymema.

Quincta poſitio, abſoluta & perfecta periodus, figura, non ſententiarum, ſed uerborum appellari poteſt. Continet enim quandam loquendi formam a communi uſu maxime remotam, qua forma diſſoluta, adhuc remanet ſen-

ten-

tentia, quæ illo uerborum ambitu exprimitur: erit igitur figura, quam aliqui Continuationem uocant. Auct.Her.

Sexta poſitio, ſi quis uellet ex omnibus allatis definitionibus unam, & fortaßе magis perfectam conficere, hunc in modum periodum deſcriberet, Periodus eſt circumducta oratio initio & fine ex ſe conſtans, quę orbis ſui conſpicua magnitudine percipitur, & percepta mouet atque delectat. Quam deſcriptionem, nunc latius exponerem, niſi ex ijs quę diximus facile intelligi poßet. Reſtat igitur ut eas ſoluamus rationes, quas dubitandi cauſſa attulimus.

Ad primam, falſum eſt Ariſtotelem non explicare aliquo pacto periodi formam; dum circumuolutam, & quaſi in ſe redeuntem compoſitionem appellat. Ad ſecundam, lexis apud Gręcos, non ſolum ſimplicem dictionem, ſed etiam Elocutionem, & orationem deſignat; ideo alij dictionem, alij orationem traducunt. Ad tertiam, errant qui talem attribuunt Ariſtoteli definitionem, Quod uero attinet ad uerbum illud, εὐσύνοπτον, uarie traducitur; aliqui, quod facile perluſtrari poſſit, oculis nimirum mentis: alij, quod facile percipi poſſit, quod eſt fere idem. Quare metaphorice hoc uerbum ab Ariſtotele accipitur, pro facile in- Maior.

 telligi,

telligi, menteque percipi, quod non habet oratio illa, quæ non ſiſtit, ſed infinite fertur. Quare minus placet Trapezuntius, qui, Mediocrem, traduxit.

De Periodi quantitate, quibus partibus perfecta conſtare debeat periodus. Diſputatio VIII.

E*TSI de periodi quantitate uarie ſenſerint ſcriptores: tamen in eam ſententiam plures conuenere, quæ quattuor membra in periodo requirit: contra quam hunc in modum diſputares.*

Primo, periodus diuiditur in ſimplicem & compoſitam, & in unimembrem, ut ita dicam, & multimembrem: quę diuiſio falſa eſſet, ſi e quattuor membris conſtare deberet. Secundo, fieri poteſt, ut aliqua periodus conſletur ex quinque membris, quæ ſint curtiora, quam illa, quæ conficitur ex quattuor; & idem dicas de trimembri, quæ ob membrorum longitudinem, poteſt eſſe longior, quam quæ quattuor habet membra: igitur non magis hęc, quam illæ, cum eandem poſſit habere magnitudinem, & uerborum ambitum, periodus dicetur. Tertio, periodum bonam uno tantum membro

con-

conſtare poſſe profecto negaret nemo, cum apud probatos ſcriptores huius generis multi reperiantur ambitus: at in his nullas licet aſſignare partes, & ſaltem duas, quarum una principij, altera finis locum obtineat: comprehenſionem igitur duas habere partes nihil erit neceſſe. Poſtremo, ſi periodus pluribus conſtare deberet membris, nunquam circumſcripte, & periodice, ſed ſemper membratim diceremus, qui duo dicendi modi ſunt inter ſe diſtincti: nihil igitur eſt neceſſe, ut ulla habeat membra. Quod ad auctorum hac in parte opiniones attinet, hos notaui dicendi modos.

Primus eſt eorum, qui nullas partes in periodo agnoſcunt; ut qui etiam duobus uerbis componi poſſe arbitrantur: quibus communis aduerſatur opinio; quæ in vera periodo, duas ſaltem, aliquo pacto diſtinctas, requirit partes. Secundus circa numerum membrorum; nam aliqui negant ullam eſſe ueram periodum, quæ unico conſtet membro; alij contra ſentiunt, modo talis ſit compoſitio, vt ſit maior quædam comprehenſio, & aliquot ſaltem inciſa admittat. Et hæc quidem communior uidetur eſſe ſententia. Rurſus, de membrorum multitudine, quidam eam periodum, quæ plura, quam quattuor membra admittit, non approbant: & L. Craſſus, ut eſt apud Cicero-

Aquilas. Lullus. Io. Riu.

ceronem, breues periodos faciebat: at uero Fabius eos etiam approbat ambitus, qui pluribus, quam quattuor conficiuntur membris. Et quidem priori ſententiæ ſubſcribere uidetur Terentianus, cum ait,

Teren. Quattuor e membris plenum formare videbis
Rhetora circuitum, ſiue ambitus ille uocetur.

Poſtremus, circa membrorum longitudinē, Craſſus poſterioris membri longitudinem commendat, ita vt melior ſit periodus, cuius poſtremum membrum fuerit longius: Hermogenes vero contra ſentit, qui ultimum membrū breuius requirit: Ariſtoteles autem membrorum iſocolian, hoc eſt, æqualitatem approbare videtur. Ad has difficultates explicandas, duo iacio fundamenta.

Primum fundamentum, cum omnes fere ſcriptores de periodo agentes, dicunt eā quaſdā habere partes, id duobus modis intelligi poteſt; vel de partibus re diſtinctis, ita ut in ea duo, minimum, diſtincta cernantur membra; vel de partibus poteſtate diſtinctis, quas facile aliquis Dialecticus per reſolutionem diſtingueret, ut in hac periodo, Ad pœnitētiā properat, qui cito iudicat; & in hac, conſularis homo, non minimis facultatibus uſus, quodam ami-

amicorum multorum præſidio munitus, nunc partim ab inuidis, partim ab inimicis circumuentus, eget indigne. In primo exemplo non apparent diſtincta membra: in altero non uidetur finis a principio diuerſus. Rurſus iſta partium periodi doctrina duplici ratione intelligitur; uel de partibus diſtinctis, & maioribus, quas Ariſtoteles, principium & finem vocat, poſteriores propoſitionem & redditionem, ſiue protaſin & apodoſin; quamuis dubitaret quiſpiam, an per principium & finem, id intellexerit Ariſtoteles; uel de partibus minoribus, ut ſunt membrum & inciſum.

Secundum fundamentum aliqui auctores, & præſertim Græci, quaſdam in bona & perfecta periodo adnotarunt virtutes; quarum prima eſt, quod facile percipi intelligi ue poſſit: quam uirtutem tollunt, qui periodum, aliquid interijciendo, abrumpunt; præſertim, cum talis eſt abruptio, ut non modo obſcura, ſed etiã falſa & ſibi contraria uideatur ſentẽtia, Huc pertinet, quod aliquando ſcripſit Tullius, Ne orator verbum ita traijciat, ut de induſtria factum intelligatur; neque inferciens uerba, quaſi rimas expleat, minutos numeros ſequẽs, concidat delumbetque ſententias. Secunda, ut facile pronuntiari poſſit, ſine vllo ſpiritus impedi-

Ariſt.

In Orat.

pedi-

pedimento; quam uittutem habebit, ſi eius partes, hoc eſt membra diſtincta, non tamen prorſus abrupta fuerint. Tertia, ut ſit ſuauis, quam uirtutem non habent nimis curtæ, riciſque longæ periodi. Longa enim oratio, cuius nullus præuidetur finis, iniucũda eſſe ſolet: non ſecus ac iter facienti uia, cuius nullus uidetur terminus. Quare, nimis redundans oratio auditorem vel volentem, uel non potentem inſequi, poſt ſe relinquit, dum ultra metam, ſocio quaſi relicto, immoderate excurrit. Curta uero & mutila cogit auditorem interſiſtere, & quaſi in lapidem offenderit, reſilire, neque ad eum terminum peruenire, quem animo præuiderat, aut expectabat. Ex his quarta oritur uirtus, ut facile ediſci, & memoriæ mãdari poſſit: non ſecus ac poetarum carmina: quia numerum quendam, & modum habebit: & quę cum facilitate & ſuauitate pronuntiãtur, ac percipiuntur facilius memoria retinentur: quam ob cauſſam priſci illi ſcriptores, veluti Parmenides, Empedocles, Pythagoras, et alij ſapientię præcepta uerſibus explicarunt; qui, vt experientia docet, multo facilius, quã ſoluta oratio memoria comprehenduntur, & retinentur. Atque hæc adnotaſſe ſufficiat: quæ reſtant in ipſis poſitionibus explanabo.

Cic. Tuſ. 2

Prima poſitio, uera periodus aliquibus debet

bet conſtare partibus, aut re, aut poteſtate diſtinctis, membris nimirum, aut ſaltem membris & inciſis. Communis eſt doctrina, quam ea firmiſſima confirmat ratio; quia alias non differet a membro, uel inciſo: & duorum, ſeu paucorum uerborum numero comprehenſa ſententia uocari poſſet periodus, quod ſupra confutauimus. Et ſane ſi Ariſtoteles eas orationes ait non eſſe periodos, quæ ex curtioribus conſtantur membris, quid diceret de illa, quæ nullas haberet partes? quæ etiam breuitatis uitio neceſſario laboraret, & ipſum auditorē præcipitem raperet.

Secunda poſitio, periodus poteſt eſſe monocolos, ſiue unimembris; hoc eſt, illa oratio quæ quodam maiori uerborum ambitu conſtat, uocari poteſt periodus, quamuis non habeat duo membra prorſus diſtincta; ut in hoc patet exemplo, Poſt Syracuſas conditas, quē in portum nunquam hoſtis acceſſerat, in eo, te Prætore, primum piratæ nauigarunt. Et apud Horatium,

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Hanc poſitionem communior Rhetorum, & quorundam Grammaticorum ſententia confirmat: ad quam ea accedit ratio, quod hu- Diom. Don.

iuſmodi

iuſmodi comprehenſiones non fiunt ſine artificio, & numerum quendam habent, ac etiam incisis conſtare ſolent, & plures partes, ut plurimum, aliquo pacto complectuntur. Vt interim omittam, quod alias, periodus non poſſit diuidi in ſimplicem & compoſitam, quod Ariſtoteles fecit, quem multi ſequuntur.

Tertia poſitio, perfectior periodus, minimũ debet eſſe dicolos, hoc eſt bimembris. In hac enim forma non modo uerborum, ſed etiam rerum apparet comprehenſio; cum diſtincta contineat membra, quæ uno quaſi perfecto corpore comprehenduntur: Vt ecce, Quare, in qua urbe Imperatores prope armati poetarum nomen & muſarum delubra coluerunt, in ea non debent togati Iudices a muſarum honore, & a poetarum ſalute abhorrere. Item, Quorum igitur impunitas, Cæſar, tuæ clementiæ laus eſt, eorum ipſorum te ad crudelitatem exacuet oratio? Quod ſi tertium accedat membrum, ita ut fiat tricolos, iam plenior erit, & melius implebit aures: ut, Tanta ne unius hominis incredibilis ac diuina uirtus tam breui tempore lucem afferre reip. potuit, ut uos qui modo ante oſtium Tyberinum claſſem hoſtium uidebatis, ij nunc nullam intra Oceani oſtium prædonum nauem eſſe audiatis? Item, Poſtremo, niſi eum Dij immortales in eam mentẽ impuliſſent,

Pro Arch.

Pro Lig.

ut

ut homo effoeminatus fortiſſimum uirum cona retur occidere, hodie remp. nullam haberemus. Vbi tria membra unicam efficiunt ſententiã, ſingula autem nihil abſoluunt.

Quarta poſitio, adhuc magis perfecta et ſpe cioſa periodus ea eſt, quæ e quattuor membris conficitur. Sunt qui dicant, hanc doctrinam inſinuaſſe Ariſtotelem, cum dixit, periodum, ſiue uerſam orationem eſſe ſimilem poetarum antiſtrophis, hoc eſt carminibus quę per conuerſionem fiebant: quę antiſtrophæ hoc eſt cõ uerſiones quattuor continebant uerſus, ita tamen, ut tres priores eſſent pares, poſterior uero breuior: qua ratione fiunt uerſus ſapphici. Verum, non eſt omnino exploratum, an Ariſtoteles per hanc ſimilitudinem membrorum numerum, aut quantitatem, aut excurſionem, & reuerſionem illam, principiumve & finem periodi explicare uoluerit. Quoniam, ſi quis eius doctrinam perpendat, potius dicet, periodum duobus conſlari colis. Dixit enim colon eſſe alteram periodi partem: idemque exempla ab eo allata uidentur indicare. Quo fit, ut aliqui de ſententia Ariſtotelis, periodum duobus cõ ſtare membris affirment. Cæterum, cum hic auctor definiens membrum dixit, eſſe, alteram periodi partem, non neceſſario cõficitur, ex duobus tantũ componi partibus. Siquidem hoc ſo- Dem.

lum

lum docere vult, periodum in ſimplicem, quæ vno membro, & in compoſitam, quæ membris conſtat, diuidi. Sed quidquid Ariſtoteles de membrorum numero ſenſerit, noſtram poſitionem expreſſe tradidit Demetrius, Hermogenes, qui longiorem periodum ſpiritum appellat, Terentianus, & M. Tullius, qui hac de re ita loquitur, Cõſtat ille ambitus & plena comprehenſio e quattuor fere partibus, quę membra dicimus: vt et aures impleat, & ne breuior ſit, quam ſatis eſt, neque longior: quamquam vtrunque nonnunquam, vel potius ſæpe accidit, ut, aut citius inſiſtendum ſit, aut longius procedendum, ne breuitas defraudaſſe aures videatur, ne ue longitudo abtudiſſe. Item, Quattuor igitur quaſi hexametrorum inſtar verſuum quod ſit, conſtat, fere plena comprehenſio. Ad h.is auctoritates ea accedit ratio, quod circumacta oratio paucioribus membris conſtet, vniuerſe loquendo, non videtur ita perfecte rotundata atque conuoluta; & ſi vlterius protrahatur, incipit eſſe pendula, & tracta, nec tam arte, quam re, & dicentis ſpiritu terminatur. Exempla ſunt hæc, Si quantum in agro lociſque deſertis audacia poteſt, tantũ in foro atque iudicijs impudentia valeret, non minus nunc in cauſſa cederet A. Cæcina Sexti Ebutij impudentiæ, quam tunc in vi facienda

In orat.

In orat.

Pro Cęc.

da ceſſit audacia: vbi iſocola, homæoptota, & homæoteleuta obſeruares,

Quincta poſitio, non eſt neceſſe vt periodi membra ſint ęqualia. Patet hęc doctrina ex bonorum auctorum vſu, apud quos non uidemus omnia membra ubique eſſe æqualia: quare licet interdum iſocolia ſpecioſam faciat periodum; tamen, neque ars, neque res quæ explicantur, iſtam membrorum æqualitatem ubique paterentur.

Sexta poſitio, de membrorum magnitudine; non debent eſſe nimis curta, nec nimis longa, ut etiam de periodo diximus. Parum enim & nimium in omni re vituperãtur: & ne quid hac in parte peccetur, conſulantur aures, & res quæ dicitur, ſpectetur. Atque idem de certo pedum numero dicendum eſt. In ſumma; quod ad membrorum numerum & magnitudinem attinet, quid deceat, faciendumque ſit, eruditæ et ad ſonum aſſuefactę aures iudicabunt. Senſus ergo iudex eſto, qui mutilata & redundantia deprehendit, moderata cognoſcit, & ad id quod mediocre eſt, inſito deſiderio fertur. Enimuero, ait Fabius, ſpatia ipſa, quæ in hac quidem parte plurimum quod poſſunt, niſi aurium habere iudicium. Exercendę igitur aures in concinendis bonorum auctorum ambitibus, ut emenſo ſpatio, vbi extrema debeat

fieri percuſſio, cognoſcant: exercendus ad eorũ dem imitationem ſtylus, in quo fere ſunt omnia.

Septima poſitio, vniuerſe loquendo, magis probatur ea periodus, cuius poſtremum membrum erit alijs longius, quam illa quæ vltimo loco membro vtetur curtiore. Approbamus ergo Craſſi ſententiam, quam plures ſcriptores ſequuntur, & ea ratio corroborat, quod in fine periodi Oratoris ſpiritus ſit vehementior, ac proinde maiore membro ſuſtinendus eſt. Cauendum itaque erit, ne cum priora membra procera fuerint, poſtremum in anguſtum attenuetur; ſi, & numeroſus, & eutonos videri volet Orator. Tunc autem poſterius membrum poterit eſſe porrectius, cum priorum quantitas erit mediocris. Nec me latet eſſe quoſdam, qui Hermogenis & Craſſi ſententiam hoc modo conciliare conãtur, cum oratio adhuc currere debet, tenenda eſt Hermogenis opinio: quando uero quieſcere, & conſiſtere oportet, id quod Craſſus docet. Vel certe, & fortaſſe melius diceres, Hermogenem intelligendum eſſe de illa perfecta periodi forma, quam ipſe clauem appellat, cum ſcilicet periodus enthymema concludit: quia illa poſterioris membri breuitas, maiorem uim uidetur habere: ut ecce, Cuius igitur ſingularem prudentiam admiramur, eius ſtultitiam

Her. int. — Phil. 5.

titiam

titiam timemus? Redditio enim apud Hermogenem eſt enthymematis concluſio, quæ debet eſſe breuis. At vero Craſſus locutus eſt de fine periodi vniuerſe, & potius ſuauitatem, numerumque maiorem, quam periodi acrimoniam ſpectauit. cum, re vera illa periodus magis aures impleat, & ſuauius deſinat, cuius poſtremum membrum fuerit cæteris aliquanto longius: Vt ecce, Ille paludes ſiccare uoluit, hic totam Italiam moderato homini diuidendam dedit. Eſt itaque, quod ad quantitatem attinet, in periodo uarietas, quæ, cum partium numero, tum diſpari longitudine creatur: quã qui uariabit, ut rerum, quæ dicuntur natura poſcit, ſuauiores explebit numeros, & tędium ſatietatis effugiet. Quod ſiquę ſententia longior ac diſſolutior occurrat, eam in plures periodos ſecabit: ſic enim commodius apertiuſque explicabitur: ad quod faciendum moderati ambitus ſunt accommodati; quibus utebatur Craſſus, quos commendabat Catulus.

Octaua poſitio, Periodi uirtutes tot fere ſunt, quot ſupra expoſuimus, quattuor nimirum: de quibus præter ea quæ diximus, nihil aliud occurrit dicendum. Reſtat ut ad argumenta reſpondeamus.

De primo, nõ ſunt reijciendi, neq; nos reijcimus minores maiores ue ambitus, dũ eos qui e

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quattuor fiunt membris, alijs præferimus. De ſecundo, concedimus curtiorem eſse poſſe eam comprehenſionem, quæ quinque contineat mẽbra, quam quæ e quattuor conflatur: ſed tamen id, quod ut plurimum accidit, docemus, & quod melius eſt, proponimus, nec rem ad tenue limamus. Cum re uera apud bonos Oratores, comprehenſiones paullo maiores, quę in ſpiritum non tranſeunt, legantur; in quibus tamen non omnino periodi uirtutes elucent. De tertio, ex ijs quę in ſeptima poſitione docuimus, quid ſentiendum ſit, eſt manifeſtum. De quarto, poſſumus circumſcripte loqui, etiam ſi periodus membris conſtet; quoniam interdum membra ex alijs pendent, & nullam concludunt abſolutam ſententiam, niſi totus ambitus fuerit abſolutus.

De periodi diuiſione, & vſu. Diſp. IX.

I*DEO hanc diſputationem in hunc locum reieci, quod quę afferendæ ſunt diuiſiones multo melius ex ijs, quæ expoſita ſunt, intelligentur. Et quoniam nihil, quod maiorem difficultatem habeat, in prędentia occurrit, ad ipſas periodi formas, ſiue genera*

ra explicanda me conferam: quæ, ut ex uarijs capitibus ſumi poßunt; ita etiam uarie numerantur: nos illuſtriores diuiſiones attingemus.

Prima poſitio, ſi periodus uniuerſe ſumatur, diuidi poteſt in periodum proprie dictam, & in impropriam: illa dicitur propria, quæ formam periodi retinet, artificioſum ſcilicet verborum ambitum, & aliquam partium diſtinctionem; illa impropria, quæ paucis verbis finitur & ambitu caret, circumductæ orationis nomen non omnino meretur. Atque hęc prima diuiſio ex parte formæ ſumpta uidetur.

Secunda poſitio, ex parte materiæ, tria notare poſſumus periodorum genera: ut alia ſit gnomica, alia epicherematica, alia enthymematica. Gnomica dicitur, cum id quod in ea exprimitur, ad mores inſtitutionemue confert: Lib. 4. *de quo genere plura cum de gnomis agetur: Sed hanc, ſi uniuerſe loqui uelimus, enuntiatiuam appellare poſſumus. Epicherematica, quæ continet ſententiam uim argumentationis habentem, quam ſimplicem uocat Hermogenes: vt, En crimen, en cauſſa, cur Regem fugitiuus,* Pro Deio. *dominum ſeruus accuſet? Enthymematica, quę complectitur aliquam uniuerſalem theſin, cui alia particularis ſubijcitur propoſitio, tãquam hypoteſis, ex quibus ſyllogiſtica conficitur concluſio. Poßes etiam appellare enthy-*

mematicam eam, quæ ex contrarijs partibus conſtat: ut eſt hæc, eius igitur uitam quiſquã ſpoliandam ornamentis eſſe ducet, cuius mortẽ ornandam monimento ſempiterno putaretis. Prior forma eſt ad docendum accommodata: aliȩ duȩ, & maxime tertia, ad mouendum, reprehendendumque referuntur: priorem, periodi formam habere diceret Hermogenes, poſteriores uero, etiam ſubſtantiam. Et ut id obiter dixerim, facit etiam idem auctor tres periodi formas a modo elocutionis ſumptas: quarum prima caſuum mutationem, ſeu uariationem continet, cum per vnum, vel alium caſum exponitur ſententia, excepto uocatiuo, qui potius ſpiritum, quam periodum facit: quo fit, vt quattuor ex hac parte apud Græcos ſint periodorum genera: Græci enim auferendi caſu carent. Secunda, quæ continet comparationẽ, in qua particulæ ſimilitudinis ponuntur: quȩ ad rem docendam fidemque faciendam eſt accommodata: ut, Videte, ne ut illis pulcherrimum fuit tantam uobis imperij gloriam relinquere; ſic uobis turpiſſimum ſit, illud quod accepiſtis, tueri ac conſeruare non poſſe. Tertia, per dubitationem, qua in rebus dubijs per interrogationem utimur, ut omnis tollatur dubitatio: ut, Domus tibi deerat? at habebas: pecunia ſuperabat? at egebas. Verum hanc,

Pro ſeſt.

Pro lege Man.

quȩ

Digitized by Google

quæ inciſis conſtat, Hermogenes, periodum periodicen, & periodeuſim uocaret, hoc eſt, comprehenſionem inſtar periodi factam.

Tertia poſitio, periodus ratione partium ex quibus fit, diuiditur in ſimplicem & compoſitam. Illa dicitur ſimplex, quæ vno concluditur membro, quæ plures partes diſtinctas non habet: compoſita, quæ plures habet partes, pluresque ſenſus, qui ad principalem ſententiam abſoluendam referuntur. Alij eam ſimplicem uocant, quę particulam circumducentẽ non habet expreßam; ut iſta, Id oneris libenter ſuſcepi, ut homini de me benemerito morẽ gererem: compoſitam, quæ circumductionem continet perfectam, ut hæc, Quis inimicos non diligat, cum ex eorum dilectione magni percipiantur fructus? & quo maior eſt in diligendo difficultas, eo maius eſſe debeat diligentis præmium. Rurſus, ſimplicem uocares eam, in qua nihil interponitur, quod orationis curſũ impediat; compoſitam, ſeu potius dilatatam, cum quippiam interſeritur, ut oratio maius ornamentum habeat; uel, ut non ita facile ab omnibus percipiatur: &, interpoſitione facta, ad eundem reditur orationis curſum, abſoluiturque ſententia; ut patet in primo primi libri officiorum Ciceronis ambitu. Cæterum, vt ſupra docuimus, nomen periodi non omni- Ariſt. Lull.

no is meretur ambitus, qui diſtinctas partes non habet, qui fine & principio caret. Compoſitam, aliqui ſubdiuidunt in eam, quę ad ſummum quattuor continet membra, & in eam quæ etiam pluribus conficitur colis, quæ non ita rotunde & circumſcripte rem explicat, ſed abſque vi laxius membra nectit, vt eſſe ſolent Hiſtoriographorum ambitus. Quare, illa contractior comprehenſio, quæ paucioribus colis, quam quinque conſtat, per excellentiam Periodus uocatur, quæ uero pluribus dilatatur, Peribole, ſiue periodica nominatur: ut eſt illa initio orationis Milonianæ. Oratio itaque ſinuoſa, longior, quæ fuſa & ſolutiora habet membra, non tamen uagantia & diſſipata, Periuole, & continuatio a quibuſdam dicitur.

Quarta poſitio, periodus a genere partium diuidi poteſt in commaticam, & colicam, hoc eſt in eam, quæ inciſis, & in eam, quæ membris conſtat. Hæc inciſis conſtatur, Ad amentiam te natura peperit, ad ſcelus exercuit educatio, ad ſupplicium fortuna reſeruauit; Item hæc, Magnæ fuit prudentiæ, & in magiſtratu gratiam omnium, & in priuata uitæ auctoritatem conſeruare.

Quincta poſitio, periodus ex membrorum numero, alia eſt monocolos, alia dicolos, alia trico-

tricolos alia tetracolos. Monocolos, ſeu uni membris periodus eſt, quæ unum habet membrum, ut iſta, Oro mi Franciſce, ſi me amas, ut quam celerime ad nos uenias: quæ ob illam interpoſitionem, duas magis expreſſas continet partes: quarum una propoſitionis, altera redditionis uim habet. Quare, ut quibuſdam placet; illa breuior periodus, dicitur monocolos, quę per interpoſitionem uno conſtat membro, qua ſublata, nulla uidetur remanere ambitus forma. Dicolos, ſiue bimembris, quæ duobus conſtat colis: ut, Nam quemadmodum eſt turpe ſcribere, quod non debetur; ſic improbum eſt, non referre quod debeas. Item, Ego omni officio, vel potius pietate, erga te cęteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe nunquam ſatisfacio. Monocoli & dicoli ambitus apti ſunt ad gnomas exprimendas: vt, Obſequium amicos, veritas odium parit: Qui in vita nihil habet iucundius vita, ille cum virtute non poteſt colere vitam. Pro Quin. *Tricolos, quæ tria habet membra: vt, Quæ res in ciuitate duę plurimum poſſunt, hæ ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia & eloquentia. Item, Tantus eſt ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilij dignitas; vt hæc a virtute donata, cętera a fortuna accommodata eſſe videantur. Tetra*

colos

colos, eſt eaque quattuor habet membra; vt eſt hæc, Non ne igitur indignum eſt eos præmijs meis inuidere, qui virtute certare noluerunt; eos in contentionem honoris venire, qui officijs ſe ſuperari æquo animo tulerũt? et hęc.

Ouid.

Sed trahit inuitam noua vis, aliudque cupido
Mens aliud ſuadet: video meliora, proboque,
Deteriora ſequor.

Et quoniam paullo longiores ambitus non damnantur, & non raro in vſum veniunt, vnum vel alterum ſubijciam exemplum. Videte igitur quam inique accidat; quia res digna ſit, ideo turpem exiſtimationem ſequi: quia turpis exiſtimatio ſequatur, ideo rem indignam non iudicari: vbi quinque curtiora membra cernuntur: in hoc vero plura. Etſi eo te adhuc conſilio vſum intelligo, vt id reprehendere non audeã, non quin ab eo ipſe non diſſentiã, ſed quod ea te ſapientia eſſe iudicem, vt meum conſilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ noſtræ vetuſtas, & tua ſumma erga me beneuolentia, quæ mihi iam a puero cognita eſt, me hortata eſt, vt ea ſcriberem ad te, quæ, & ſaluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena eſſe ducerem a dignitate.

Cic. epiſt. ad huc.

Huc referres diuiſionem ex varia membrorum

quan-

quantitate ſumptam: quod alia dicatur macrocolos, cuius vltimũ membrum eſt longius: alia miuros, cuius poſtremum colon eſt curtius; alia iſocolos, cuius membra ſunt paria; vt in allatis exemplis facile obſeruares. Ea vero, cuius concluſio præceps, incitataq; fertur, trachycolos grçce nominatur. Et quod etiam huc facit, a quantitatis termino, alia magna, alia parua, alia moderata dicitur comprehenſio. Huc denique referres illa tria periodorum genera, quæ aſſignauit Demetrius, rhetoricum, hiſtoricum, & dialogicum. Rhetorica ſiue oratoria periodus, eſt contorta & circularis, & quaſi in orbem rediens oratio: quæ rotundo pronuntiantis ore & manu, qua ad numerum circumferatur, indiget. Hiſtorica, quæ nec plane circumducta, nequæ valde remiſſa eſt, ſed grauitatem quandam, vtriuſq; uim retinendo, præ ſe fert, At vero dialogica, quę ad huc eſt remiſſa et ſimpliciter hiſtorica, quæ vix oſtendit, quod periodus ſit: cũ ſcilicet membra quaſi diſſolute adijciũtur.

Sexta poſitio, oratione circumducta, ſiue periodo non vbiq; & eodem modo vti licebit: ſed ea ratione, quam nunc explicabimus. Dicendi genus ſummiſſum atq; humile a periodorum & numerorum lege eſt liberum, atq; ſolutum: ita tamen, vt nec vagetur, nec er- Ci. in ora.

ret

ret oratio : quare circumſcriptione vti licebit, modo eam relaxes interdum. In genere demonſtratiuo ad voluptatem potiſſimum comparato, omnia circumſcripte dicenda eſſe exiſtimauit Cicero : ita tamen, vt cæſam orationem ibi adhibendam putet, vbi acriter, ſubtiliterq; dicendum eſt. In iudicijs quidam circunductam dicendi formam obeſſe, ac proinde a foro reijciendam putarunt : quorum ſententiam non approbauit Tullius, cum res vera iuſtaq; ſententia verbis apte comprehenſa diſplicere non debeat. Huc accedit quod patronus interdum delectare debet. Idem exiſtimauit Hermogenes. In quibus ſane, nec penitus refugienda, vt faciebat Egeſias, nec continuanda eſt : ne ſi penitus ablegetur, nimis conciſa ſit oratio ; ſi continenter adhibeatur, fidem abroget. In ſumma, in proemijs maiorum cauſſarum, in locis communibus tractandis, in amplificationibus, in digreſſionibus ad laudandum comparatis, ac etiam in perorationibus circunductione vti licebit. Verum cum res ipſa poſtulabit, ad commata & cola tranſeundum erit, vt varietate contexta oratio magis delectet. Denique, quod auctor adnotauit Herennianus, adhibetur priuatim periodus in ſententia, in contrario, atq; concluſione explicanda : quæ niſi circumſcripte & periodi-

Quint.

dice efferantur, nullam ſpeciem ſint habitura Septima poſitio, particulę ad periodos conficiendas aptę, ſunt illę, quarum vna ad alteram ſpectat: vt, Tantum quantum, adeo vt, cum tum, & ſi tamen, is qui, particulę, inquam, relatiuæ, comparatiuæ, aduerſatiuæ, cauſales, ac rationales, & ablatiui abſoluti, qui fere conſequentiam quandam ſignificant. Antequam huic diſputationi finem facio, aliquid de exercitatione in periodis conficiendis addam. Antiquos ergo dicendi Magiſtros ſuos diſcipulos in faciēdis periodis multum exercuiſſe, multi teſtantur ſcriptores. Omnis autem hac in parte exercitatio ad hæc capita reuocari poteſt. Primum, ſi diuerſorum generum fiant periodi; vt ſimplices, compoſitæ, duorum, trium & quattuor membrorum. Deinde, caſuum varietate; quod non de vna & eadem intelligo periodo, ſed de diuerſis. Poſtea, per varias figuras, per interrogationem, per ſimilitudinē per ironiam, per increpationem, aliaq; ſchemata. Præterea, ſi longa, fuſa, ac pendens oratio, ad circunductam & in orbem rotatam reuocetur: vel contra, ſi vincta & circumacta diſſoluatur, ac dilatetur. Poſtremo, ſi quadrimembris periodus, quæ oppoſitis conſtat partibus, partium earundem tranſpoſitione, eadem

ſem-

ſemper manente ſententia, uarijs enuncietur modis; ut ſtatim explicabo. Animaduertendum igitur eſt, ex Ariſtotelis ſententia duas eſſe compoſitæ periodi formas; unam, quam ipſe dieremenen appellauit, cuius membra ſunt libera atque ſoluta, ita ut earum partes inter ſe non reſpondeant: ut hæc, ſæpe numero eos miratus ſum, qui feſtos dies celebrant, & agones gymnicos inſtituerunt: alteram anticimenen; cuius membra inter ſe reſpondent & opponuntur, ut ſunt illæ periodi, quę ex antithetis aut aduerſis rebus fiunt: vt eſt hæc, Accidit enim ſæpe, ut ſtolidi feliciter, prudentes infeliciter agant. Poßumus itaque, uel uni propoſitioni unam reddere; uel uni duas; ut ſi dicas, Quæ ſi Miloni oppoſita putarem, cederem tempori, Iudices, nec inter tantam uim armorum exiſtimarem Oratori locum eſſe. Vel duabus unam, ut, ſi Milonem timeres; ſi hunc de tua uita nefarie, &c. Vel duplici propoſitioni duas redditiones; quę ſi inter ſe commutari poßunt, illa efficitur periodus, quam Græci chiazomenen, nos decuſſatam uocamus: quarum quamuis ſingulis præponere & poſtponere licet, quod uigintiquattuor modis contingere poteſt. Græci ad hanc rem demonſtrandam hoc utuntur exemplo.

Hermog. lib. 4. de inu.

Philip-

Philippus enim quo plura prẹter ſuam fecit dignitatem,
Eo apud omnes admirabilior iudicatur:
Vos, o Athenienſes, quanto peius, quam conueniebat rem geſſiſtis,
Tanto plus dedecoris uobis comparaſtis.

Latini uero uti poſſunt hac quadrimembri. M. Tullij circumductione. Pro A. Cẹcin.

Siquantum in agris lociſque deſertis audacia poteſt,
Tãtũ in foro, iudicijſq; impudẽtia ualeret:
Non minus nunc A. Cẹcinna cederet S. Ebutij impudentiæ,
Quam tum in ui facienda ceſſit audaciæ.

Hanc periodum ſic poſſes commutare, ut unum commutationis afferamus modum, Ita nunc A Cæcinna cederet S. Ebutij impudentię, ut olim in ui facienda ceſſit audaciæ: ſi tantum in foro iudicijſque impudentia ualeret, quantum in agris lociſque deſertis audacia poteſt. Et ut huic diſputationi ſit finis, quid de tempore, quo circumſcripta dicendi ratio inuenta fuit, dicendum ſit, hic Tullij locus demonſtrat, Nã cum conciſus ei (Iſocratem intelligit) Traſymachus minutis numeris uideretur, & Gorgias, qui tamen primi traduntur arte quadam uerba iunxiſſe; Thucydides autem præfractior, nec ſatis, ut ita dicam, rotundus; primus In Orat.

inſtituit

inſtituit dilatare uerbis, & mollioribus nume Eod. Lib. *ris explere ſententias. Et alio loco, Nam qui Iſocratem maxime mirantur, hoc in eius ſummis laudibus ferunt, quod uerbis ſolutis numeros primus addiderit, & quæ apud eundem ſequuntur.*

De longiore periodo ſiue de ſpiritu, extenſaque oratione. Diſp. X.

ET ſi poſſem, dum de longa periodo, pendenti, diſſolutaque dicendi ratione diſputare aggredior, quaſdam dubitationes in mediũ afferre: tamen, ne in re minus dubia immorer, illis omiſſis, quæ de ſpiritu & fuſo dicendi genere dicenda ſunt, ea quibuſdam poſitionibus complectar.

Prima poſitio, longior uerborum compoſitio, quam Græci peribolen, & ſynechiam, nos comprehenſionem longumue citcuitum appellamus, ſi proprie loqui uelimus, diſtinguẽda eſt a periodo. Hoc affirmauerim cum Hermogene, cuius ſententiæ multi ſubſcribunt, contra Fabium. Quoniam, periodus proprie, eſt ille uerborum orbis, & quaſi circulus ex propoſitione & redditione formatus: ita ut ipſa circumſcriptio,

ptio, non dicentis uiribus, aut re ipſa, ſed artificio quodam terminetur. Sed, ut hactenus etiam fecimus, late ſumpto uocabulo, periodũ, ſeu peribolen, hoc eſt, periodicam circumſcriptionem appellaemus. Solet etiam lõgus circuitus, in quo membra longius continuantur, grȩce uocari Irmos, Latine, tractus & ſeries; ſicuti eiuſdem contractio & ſeparatio, qualis in ſententijs & præceptis eſt, Aphoriſmus, hoc eſt, præciſio, nominatur. Illa vero in qua nulla compoſitionis membrorumque habetur ratio, ſed uerba ſine ulla diligentia diſſolute funduntur, ſchedia, id eſt, rates, & ſcopæ diſſipatæ. Vt autem hanc dicendi formam eiuſq; partes plane explicem, obſeruandum eſt, quod etiam ſupra adnotauimus, Ariſtotelem duas feciſſe orationis formas, unam, quam cateſtramenen, ideſt conuerſam, & in ſe redeuntem: alteram iremenen, hoc eſt, diſſolutam, tractam, pendentemque; quæ longo uerborum tractu, ita procurrit, ut præcedentem ſententiam ſubſequens per cõiunctiones excipiat, & ad initium ueluti per ambitum, non recurrat: quam ſimilem eſſe ait dithyramborum anabolis. Dithyrambi, ut quidam ſcribunt, erant hymni in laudem Bacchi, qui numerorum lege ſoluti, quodam repentino furore, mutata etiam ſæpe metri forma potius effundi, quam arte

 confici

conſici uidebantur. Habebant itaque partes diuerſi generis maiores & minores, iuxta rhythmorum uarietatem, quas Ariſtoteles, Anabolas appellat. Vt ergo dithyrambus reliquis poematibus erat multo ſolutior, multaſq; habebat inæquales partes, unico orationis tractu extenſas; ita etiam iſta de qua loquimur dicendi forma, eſt multo quam alia liberior, atq; membrorum inciſorumque uarietate & multitudine protractior. De hoc ergo compoſitionis genere a nobis in præſentia diſſerendũ eſt:

Secunda poſitio, productioris orationis, ſiue periodi ſpecies, ſiue modi sũt tres, Pneuma, hoc eſt, Spiritus, Acme, hoc eſt, uigor, & Taſis, latine extenſio & intenſio. Verum Hermogenes omnem longiorem periodum ſpiritum appellare uidetur. Ea de cauſſa prælongus uerborum ambitus, quaſi per excellẽtiam, Spiritus uocatur, quod ad eius pronuntiationem maiore ſit opus ſpiritu.

Lib. 4. de inu.

Tertia poſitio, Spiritus eſt orationis compoſitio, & comprehenſio uerborum ſiue orationis ſententiam membris, & inciſis demenſam, pro Oratoris ſpiritu, qui eius uoce perficitur, abſoluens. In qua deſcriptione genus, eſt, compoſitio: materia, membra & inciſa; forma, menſura illa; cauſſa efficiens, Oratoris uox. Vel eſt orationis compoſitio, quæ inciſis & co

lis

lis ſine vllo circuitu ſententiam perficit, & eo vſque protrahit, quo dicentis patitur ſpiritus. Quo fit, ut ex parte dicentis nullus ſit certus ſpirituum numerus. At uero ſi formam ſpectemus, duo ſpirituum genera facit Hermogenes: Alterum, per commorationem in eadem ſententia, cum unam & eandem rem uarijs ſententijs, membriſque explicamus; ut fecit Cicero cum dixit, Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, &c. quo genere in graui & ampla oratione utimur: alterum, per commorationem diuiſione & partitione factam; cum genus in formas, & totum in ſuas partes diuidimus. Exẽplum habes in Maniliana oratione, ubi Orator Pompeij geſta percurrit. Extenditur itaq; ſpiritus, uel uerborum ſententiarumque unam & eandem rem explicantium congerie, uel rerum multarum diſtributione, cum ſingula ſingulis membris complectimur. Ad primum genus hic apud Ciceronem ſpiritus pertinere videtur, Tantæ ne tuæ, Verres, libidines erunt, vt eas capere ac ſuſtinere, non prouinciæ populi Romani, non nationes externæ poſſint, & quæ ſequuntur.

Phil. 2.

In Ver.

Quarta poſitio, ſpiritus compoſitio, ſiue colligatio fit coniunctionibus copulatiuis: quoniam his particulis celeritas exprimitur, quã

ſpiritus requirit. Item verbi repetitione; vt, nihil domi, nihil in foro, nihil militiæ feciſti, & cætera. Quod ſi repetitionem tolleres, non ſpiritus (cum non feſtinet oratio) ſed compoſitio κωλικὴ, erit, quæ membris congruit, quam ſequitur periodus, & particulis redditiuis fit: in qua aliquid poteſt interſeri; vt ſi diceres, Diſcordias ſeminauit: an non id magnum crimen eſt? remp. euertit; quo ſcelere nullum eſt maius. Forma itaq; ſpiritus requirit continuationem, quæ duobus modis, vt diximus, fieri poteſt.

Quinta poſitio, ſpiritus habet ornatum quendam, qui conſiſtit in artificioſa commoratione, quæ omnes rei partes neceſſarias congruenti ordine complectitur; vt prima in initio, ſecunda in medio, tertia in fine ponatur; in multitudine inquam & magnitudine diuiſionis, rerum ſeruato ordine. Et hęc erit boni ſpiritus, ac etiam probati oratoris nota, vt per rerum diuiſionem, congrua commoratione, poſſit in longum ſpiritum producere. Atq; ex his colligi licet, quæ ſint ſpiritus virtutes, quas requirit Hermogenes; quæ ſunt diuiſio, enumeratio, ordo, & numerus.

Sexta poſitio, ſpiritus non debet eſſe monoſchematos, id eſt vnius figuræ, ſed varijs formis atq; habitibus ornatus. Vtendum itaq;

erit in longa continuataq; periodo metaſchematiſmo, hoc eſt transformatione, varia nimirum forma, vel ſententiarum, vel verborum. Sententiarum figuræ ad ſpiritum accommodatæ ſunt ſeptem, Apophaſis, id eſt oratio pronuntians, ſiue vera, ſiue falſa ſit, per commorationem variata: vt Clodius eſt homo nefarius, ſeditioſus ciuis, &c. Interrogatio, quæ licet membratim fiat, & vocis interpoſitionem admittat; tamen cum longam continuationem habeat, ſpiritus naturam retinet. Vt, qui ſunt qui foedera ruperunt? Carthaginenſes, &c. Interrogatio per aſſeuerationem; vt, eſt ne iſte, qui legem tulit? qui maiorem populi partem ſuffragijs priuauit? &c. Enſtaſis, latine, ſi ſic loqui licet, inſtantia, cum oratio non ſolum affirmat, & aſſeuerat, ſed etiam vrget aduerſarium, dũ ad eum ſe ſe conuertit, & ſuo nomine appellat. Item, ea figura, qua non ſolum voce, ſed etiam corporis actione, veluti capitis, & digitorum motu, alio ue geſtu, res ipſa demonſtratur. Negationis ſchema, quo in criminum depulſione vtimur: vt Non feci, non inſidiatus ſum reip. non occupaui regnum. Denique, ea quæ vetando fit; vt Ne mihi, ante actam vitam obijcias, &c. Quo loco illud catholicum datur præceptum, vt non ſolum in

re ipſa, ſed etiam in figura a principio ad finem commoremur, vt bonum efficiamus ſpiritum; vt in ſeptima Verrina fecit Tullius, repetendo, verbum, Vllum. Adhibenda etiam eſt verborum transformatio, de qua vltimo libro latius ſcribetur; vt partium, & accidentium orationis commutatio, per caſus, per numeros, per terminationes, per metonymiam; vt, tui vultus acerbitas, tuus acerbus vultus, tuum tueri acerbum: per modos; vt recte facis, fac in poſterum, vtinam dudum feciſſes, &c. Vbi obſeruandum eſt, vt ſpiritus ab vno pendeat verbo in principio poſito; uel ad vnum currat, quod ſit in fine. Hæc autem transformatio, & in vno, & pluribus ſpiritibus fieri poteſt. In uno, cum plura erũt membra, ut dena, uigena, & quadrigena: in pluribus cum ab uno ad alium ſpiritum fit progreſſio: quæ ideo erit neceſſaria, ne ſpiritus longitudo pariat faſtidium: quo fiet, ut non ſolum oratio ſit uegeta, robuſta, ac lacertoſa, ſed etiam pulchra & uenuſta. Vbi notandum eſt, tria in ſpiritu notari; initium, quod a cauſſarum propoſitione ſumi poteſt: progreſſio, ubi orta de cauſſis ponere licebit: & ſtatus, ſiue reſpiratio, ubi euenta collocanda erunt: quare tres fieri commutationes poterunt. Hæc ergo dicendi forma ſit a principio grauis, & uiri-

lis; deinde uerborum & ſententiarum luminibus ornata: cuiuſmodi erit, ſi conformationes per exempla, per ſimilitudines, & collationes per ergaſiam accedent.

Septima poſitio, in oratione celeri, & continuata, atque quodammodo accenſa, Oratores duos, & tres ſpiritus continuare ſolent: ubi figurarum commutatio neceſſaria erit, ne ſpiritus unius ſit formæ. Progreſſio ab uno ad aliũ ſpiritum, occulte fieri debet, abſque pręmonitione & propoſitione: aliqua adhibita breui periodo, ne ſpiritus uideatur defatigatus: Aliqua tamen quies interponenda erit, quam ſtaſin appellat Hermogenes. Pulcherrimum ſpiritus exemplum apud Demoſthenem habes in oratione pro corona, & apud Tullium in oratione pro domo ſua, cum ait. Si reuertar, & quæ ibi ſequuntur; ubi exemplum, quod eſt in principio, melius poneretur in fine. Et in eadem oratione in epilogo, Quo circa te, Capitoline, & quæ ſequuntur.

Octaua poſitio, ijs in locis ſpiritu uegeto ac robuſto opus eſt, ubi graues cauſſæ, grauia effecta & euenta intercedunt. Cuius quantitas non membrorum & inciſorũ numero, ſed Oratoris uiribus ponderanda eſt. Atque ex his quid Acme, & Taſis ſint, intelligi facile poterit.

Nona poſitio, Acme, ut quibuſdam placet, eſt uerborum aut ſententiarum mutatio: uerborum, cum eadem ſententia ab uno ad alium ſpiritum tranſmutatione figurę, tranſitur, ſententiarum uero, cum ab aliqua ſpiritus productione, in aliam atque aliam tranſimus, ſententiam ſubinde mutantes. Taſis uero, ſiue ſpiritus dilatatio, cum ulterius, quam ferre poſſit dicentis ſpiritus, connexio membrorum protẽditur. At uero alÿ ſic iſta diſtinguũt, ſpiritus fit, cum ſub una figura plura membra aut cõmata iunguntur: Quæ ſi adhuc alio ſpiritu excipiantur, tunc fiet extenſio, ſiue Taſis: Quod ſi rurſus alia excipiantur, iam fiet Acme. Et pro exemplo afferunt illud Ciceronis in ultimo paradoxo, Nam ſicut ÿs, qui honeſte rem quærunt, & quæ ibi ſequuntur. Quod ſi in accuſando fiat, cataphoram, hoc eſt impetum Hermogenes appellat; ut in Miloniana, Polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones: Senatus grauiſſima decreta perfregerat: pecunia ſe palam à iudicibus redemerat: uexarat in tribunatu Senatum; omnium ordinum conſenſu pro ſalute reip. geſta reſciderat: me patria expulerat; bona diripuerat; & quæ ſequuntur.

Rap.

Lul.

Decima poſitio, Taſis, ſiue dilatatio eſt, cũ ſpiritus longius protrahitur, cum ſcilicet oratio longior eſt, quam proprio & naturali Oratoris

toris

Digitized by Goo

toris ſpiritu comprehendi potuerit. Duo itaque ſunt comprehenſionum genera; alterũ ad Oratoris uires accommodatum, quod abſque ſpiritus defatigatione pronunciatur: alterũ quod modum excedit, & hoc uocatur Taſis, ſiue dilatatus ſpiritus.

Vndecima poſitio hoc orationis genere, aliquando uti licet. Siquidem nullum eſt inconueniens, ſi Orator interſpiret, aut fatigetur; cum interdum dicat, ſe non ſatis dicere poſſe pro rei magnitudine, nec ſatis exclamare, & vociferari. Ibi autem hęc orationis dilatatio ſequi ſolet, vbi oratori ſpiritum ducere licet.

Duodecima poſitio, Duo ſunt Taſis genera: alterum quo in accuſando vtimur, in ſceleribus, flagitijs, parricidijs, & proditionibus, quod Impreſſio, ſeu impetus vocatur, ex eo quod oratio debeat celeriter proferri, & cum impetu currere: alterum, quod in defenſionibus adhibetur, cum obiecta crimina cum virtutis ſignificatione, ſine vlla, vel iracundiæ, vel metus, vel odij demonſtratione diluuntur. Hoc itaque genus, quod Taſis ſpeciatim nominatur, continet orationem ſedatam, cunctantem, non velocius currentem; ita vt habeat plus moræ & ſpatij, ac lenitatis, & patientiæ, quam primum genus habet:

bet: ſiquidem ſedatius, ac mitius ſuum ſpiritum defenſor, quam accuſator profert. Quare hæc duo genera non modo perſonis, ſed etiam pronuntiationis forma, & celeritate, tarditate ue diſcrepãt. Impreſſio enim eſt celerior & concitatior: dilatatio vero ſedatior & cunctatior.

Decimatertia poſitio, dilatationis interſpiratio duobus modis fieri poteſt: primum anhelatione, et interſpiratione, pari vel ſummiſſa voce, ad eandem poſtea redeundo: ſi orator defatigatus, aliquid de vocis contentione, motusq; corporis remittat. Taſis exemplum illuſtre habes apud Ciceronem in ſeptima Verrina, cum ait, Nunc, te Iuppiter opt. max. cuius, &c. vbi ſpiritus producitur vsq; ad illud, Vos etiam atq; etiam, &c. Item, Vt ſi hoc in reo, &c. vbi tandem, conuerſa verborum conformatione, breuibus periodis oratio clauditur. Illud itaq; habet proprium hoc fuſum orationis genus, vt quousq; ſpiritus tulerit, procurrat, nullo certo membrorum inciſorum ue numero, aut quantitate contentũ, ſiue illa paria, ſiue imparia ſint, ſiue curta, ſiue longa; nullum exquiſitum numerum deſiderat, ſed eum quem res ipſa tulerit. Hoc tamen requirit, ut quamdiu ſpiritus ſubſiſtit, in eadem dicẽdi figura continenter perſeueretur,

membra

membra mẽbris, & commata cõmatibus ſubinde connectendo: ut ſi per enuntiationem diceretur. Hic & Eubœam ſibi uindicauit, & aduerſus Atticam muros extruxit, & Orcum occupauit. At uero ubi reſpirandi neceſſitas acceſſerit, dicendi forma uariari poterit, ut ſi per interrogationem diceres, Quis Eubœam ſibi uindicauit? &c. Toties autem cenſetur uariari figura, quoties uariantur caſus, numeri, modi, aliaque partium orationis accidentia.

Vltima poſitio, oratio diſſoluta, quę ſine ullo artificio procurrit, & nullis eſt uinculis ligata, aut figuris ornata, non eſt omnino reijcienda, ſed ſuis locis adhibenda: ut in narrationibus, cum ſimpliciter, & uelociter aliquid narrandum eſt. Huiuſmodi eſſe uidetur narratio illa in Verrem, Seruos ſuos ad ſe uocat: ijs imperat, ut ſeipſum negligant, filiam defendant: excurrat aliquis, qui hoc tantum malum filio nunciet. Clamor interea fit tota domo inter ſeruos Rubrij atque hoſpitis: iactatur domi ſuæ uir optimus: pro ſe quiſque manus affert: aqua denique feruente, a Rubrio ipſo Philodamus perfunditur. Item, Veniunt ad Chelidonem: domus erat plena: noua iura, noua decreta, noua iudicia petebantur: mihi det poſſeſſionem, mihi ne adimat: in me iudicium ne det &c. Hac eloquendi forma, apud Terentium

tium comœdiarum argumenta narrantur. Atque de periodi partibus hucuſque.

An vllus ſit numerus oratorius, & quæ ſit eius natura. Diſp. XII.

VETVS ac celebris de numero oratorio eſt diſputatio, qua inueſtigatur, ſit ne ullus in ſoluta oratione numerus: quæ nondum eſt ita certa, ut nullus relictus ſit dubitandi locus: ut ex ſequentibus rationibus facile intelligi poterit.

Primum, numerus eſt harmonia, ex acuto & graui contemperataque uoce nata; ſiue cātus, qui ex animalis uoce fit, cum uox uarie reſonando ſurſum deorſumque ſubſiſtit: atqui tam harmonia, quam cantus ab oratione ſoluta ſunt aliena: igitur. Propterea, cuidam male orationem ſolutam pronuntianti dictum fuiſſe legimus, ſi legis cantas, ſi cantas, male cantas. Confirmatur hæc ratio; numerus oritur ex certa ſyllabarum ac pedum quantitate, qualitate, & numero: at in oratione ſoluta, nec ſyllabarum, nec pedum certa multitudo ſpectatur: igitur ex eius compoſitione nullus naſcetur numerus. Deinde, oratio poetica, ideo eſt numeroſa, quia eſt certis numeris conſtricta: in

in quo oratoria dictio maxime a poetica diſcrepat: igitur, ſi illa habet harmoniam, quia eſt numeris colligata, hæc, cum ſit a numeris ſoluta, numero carebit. Huc facit, quod omnes magiſtri docent, & in primis Cicero, Orationē debere eſſe liberam, nullis uinculis conſtrictā, ita ut quamcumque in partem conuerti poſſit: quod uerum non eſſet; ſi quem deberet habere rhythmum, qui certum uerborum ſonum requirit. Ad hæc, certum eſt numerum non fuiſſe obſeruatum in oratione, niſi arte dicēdi iam perfecta, ut ex Cicerone diſcimus; & certe apud Romanos, ante M. Tullium numerum obſeruauit nemo, idque ipſe fatetur, cum ait, nos nuper agnouimus: & tamen Roma multis antea claruit Oratoribus, ut ex Bruto cognoſcere licet: igitur, ſi hæc facultas ſine numero eſſe potuit, nulla erit de numero oratorio doctrina. In 3. orat. In orat.

In hac difficultate duæ ſunt oppoſitæ auctorum ſententiæ; prima eorum, qui nullum in oratione ſoluta agnoſcunt numerum; quorum meminit Tullius cum dixit, Nimis enim inſidiarum ad captandas aures adhiberi videtur, ſi etiam in dicendo numeri ab Oratore quærun tur; hoc freti iſti, & ipſi fracta & amputata loquuntur; & eos vituperant, qui apta & finita pronuntiant. In hac ſententia fuit He- In orat.

geſias,

geſi.ıs1, & eius ſectatores. Secunda aliorum, qui contra ſenſerunt; quorum his verbis meminit Tullius. Verſus enim ueteres illi in hac ſoluta oratione propemodum, hoc eſt numeros quoſdam nobis eſſe adhibendos putarunt. Hãc opinionem ipſe ſecutus eſt, & artem numeroſe dicendi late expoſuit; quamuis in quorundã reprehenſionem inciderit; qui multa in doctrina de numero ab ipſo allata, damnarũt, ſed nõ oĩa bene. Pro ſolutione hac pono fundamenta.

Primum fundamentum, uox iſta, Numerus, qua in hac tractatione ſæpe utemur, uarias ſignificationes habet, quas nunc exponam vt, quo a nobis modo vſurpanda ſit, intelligatur. Numerus igitur proprie ſignificat unitatum collectionem: unitate enim repetita, cõficitur illa collectio, quã Græci arithmon, nos numerum appellamus. Atque de numero hoc pacto accepto, partim Metaphyſicus, partim Arithmeticus diſputat: cuius cognitio nihil ad rem noſtram attinet. Deinde, numerus ponitur pro ordine; unde dicimus, digerere in numerum, referre in numerum. Prçterea interdum ponitur pro honore, uel exiſtimatione; ut cum dicitur, in aliquo numero haberi, uel eſſe: qui loquendi modus, idem aliquando valet, quod numerari. Denique, numerus pro concentu & modulatione ſumitur: & pro eo, quod

Plin. Cic. de orat.

Italice,

Italice, Aria, dicitur, qua cantilenas modulamur: & a uarijs regionibus, varia canendi ratio, varia ſortitur nomina; ut Romana, Neapolitana, Sicula. Huc facit, quod apud Ciceronem legimus. Primo inflatu tibicinis, Antiopam eſſe aiunt, aut Andromacham. Hoc modo accepit apud Virgilium Lycidas, cum dixit. In Lucil.

Numeros memini, ſi uerba tenerem. Eclog. 4.

Quod nos numerum in hac ſignificatione dicimus, Græci, rhythmon appellant: aliqui concinnitatem a concinendo appellari poſſe dicunt. Atque de numero in hac ſignificatione accepto, nos diſputaturi ſumus: de quo tum vniuerſe, tum priuate agemus; & primum definiemus, deinde diuidemus.

Secundum fundamentum, numerus uniuerſe ſumptus, nihil aliud eſt, quam motus, ut uoluit Plato, uel ut alijs placet, temporum ordo. Quare ex ordinatis apteque diſpoſitis temporibus, motibus ue efficitur numerus. Temporis autem & motus nomine intelligitur minima ſpatij pars, quæ eſt in ſono, aut voce, aut aliquo corporis motu, mora nimirum breuiſſima. Verum, ut hæc finitio ſit abſoluta, uel vt perfecte intelligatur, ſubintelligendum eſt, numerum non ſolum fieri ex illa temporũ motuumue ordinata ſucceſſione, ſed etiam ex eo- Lib. 2. de leg. Philax.

rundem

rundem tarditate, celeritate, ac temperamento quodam. Hæc partium motus temporiſque varietas, non ſolum in ſono, & uoce, ſed etiam in corporis progreſſu & receſſu animaduerti poteſt: cæterum, quæ in motu eſt, celeris & tarda, quæ in ſono, breuis & longa dicitur. Ex quibus colligeres, rhythmum uniuerſe ſumptum varijs ſenſibus percipi. Alius enim percipitur auditu, vt ille qui eſt in ſono: alius tactu, vt cum cordis & arteriarum motum digitis exploramus: alius ſolo aſpectu, vt cum aliquem ad numerum ſaltantem, cernimus. Huc facit Virgilianum illud,

Eccl.6.

Tum vero in numerum Faunoſque feraſque videres.
Ludere, &c.

Alius, aſpectu & tactu; vt cum ſpirantis & reſpirantis motum exquirimus. Nec mirum uideri debet, ſi rhythmus hoc modo acceptus pluribus ſenſibus percipitur, cum pendeat ex motu, & quantitate, quæ ſunt ſenſilia communia, vt Ariſtoteles docet. Verum hi omnes rhythmi, vi illius, qui eſt in animo inſitus percipiuntur: qui cum ratione conſtet, omnia quæ cum ordine ac proportione fiunt, ſentire poteſt. Quo factum eſt, ut aliqui exiſtimauerint, animum eſſe harmoniam quãdam. Rurſus ex dictis inferre licet, numerum

Lib. 2. de anim.

non

non eſſe in uno tantũ tempore, aut motu: quia, ubi non eſt multitudo, non eſt partium ordo, quem numerus requirit. Tunc itaque incipiet eſſe numerus, cum duæ inſecabiles tẽporis motuſue partes, quadam celeritate tarditateque progredientur. Denique colligeres, quotuplex ſit rhythmus uniuerſe ſumptus. Eſt autẽ duplex, alter qui in ſolo motu reperitur; alter qui in ſono & uoce: & hic rurſus duplex: unus qui eſt in ſono, ſeu uoce, quæ nihil ſignificat, ſiue fiat a rebus anima carentibus, ſiue ab iis quæ anima ſentiente, aut intelligente utuntur: alter qui reperitur in uocibus aliquid ſignificantibus, de ea uocum ſignificatione loquor, quæ ex hominum uoluntate pendet, ut ſunt articulatæ uoces, quibus animi ſenſa exponimus: & de hoc eſt in præſentia dubitatio, An in humano ſermone aliquis ſit, aut eſſe poſſit numerus; ita, ut ex ſyllabarum & pedum, qui ſua habent ſpatia breuia & longa, aliqua oriatur harmonia, quæ iucunditate aures afficiat, animumque oblectet.

Tertium fundamentum, relicto itaque rhythmo, qui in ſolo motu, & ſono, uoceque nihil ſignificante reperitur, de eo agendum eſt, qui in uocibus articulatis, & ſignificantibus percipitur. In uerſibus ergo eſſe aliquid numeroſum negaret nemo, an uero etiã in ſoluta ora-

tione, quia non facile deprehenditur, facile negatur. Sed hoc ponatur modo tanquam certum, quod poſtea probabitur, numerum eſſe duplicem, alterum poeticum, alterum oratoriũ qui priuatim in eo differunt, quod poeticus uarijs modis in uerſu inuenitur & adhibetur: oratorius uero una eademque ratione. Nam, ut illud obiter de poetarum numeris dicam; alij certorum pedum numero, quantitatis ſolum non numeri ſyllabarum, habita ratione uerſus conficiunt: alij præter dicta, etiam ſyllabarum numerum animaduertunt: alij ſolum numerum ſyllabarum, ac ſimilem uerſuum terminationem ſpectant: quo modo materno ſermone apud omnes nationes carmina fiunt. Sed de metrorum ſcribendorum forma non eſt huius loci differere: illud ſolum admonuerim, numerum poeticum ſolere, diſtinctionis gratia, appellari metrum, oratorium uero, rhythmum, & numerum ſpeciatim ſumptum; cuius natura uarie explicatur: ex Ariſtotelis ſententia, aliqui hunc in modum deſcribunt numerum, Numerus oratorius eſt rhythmus quidam, nõ exquiſitus, neque canorus, qualis eſt in poematis & canticis, ſed ita diſſimulatus & latens, ut tamen ſentiatur, & orationem iucundo fine claudat. Ex M. Tullio hanc aliam, Numerus eſt modus quidã orationis, qui e permi-

In Ora.

ſtis

ſtis & confuſis pedibus, e temporum quibus conſtant, apta ratione naſcitur. Fabius hoc modo finiuit, Numerus eſt ea, quę efficitur e pedibus æqua concluſio. Addit, hunc numerum eſſe imperfectum, ſi cum poetico comparetur. Strebeus hoc modo, Numerus eſt orationis apta modulatio ex interuallorum breuium longorumque uarietate. Interualla ſunt ſyllabarum tempora, quæ in efferendis uocũ partibus tranſiguntur. Oratio igitur illa, quæ longis & breuibus interuallis eſt temperata, & ad aurium menſuram terminata, iucundeque progreditur, & apte cadit, numeroſa dicitur. Quo fit, ut numerus in oratione, ſit id, quod eſt metrum in uerſu. Idem per negationem hunc in modum numerum deſcripſit. Numerus non eſt ſententia ipſa, non uerba, non concinnitates & figuræ, non tropi, non pedes & eorum tempora, non inciſa, aut membra, aut ambitus, ſed pedum ordine poſitorum quidam pulcher inceſſus, & ueluti quædam orationis expolitio, & palęſtra. Immo ait eſſe hæc omnia, cum ab his omnibus aliqua ratione pendeat. Sed ut adhuc melius numeri naturam exponam, aliquid de melo adſcribam. Lib. 9. Long. Rhetor.

Quod ergo græce melos, latine modulatio, melleus cantus, ſuauis uocis modulus, ſuauiter elatus ſermo, accentus, ſiue concinnitas dicitur.

citur. Ad cuius obſcuram naturam explicandam animaduertendum eſt, uocem humanam eſſe duplicem, alteram, ſpatijs diſtinctam, quibus nunc attollitur, nunc deprimitur, æquabiliterve procedit: alteram, in qua nulla ſpatia diſcernuntur, dum æquabiliter eodemque modo fluit. Et quia in ſermone, vox eadem ratione ſemper ferri uidetur; ideo nulla in eo melodia eſſe putatur, aut non facile obſeruatur; cum tamen adſit. Nam, ſi in muſica modulatio eße dicitur, quod uocis elatione, & depreſſione, atque uarietate, ut acuta, & graui conſtet; & eandem in ſermone uarietatem notare licet. cum in eo, ſint uocales, tum acutæ, tum graues, magis & minus ſonantes, uariaque accentuum ratio, per quos ſermo, vel attollitur per acutum, uel deprimitur per grauem, uel quaſi corrugatur per circumflexum; erit profecto in ſermone melos. Accedat ad rationem experientia, qua docemur diuerſos populos ob accentuum uarietatem ſuauius, & minus ſuauiter pronuntiare. Oxitoni, & ut ita dicam, acutitoni Galli, Itali non item: & in eadem prouincia, alij ob eandem rationem dulcius, alij aſperius loquuntur. Quamuis ergo eædem in eodem ſermone ſint uoces; tamen, ni eadem ſit diſpoſitio, & accentuum, ſyllabarumque proportio, non eadem erit conci-

cini-

tinnitas, & modulatio. Vnde alia eſt ſi dicas,
Tu recubans patulæ ſub tegmine Tityre
fagi.
alia ſi eadem verba, vt fecit optimus modulationis artifex, conſtituas,
Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine
fagi.
ubi eadem eſt metri quantitas, ſed non eadem modulatio. Solutæ itaque orationis modulatio, non ex ſolo motu, non ex ſola uocum longitudine, & breuitate atque elatione, & depreſſione, naſcitur, ſed etiam ex literarũ acuto grauique ſono, & uaria accentuum proportione, & uocum diſpoſitione, & interdum ex elocutionis forma, ut ex interrogatione, exclamatione, atque obſecratione, quæ uarijs efferuntur accentibus. Quo fit, ut concinitas, ſiue uoculatio, ut aliqui loquuntur, nihil aliud ſit, quam uocum recta ſuauiſque modulatio; qua, uel attollimus, uel deprimimus, uel æqualiter uocem efferimus: quæ rebus de quibus eſt ſermo, debet eſſe accommodata. Dictio quæ aſſurgit, eſt uirilis & erecta: quæ deſcendit, commota & lamentabilis: flexa, flebilis, & ſuauis: intenſa & remiſſa, non tamen circumflexa, furibunda, ut Me ne incepto deſiſtere uictam? æquabilis uero, grauis, & moderata. Grauiter, in Miloniana exorditur Tul-

lius, ubi prius paulatim aſcendit, poſtea deſcendit. Sed iã de accentu, ex cuius proportione priuate oritur modulatio, aliquid dicamus. Accentus, ſic ab accino dictus, eſt ſyllabarum, uocumque pronunciandarum ratio, ſiue modulus. Qui triplex eſt; acutus, qui ſyllabam, attollit: grauis qui deprimit: circumflexus, qui attollit, & deprimit, aut inflectit: quorum recta pronunciandorum ratio nunc ignoratur: collocantur autem hoc pacto. Acutus in penultima & antepenultima locum habet: circumflexus in penultima tantum: grauis ubi nõ eſt alius: ponuntur etiam in monoſyllabis, ut ſequentibus regulis exponam. Prima, dictio monoſyllaba natura breuis, aut poſitione ſolũ longa, acuitur, ut fél, mél, fáx, dúx: quæ natura, uel etiam poſitione eſt longa, circumflectitur; ut ſôl, môs, mê, tê, rôs, lûx. Secunda, in diſyllabis, ſi prior ſit natura, aut etiam poſitione longa, flectitur, modo poſterior ſit breuis: ut cæ̂cus, aûdit, mâtris, Rôma: ſi etiã ultima ſit longa, prima acuitur; vt ǽſtas, mónes, dótes: uél ſi utraque ſit breuis, aut altera; ut Déus, nefas. Tertia, in polyſyllabis ſemper obſeruanda eſt penultima, quæ flectitur, ſi longa fuerit natura, uel etiam poſitione, modo ultima ſit breuis; vt amîcus, afflîgit, uirtûtis, palæ̂ſtra; ſi utra-

Iſid. Lib. 2.

Quinct. lib. 1. c. 5.

que

que longa, acuitur; ut Roma'nos, uiċto'res: at ſi penultima ſit breuis, ſemper acuitur antepenultima; ut, do'minus, are'opagus, iſa'goge. Quarta, ſyllabæ quæ non acuuntur, aut fleċtuntur, grauem habent accentum. Quare, apud Latinos, ut Nigidius, & Quintilianus docent, nulla ultima ſyllaba acuitur, aut circũflectitur; in quo paſſim ſcribendo, & loquẽdo peccatur. Quincta, ſyllaba tertia a fine ob cõpoſitionẽ non acuitur: Vnde aliqua'ndo, non ali quando, enimue'ro, non eni muero, ſic appri'me. Verum ſi dictio compoſita diſſolui poteſt, vtroque modo pronunciare licebit, vt, nihilominus: alias lege cõmuni vtendũ erit, ut, alicubi, alibi. Sexta, quãdo uoci additur particula enclitica, vt ſunt, que, ue, accentus ponitur in vltima, ſi ſit natura, vel poſitione longa; vt homine's ne, cælum' que: ſi breuis in antepenultima; vt i'taque bo'naue. Septima, in vocibus abſciſis, ſi penultima ſit longa, ibi ponitur accentus: ut, Corne'li, Hora'ti: ſi breuis, in antepenultima; vt Vi'rgili, Me'rcuri, ca'lefac, ra'refac. Octaua, prępoſitiones ſuis caſibus præpoſitæ, eodem tenore cum illis efferuntur, ac ſi vna eſſet vox; vt, per forum, ab eo, ad Deum, præter morem, quæ graui tono efferuntur. Atque de his hactenus. Gel.

Prima poſitio, numerus, ſiue in motu tan-

tum, ſiue in voce ſpectetur, pertinet ad Categoriam quantitatis, eſtque genus quantitatis diſcretum. Conſiſtit enim in quibuſdam temporis, motuſue partibus diſcretis quodam certo ordine, celeritate, tarditateque affectis: quo fit, vt ſine motu eſſe non poſſit. Sed hæc ſubtilius examinãda relinquãtur philoſophis.

Secunda poſitio, rhythmus uniuerſe ſumptus, ſic poteſt deſcribi, Eſt ordo partium motus, temporiſue certa quadam velocitate tarditateque, vel longitudine & breuitate ſibi ſuccedentium. Hæc definitio patet ex iis quæ ſupra explicata ſunt, propterea nihil eſt, ut eã pluribus exponam. Cõuenit autem tam rhythmo qui eſt in motu, quam ei qui eſt in ſono.

Boeth. li. de muſ. Franc. Maur. lib. de muſ.

Tertia poſitio, rhythmus muſicus, eſt ordo temporum ex certa uocis progreſſione, intentioneq; & remiſſione natus. In rhythmo itaque muſico, præter motus celeritatem tarditatẽque eſt etiam quædam uocis ſubleuatio ac depreſſio acuti grauiſque ſoni, quæ græce, arſis & theſis dicũtur. Sed de his uideãt Muſici: nos ideo de hoc rhythmo mẽtionẽ fecimus, ut a poetico & oratorio, diuerſum eſſe demonſtremus.

Quarta poſitio, rhythmus, qui in vocibus articulatis ex pedum complicatione fit, hoc pacto definiri ſolet, Eſt legitima pedum cõnexio, quæ ſine vllo certo fine prouoluitur. Vt ergo

nu-

numerus arithmeticus ex vnitate complicata gignitur, ita hic, qui in uocibus ſignificantibus ſpectatur, ex pedum complicatione: & vt ille ex ſe nullum habet terminum, ita neque rhythmus, ob quam fortaßе cauſam Latini, numerum appellarunt. Huic rhythmo ſi terminus & certa pedum ratio accedat, iam numerus tum poeticus, tum oratorius diuerſa tamen ratione conſurget. Ille in metrum & verſus diuiditur.

Quincta poſitio, Metrum eſt legitima pedum connexio, ſiue numerus certo pedum numero terminatus: uerſus eſt metrum ſuis commatibus uno loco, aut pluribus diſtinctum. Verſus enim vltra metrum, commata ſiue cæſuras requirit, quæ in metro non deſiderantur. Quo fit, ut omne metrum ſit numerus, non contra: & verſum eſſe ueluti metri ſpeciem.

Sexta poſitio, verſus qui ſolo ſyllabarum numero, & membrorum æqualitate ac ſimili deſinentia, ſine pedum obſeruatione fiunt, non habent ueram rhythmi, ſed potius cuiuſdam concinnitatis rationem: ut ſunt carmina materno ſermone conſcripta, quæ nunc magno in honore apud omnes fere nationes habentur. In his enim non habetur ratio temporum, quam rhythmus requirit: & ideo boni verique poetæ, tum Græci, tum Latini in carminibus co-

ficien-

ficiendis quantitatis ſyllabarum, certorumq; pedum rationem ſibi habendam eſſe exiſtimarunt.

Septima poſitio, in ſoluta oratione aliquis reperitur rhythmus. Hanc doctrinam, quam iJ negāt, qui non ſolum ratione, ſed etiam ſenſu ſunt deſtituti, his rationibus confirmo. Primum ideo in metro dicitur eſſe numerus, quod Poetæ certis pedibus verſus conficiant: atqui idem faciunt boni Oratores in periodis artificioſe texendis, cum quoſdam pedes certis in locis collocent, quamuis non ita religioſe, ut illi faciunt: quare nulla ratione dici poteſt, in artificioſa oratione nihil eſſe numerorum. Nemo mentis ſenſuſque audiendi particeps negare poteſt, vnam periodum magis numeroſe fluere, atque cadere, quam aliam, & unius orationem, quam alterius: quare notari potuit, atque etiam a uiris bene dicendi ſtudioſis notatum fuit, quid ſit id, unde talis numerus naſcitur: ac proinde ex arte numeroſe dicere potuerunt, ac etiam aliquando dixerūt. Deinde, humana oratio eſt in genere quantitatis, non continuæ, quia non poſſet in aures influere, neque varios animi ſenſus aperire; diſcretę igitur, & ita eſt diſcreta, vt eius partes cum quodam motu profluant: & ita profluāt, vt in vna dictione nō eodē prorſus tēporis ſpa

tio,

tio, vna ſyllaba ſuccedat alteri, nec una uox alteri; ex qua varia ſucceſſione pedes varij, ex quorum connexione neceſſario oritur numerus, alius quidem qui aures offendit, alius qui eaſdem quadam ſuauitate capit: quare, velint nolint, numeroſæ orationis inimici in ſermone oratorio aliquem eſſe numerum fateri coguntur. Præterea, rhythmus, hoc eſt æqualis, ſiue commenſurata temporum percuſſio, primum reperitur in pedibus, deinde in metro, & demum in verſu: atqui in ſoluta oratione ſunt pedes, & nullum eſt carminis genus, cui aliqua ſoluta oratio, uel ſyllabarum numero, uel temporum quantitate non poſſit ęquari: igitur, ut in uerſu, ita in oratiene agnoſcendus eſt numerus. Sunt enim orationes dimetris pares, ut, Minuebat uectigalia: pares trimetris; ut, O fruſtra ſuſcepti mei labores: pares tetrametris; ut, Si extitiſſet in rege fides, nihil ſapientius Poſthumo: pares hendecaſyllabis; vt, Calceos & ueſtimenta mutauit; pares denique pentametris, & hexametris. Huc pertinet, quod heroici poetæ vnam ſententiam complectuntur, aut hemiſtichio, aut integro verſu, aut uerſu cum pede, vel hemiſtichio, aut duobus, tribus, pluribuſque verſibus. Quare, ut in uerſu pedes, inciſa, membra & comprehenſiones ſunt numeroſæ; ita in oratione ſi

quæ collocandorum pedum habeatur ratio. Ad hæc, ſi iſti rationum vim animo non percipiunt, auribus ſaltem credant, ni ſenſu ſunt deſtituti: quarum, vt præclare ait Cicero, iudicium eſt ſuperbiſſimum, quæ quid ſit in oratione plenum, quid inane, quid contractum nimis, quid redundans, quid aſperum, quid lene quid durius, quid mollius, quam oporteat, iudicant. Aures igitur iſti adhibeant ad Iſocratis, ad Demoſthenis, ad Ciceronis, aliorumque huius ordinis orationes, & ſentient an in illis ſit quædam modulata uis, & quoddam muſicæ genus, quo aures mirum in modum oblectantur. Quod ſi quis hanc modulationem a verbornm bonitate, figurarumque lenocinijs gigni exiſtimet, is verba & figuras retineat, ſed verborum ordinem perturbet, & tunc plane percipiet, an temporum pedumque collocandorum ratio nnmerum in ſoluta oratione efficiat. Commutetur hæc Oratio, Nulla eſt tanta copia, quæ non forro ac uiribus debilitari frangique poſſit: quæ non ferro, ac uiribus poſſit debilitari frangique. Cuius ſententiæ finem, qui non ſentit priore modo numeroſius, ac ſuauius cadere, quam ſecundo, is aſinus eſt ad lyram, non homo. Accedat denique, quamuis non ſit neceſſe, grauiſſimorum hominum auctoritas, Ariſtotelis, inquam, Theophraſti,

Dio-

Dionyſij Halicarnaſei, Hermogenis ac Ciceronis, qui plura de numero, quam veterum quiſquam literis mandauit: qui etſi in quorundam Momorum reprehẽſionem inciderit: tamẽ multa de hac re uere & vtiliter dixit. Sed iã de modo quo numerus oratorius & poeticus differant, doceamus.

Octaua poſitio, rhythmus poeticus longe diſtat a numero oratorio. Primum in uerſu numerantur pedes, quattuor in dimetris, quinque in pentametris, ſex in hexametris, & ſic de alijs; in oratione pedes numerare nihil eſt neceſſe: ſed aliquando bini, aliquando terni, aliquando quaterni ſunt, & ſi deinceps. Deinde, uerſus non fit niſi ex certis pedibus, & ita non omnes admittit; at oratio nullum pedis genus neceſſario reijcit. Poſtea, in uerſu certa ſemper ratione metimur pedes; ut exempli gratia, in hexametro, ſolos dactylos & ſpondeos metiendo agnoſcimus, non alios: in oratione binas, ternas & plures ſyllabas ſumimus, & ita pro metientis arbitrio uarios efficere pedes licet: quia Orator, non pedum nomina, ſed ſyllabarum longitudinem & breuitatem potiſſimum ſpectat. Præterea, carmen ubique numeroſum eſt: at oratio in initio & fine præcipue. Denique, poeta nunquam poteſt numerũ relaxare: at uero Orator, de induſtria, interdũ

nu-

numerum diſſoluit, cum magis cauſsæ neceſſitati, quam uoluptati inſeruire uelit, ac debeat: Quare, ille eſt omnino numeris adſtrictus, hic uero liberior: ille ſemper ſui ſimilis, hic uero pro rei uarietate pedes commutat: ille eurhythmos, hic nec eurhythmos, neque arhythmos eſt.

Nona poſitio, Oratorius numerus poetici numeri diſſolutione, & numeris naturalis obſeruatione inuentus uidetur. Nam cum homines ſine uerbis eloqui nihil poſſint, & verba ex ſyllabis conſtent: quarum, aut binæ, aut ternæ, aut plures iunctæ, pedes conſtituūt; hinc neceſſario ſequitur, ut ex pedum iunctura, aliquis in humano ſermone ſuboriatur numerus, aut malus, aut bonus & auditu iucundus; quem naturæ ui aures percipiunt; huius tamē numeri concinnitas temere effundebatur. Et quoniam difficilius in ſoluta oratione, quam in verſu, quod eſt in humano ſermone numeroſum obſeruari a principio potuit, idcirco qui primum ſuas cogitationes literis cōmendare cœperunt, ut numeri ſuauitate lectores delinirent, ac retinerent, verſibus, quos certis finitiſque pedibus menſurabant, ſuam doctrinam poſteris tradiderunt. Id docet antiquitas, quæ omnia, quæ nunc extant veterum ſcriptorum monumenta, ea numeris incluſa

cluſa ſeruauit. Cum itaque numerum aliquem in ſermone eſſe ſentirent, & oratorium aſſequi non poſſent, poeticum excogitarunt: Poetico numero certis pedibus & ſymmetrijs cõſtricto, inuento, & certo carminum genere conſtituto, conſequentes ſcriptores in eodem carminis genere, ut in Iambis conſcribendis liberius pedes immutarunt, ac etiam alia carminum genera magis libera inuenerunt, & ita ſcripſerunt, ut parum ab oratione ſoluta carmen abeſſet: atque adeo uerſus diſſoluerunt, ut non iam uerſus uiderentur. Tandem, eo deuentum eſt, ut a uinculis illis poeticis, pedibus tamen certa quadam ratione retentis, ac etiã nouo quodam modo obſeruatis, ſoluta ac libera a numero poetico, aliquo tamen pacto numeroſa remanſerit oratio. Qua arte ſeueritas illa poetici numeri, & ſolutæ diſſipatęque orationis triſtitia, numerorum moderata iucunditate temperata fuit. Qui primi oratione ſoluta ſcripſerint, Cadmus Mileſius, tum Pherecydes Syus putantur.

Decima poſitio, numeri oratorij primi inuẽtores ſeu obſeruatores fuerunt Thraſymachus Chalcedonius & Iſocrates; ille priuatim inueniſſe, hic expoliuiſſe dicitur: ille minuta & uerſiculorum ſimilia quædam nimium picta prodidit, hic & uerbis dilatare, & mollioribus Cic. 3. or.

nu-

numeris explere ſententiam docuit: ac proinde Tullius, cum aliquando Thraſymachum au-
In Brut. ctorem feciſset, alibi ante Iſocratem uerborũ ſtructuram & numerum non fuiſſe dixit; quod illius numeri neque perfecti, neque concluſi fuerint. Atque ex dictis ad allatas rationes facile reſponderes.

Ad primam, non quemcumque numerum ſoluta oratio requirit, ſed eum, quem diximus: non eum qui eſt ad cantilenas aptus, ſed eum quo facile & ſuauiter in aures influat. Quod autem certi pedes ad ornate dicẽdum ſint obſeruandi, infra docebitur. Ad ſecundam, alius eſt numerus poeticus, alius oratorius: nec propterea, quod oratio aliquo continetur numero, & quoſdam requirit pedes, ſequitur non eſse aliquo pacto ſolutam: & ut non debet omnino certis pedibus & numeris eſse constricta, ita nec omnino libera, & diſsoluta. Nec enim,
In orat. inquit Cicero, hac de re agendo, loquor de uerſu: & eſt aliquanto liberior oratio. Et Craſsus rem hanc non rhythmicorum & muſicorum acerrima norma dirigendam eſse ait; & ſatis eſſe ſi oratio non inſiſtat, nec longius excurrat modo conuerſiones habeat abſolutas. Ad tertiam, primum illi oratores, antequam doctrina de numero eſſet obſeruata, non omnino, nec
Ci. in ora. ſemper bene ſcripſerunt: deinde, ſi quid nume-

roſe

roſe dixerunt, temere, & fortuito, & ex quadam dicendi exercitatione, dixerunt.

An numerus oratorius arte & ſtudio ſit in dicendo quærendus. Diſputatio XII.

QVONIAM multi ſunt qui in oratione ſoluta aliquem eſſe numerum libere fatentur; in eo tamen inquirendo nullam operã ponendam eſſe docent: propterea huius tractandæ quæſtionis nobis occaſionem præbent. Qui etſi una uel altera ratione ſuã ſententiam probent: nos tamen & pluribus et firmioribus confirmare nitemur.

Primum, certum eſt oratorium numerum nõ fuiſſe obſeruatum, niſi poſt inuentionem ac perfectionem artis dicendi, ut ſupra ſcripſimus; igitur ſi perfecte dicere poſſumus, ſine iſta laborioſa pedum obſeruatione, nihil eſt ut in ea inutiliter tempus conteratur. Conſecutio eſt manifeſta: quod ſumptum fuit, ex ipſomet Cicerone numerorum diligenti magiſtro et aſſertore probatur, qui fatetur ſuo tempore in oratione latina numerum obſeruari cœpiſſe, et tamen, eodem auctore, optimi ante id tempus extiterunt oratores. Deinde, ſi quid eſt in ora- In orat. In Brut.

tione numeroſum, aut numeris uacuum, id ſolo aurium ſenſu percipitur; ita ut non ſit opus, uel ſyllabas, uel pedes obſeruare: quare iſta tã longa & implicata de numero oratorio præceptio penitus negligenda atque reijcienda erit. Propoſitum eſt certiſſimum ex ijs, quæ ſupra ſcripſimus, cum de numeri inuentione agebamus: & qui hac de re ſcribunt, tandem aures conſulendas eſſe docent. Et hinc eſt quod etiam
Li. 3. ora. *uulgus, ſi quid non ita numeroſum & recte cadens audiuerit, illud ferre non poteſt, & ut ait Cicero, Theatra tota reclamant. Cum ergo in hoc tanta ſit naturę uis, ut numerus in ipſis auribus ſit infixus, quid fruſtra in ea re inquirenda laboratur, quæ ſenſibus ipſis percipitur? Præterea, uerborum concinnitas, proprietas, & apta collocatio, quam numeri fontem appellat Tullius, ex ſe, ſine ulla pedum cognitione & obſeruatione, ſatis numeroſam faciunt orationem, & ſi quid reſtat, ſua ſponte uenit: nulla igitur erit neceſſitudo obſeruandi tantam pedum uarietatem, incertumque numerum, & locum. Quare, ſi fontem habemus ipſum, collocationem nimirum, concinnitatem, uerborumque figuras, nihil eſt ut aliud quæramus. Ad hæc, multi ſunt, qui numeroſe ſcribunt, ſola imitatione, & exercitatione, naturæq; bonitate, cuius, ut dicebam, hac in parte uis eſt incredibilis:*

dibilis: igitur. Iam uero, ſit aliqua hac in re non contemnenda præceptio: tamen cum iam in deſuetudinem abierit, & ignoretur, & maior in eius inquiſitione ſit labor, quam in uſu utilitas, cum his temporibus non agantur cauſſæ in foro, neque ad populum delectandi cauſſa dicatur, nulla hac in re ponenda eſt cura. Denique, numerus quæritur ad ſuauẽ uerborum pronuntiationem, modulationemque: atqui latinæ linguæ germana pronuntiatio hoc tempore eſt corrupta: ſtultum igitur eſt nunc uelle de numeris quicquam præcipere. Atque hæ ſunt rationes, quæ hominem otij amicum ad contemnendam omnem de numeris præceptionem facile poſſent commouere.

In hac diſputatione duas inuenio ſcriptorũ ſententias: alteram eorum, qui admiſſo numero oratorio, maiorem in eo quærendo diligentiam damnant, quæ de pedum obſeruatione traduntur præcepta, paruifaciunt, eos qui de hac re ſcripſerunt, mordent, & quæ dicunt, refellere non uerentur. Alteram huic contrariam, quam meliores dicendi Magiſtri ſequuntur: quæ numerum in oratione agnoſcit, & de eo tradita præcepta retinet, & utilia eſſe exiſtimat, pedumque rationem, in oratione numeroſa conficienda, habendam eſſe pro certo habet. Vt autem propoſitæ diſputationi, & al-

latis rationibus ſatisfiat, non nulla fundamenta nobis ponenda ſunt.

Pet. Ram. Buc. *Primum fundamentum; Qui priorem ſequuntur opinionem, ut facilius ſuam tueantur ſententiam, contrariamque refellant, numerũ in uerborum figuris collocant, atque hunc in modum ad ſuum ſenſum accommodate definiunt, Numerus eſt figura, qua modulate oratio componitur: figura ſcilicet dictionis, quę, ut aiunt, nihil aliud eſt, quam harmonia quædam. Quo fit, vt facile ſibi perſuadeant numerum adhiberi in oratione poſſe, ſi quis verborum figuris apte uſus fuerit. Diuidunt etiam numerum, ſiue dimenſionem, quæ ſpectatur* Audom. *in certa pedum collocatione, in poeticum & oratorium: poeticum in rhythmum, & metrũ, rhythmumq; hoc modo deſcribunt, Rhythmus eſt numerus poeticus certum ſyllabarum numerum certa clauſula terminatum continens: ut patet in uerſibus qui materno ſermone funduntur: taleſque uerſus apud Gręcos ante Homerum & apud Latinos ante Andronicum fuiſſe in illa poeticæ dimenſionis infantia exiſtimant: quod fortaſſe ita eſſe potuit, ſed nulla huiuſcemodi carminum afferuntur exempla, ſicuti eorum quę ſyllabarum pedumque rationem habent. Metrum uero certos pedes certa lege locatos continere aiunt. Ex quibus inferunt,*

Digitized by Google

runt, numerum oratorium rhythmi nihil admodum habere, niſi forte in quadam uerborum repetitione. Hæc, quamuis a doctis uiris dicantur: tamen, ſi quis potius in alienis ſcriptis reprehendendis, quam in ſententia bonorum auctorum explicanda tempus conſumere uellet, multa in iſta doctrina ex iJs, quæ ſuperiore diſputatione dicta fuere, iure reprehenderet: quã nos ideo attulimus, ut & priorem ſententiam explicaremus, & quæ ponenda ſunt melius intelligantur.

Secundum fundamentum, magnum eſt diſcrimen inter numerum proprie ſumptum, qui in temporum ordine ac proportione ſpectatur, & inter cõcinnitatem, quæ in æqualitate, ſimilique uerborum terminatione conſiſtit, in quã facile ſolius naturę ui, ſine ulla arte, homines impingunt: quam ſolam in oratione ſpectandã eſſe, iJ affirmare uidentur, qui pedum quantitatem negligunt: & numerum oratorium ſolum in illis uerborum figuris ponunt: quæ quoniam ſolam uocum paritatem, aut ſimilem deſinentiam habent, parum grauitatis retinẽt, et ideo rarius adhiberi debent; cum effoeminatũ quendam, & puerilem ſonum auribus tantum exhibeant. Non eſt itaque numerus oratorius uerborum figura, quamuis numeroſa oratio, a uulgi ſermone recedat, cum numerus non in

certa dicendi ſiue eloquendi forma, ſed in tota oratione ſpectetur. Quoniam igitur numerus non eſt, uel dictio tranſlata, aut uerborum repetitio, ſententiaque noua quadam ratione explicata, ſi proprie loqui uelimus, in nullo ponetur figurarum genere. Diſtinguere ergo licet numerum a concinitate illa populari, & uernacula, in qua uerum rhythmum, ſiue metrum quidam inuenire conati ſunt; quorum tamen conatus nullos adhuc attulerunt fructus. Et hæc adnotaſſe ſufficiat: cætera in poſitionibus, & reſponſionibus ad argumenta dicentur.

Prima poſitio, numerus humanam naturam ualde attingit, hoc eſt, homines maxime afficiuntur, ac trahuntur numero. Hanc poſitionem ipſa omnis doctrinæ magiſtra docet experientia, qua uidemus homines etiam infantes cantu & rhythmo mirum in modum permoueri, & ad uarios affectus, pro numerorum uarietate, incitari: ad quos permouendos in tragoedijs & comoedijs chori & tibiæ adhibentur. Tubarum & claſſicorum ſono, non modo homines, ſed etiam equi ad pugnam inflammantur: ut merito Pythagorei magnam uim Li.9. c. 4. *numeris tribuerint. Qui, ut Fabius ſcribit, animos ad lyram excitare ſolebant, ut ad agendum eſſent erectiores: & cum ſomnum petebant,*

Digitized by Google

tebant, numeris mentem leniebant, ut ſi quæ eſſet in animo turbida cogitatio eam comprimerent. Nihil eſt inquit M. Tullius, tã cognatum mentibus noſtris, quam numeri atque uoces: quibus & excitamur & incendimur, & lenimur, & langueſcimus, & ad hilaritatem & ad lætitiam ſæpe deducimur: quorum illa ſumma uis carminibus eſt aptior & cantibus, non neglecta, ut mihi uidetur, a Numa rege doctiſſimo, maioribuſque noſtris, & quæ ſequuntur. Et Horatius eadem de re loquens, Lib.3.ora.

Silueſtres homines ſacer interpreſque Deorum In Poet.
Cædibus & uictu foedo deterruit Orpheus.
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidoſque Leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, &c.

Cum ergo homines vehementer numeris delectentur, mirũ uideri non debet, ſi illi primi ſcriptores, non ſolum fabulas, & res cogitatione confictas, ſed etiam omnem philoſophiã ac Theologiam carminibus concluſerunt, ut lectores allicerent, & detinerent; & ut quæ ſcripſiſſent melius memoria hærerent, ac ſæ-

pius repeterentur. In templis Deorum laudes hymnis canebant: in conuiuijs cantus adhibebant; muſicæ, quæ nunc nulla fere eſt, diligenter operam dabant. Intelligebant.n.prudentes uiri, cum hominum uita ſine aliqua honeſta delectatione traduci non poſſit, nullam eſſe magis naturæ rationis participi accommodatam, quam quæ e numeris percipitur: quæ hominum generi eſt propria, & ab omni turpitudine magis, quam aliorum ſenſuum delectationes, aliena: Quare, ſi ullius ſenſus delectatio quærenda eſt, ea ſane, quæ auribus percipitur. Sed quorſum hæc? eo, ut doceamus non ſuſcipi in uanum labores ab ijs, qui numerum ex arte in oratione adhibere uolunt.

Secunda poſitio, numerus non ſolum in cantu, & carmine, ſed etiam in ſoluta oratione maximam uim habet. Primum, patet experientia; quoniam ij libentius audiuntur, qui numeroſe dicunt, & ea maiore cum uoluptate legimus, quæ ſunt numeroſe ſcripta, quam quæ ſine ullo numero effunduntur. Deinde, cũ in oratione aliquis ſit numerus, ut ſupra demonſtratum fuit, ſuam ſecum delectationem, quemadmodum numeri expers oratio triſtitiã afferet. Et quamuis in oratione, non ſint tantæ numerorum delitiæ, ut in muſica ſunt: tamen, magis numerus orationis quam muſicus dele-

delectare deberet, quod non ſolum inani ſono, quem etiã auiculæ & fluctus ad ſcopulos confracti interdum efficiunt, aures ferit, ſed etiam iucundiſſimas, & admirabiles ſententias, & cogitationes interdum prope diuinas ad mentem transfert, & non modo ſenſum, ſed etiam animum oblectatione complet. Quare, nihil ita poteſt humanos affectus commouerẽ, quod eſt quid diuinum, ſicuti grauis cũ numero explicata ſententia. Vt mirum iure uideri poſſit, cur interdum homines oratorio numero nõ capiantur; & qui dicendi artem profitentur, in eo quærendo, maiorem non adhibeant curã.

Tertia poſitio, ei qui bonus futurus eſt Orator numerus oratorius eſt maxime neceſſarius. Confert enim ad mouendum & delectandum, quæ ſunt duo præcipua Oratoris munera. Quare cum numero, ut paullo ante dicebam, hominum animi capiantur, profecto, ſi Orator ſuis numeribus præclare fungi uoluerit, ut numeroſe dicat, neceſſe erit: quod facere nemo poterit, qui quę de numerorum ui atque natura dicuntur, tanquam inutilia, aſpernatur. Hanc doctrinam, quæ ſtatim ſubijciam, adhuc magis corroborabunt.

Quarta poſitio, numeri oratorij effectus ſunt fere iſti. Primo orationem condit & expolit, Omnino, inquit Cicero, duo ſunt, quæ

condiant

condiant orationem, uerborum numerumque iucunditas. In uerbis ineſt quaſi materia quędam, in numero autem expolitio. Deinde orationem illuſtrat, Nec uerborum lumen appareret (Tullius loquitur) niſi diligenter collocatorum: & horum vtrunque numerus illuſtrat. Poſtea, ut Ariſtoteles & Theophraſtus docent, efficit, ne infinite, vt flumen, feratur oratio: quæ non, aut ſpiritu pronunciantis, aut interductu librarij, ſed numero coacta debet inſiſtere. Præterea, uim roburque orationi addit: neque enim ait Fabius, Demoſthenes fulmina tantopere uibraſſe diceretur, niſi numeris cõtorta fuiſsẽt. Poſtremo, vt ante dicebamus, numerus delectãdo mouet, & mouẽdo delectat. Vt enim athletas, nec multo ſecus gladiatores, videmus nihil nec vitando facere caute, nec petendo uehementer, in quo non motus hic habeat palęſtram quandam, vt quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnã, id ad aſpectum etiam ſit uenuſtum: ſic oratio nec grauem plagam facit, niſi petitio fuerit apta: nec ſatis etiam declinat impetum, niſi etiam in dicendo, quid deceat intelligit. Itaq; qualis eorum motus, quos Apalæſtos Græci vocant, talis horum mihi uidetur oratio, qui non claudunt numeris ſententias: tantumque abeſt, ut quod ij qui hoc, aut magiſtrorum inopia,

In orat.

opia,

opia, aut ingenij tarditate, aut laboris fuga non ſunt aßecuti, ſolent dicere, eneruetur oratio compoſitione uerborum, ut aliter in ea nec impetus, nec vis eſſe poſſit.

Quincta poſitio, difficilius fuit obſeruare numerum oratorium, quam poeticum. Primũ experientia ipſa hoc docuit, cum ille poſterius fuerit obſeruatus, quam iſte. Hęc igitur duo, inquit Tullius, uocis dico moderationem & verborum concluſionem, quoad orationis ſeueritas pati poſſit, a poetica ad eloquentiam traducenda dixerunt. Sed ut cæteris in rebus, idem ait, neceſſitatis inuenta antiquiora ſunt, quam uoluptatis: ita & in hac re accidit, ut multis ſeculis ante oratio nuda ac rudis ad ſolos animorum ſenſus exprimendos fuerit reperta, quam ratio numerorum cauſſa delectationis aurium excogitata. Deinde, quoniam numerus nõ uidebatur omnino annexus cum oratione, cui tanquam extrinſeca quadã expolitio acceſſit. Numerus autem, ſcribit Tullius, non domo depromebatur, neque habebat aliquam neceſſitudinem, aut cognationem cum oratione: itaque ſerius aliquanto notatus & cognitus, quaſi quandam palęſtram & extrema lineamenta orationi attulit. Quod itaque facilius eſt, & magis neceſſarium, id ſemper ante cognoſcitur. Lib. 3. orat. In ora. In orat.

Sexta

Sexta poſitio, numeri uſus difficilior eſt in In orat. *oratione, quam in uerſu. Doctrina eſt multorum ſcriptorum, quam his uerbis tradidit Tullius, Atque id in dicendo numeroſum putatur, non quod totũ conſtat e numeris, ſed quod ad numeros proxime accedit: quo etiam difficilius eſt in oratione uti, quam in uerſibus: quod in illis certa quædam & definita lex eſt, quam ſequi ſit neceſſe: in dicendo autem, nihil eſt propoſitum, niſi, aut ne immoderata, aut anguſta, aut diſſoluta, aut fluens ſit ora-* In orat. *tio. Quamuis autem numeri oratorij vſus non ſit omnino facilis: tamen in oratione ſoluta aliquẽ numerum eſſe animaduertere, nõ fuit omnino difficile; qua de re loquens Cicero, ait, Quæ ſic aperta eſt, ut mirer ueteres non eſſe commotos, præſertim cum ut ſit, fortuito ſæpe aliquid concluſe apteque dicerent: quod cum animos hominum aureſque pepuliſſet, ut intelligi poſſet id, quod caſus effudiſſet, cecidiſſe iucunde; notandum certe genus, atque ipſi ſibi imitandi fuerunt. Aures enim uel animus aurium nuncio, naturalem quandam in ſe continet uocum omnium menſionem. Et ut quæ dicta ſunt magis confirmentur, contrarias rationes diluamus.*

Primam ſolueres, negando, quod etiam ſuperius docuimus ante numeri inuentionem

vſumque

vſumque Oratores fuiſſe omnino perfectos: & ſi quid numeroſe ſuauiterque dixerunt, id ex quadam naturæ bonitate, & exercitatione, temere, & fortuito fecerunt. Peruetere ſcriptores de numero nihil omnino, de oratione multa præcepta reliquerunt. Conabantur itaque concluſe & numeroſe dicere, cum numerum quendam in oratione ipſa natura duce, agnoſcerent, quem ob eius difficultatem, non ita facile, ut alia obſeruare potuerunt. Secunda, ſolum id euincit, vt fateamur aures multum conferre ad numeri obſeruationem, ac etiam ad vſum, vt poſtea dicetur; ſed quid ſit numerus, quæ eius cauſſæ, qui uſus, aures non docent. Cum itaque boni artificis ſit, non ſolum cognoſcere, rem eſſe, ſed etiam cur ita ſit intelligere, & rerum, quas tractat vſum explicare; profecto boni Oratoris erit, non ſolum numeros auribus percipere, quod etiam idiotæ aliquo modo faciunt, ſed & eius uim naturamque perſpectam habere. Neque enim ego muſicum appellarem eum, qui cur uoces quædam recte conueniant, aliæ uero minime, non intelligeret. De tertia, fatemur in concinnitate aliquem eſſe numerum, ſed is nō eſt arte quæſitus, non perfectus: & ſolas figuras uerborumque proprietatem non efficere numerũ, ſupra demõſtrauimus. Siquidem uerus numerus ibi eſſe

non poteſt, ubi non eſt artificioſa temporum ac pedum obſeruatio; quorum alios uno in loco, alios in alio ponere, ac etiam ſæpe uariare neceſſe eſt: quod facere nequit, qui pedum doctrinam ignorat. Nec unquam erit perfecta uerborum ſtructura, niſi adfuerit numerus, aut arte aut fortuito adhibitus. Ideo enim oratio numeroſe fluit, quia verba ſunt recte collocata, & ideo cenſentur recte collocata, quia ſuis pedibus optimo ordine poſitis æquabiliter incedunt. Sed hac de re plura inferius. Atque ex his, quid ad quartam ſit dicendum, planum puto. Nam qui, uel imitatione uel exercitatione numeroſe dicunt, eo modo verba collocant, ut qui ex arte: ſed illud eſt inter hos diſcriminis, quod illi eius, quod agunt, rationem ignorant, hi uero tenent. Quod de deſuetudine aiunt, id potius ad hanc eloquentiæ partem inſtaurandam, quam ad eam deſpiciendam nos excitare deberet: ut in re ad bene dicendum maxime neceßaria reparanda ſuſcepti labores, aliquam, cum utilitate afferrent gloriã. Superioribus annis omnes fere iacebant artes, pictura, ſculptura, architectura, poetica, & aliæ, quæ iam ad ſuam priſtinam perfectionẽ propemodum ſunt reuocatæ. Latina quoque lingua, quæ ita barbarie erat infuſcata, ut nulla in ea latinitatis appareret effigies: his temporibus,

poribus, apud eos populos, qui ea delectantur, ſuum priſtinum colorem recuperaſſe uidetur: ſed non apud vulgaris linguæ magiſtros, qui bonarum artium cupidos a linguæ latinæ ſtudio, atque etiam a bonorum ſcriptorum lectione reuocant: quæ peſtis nunc late ſerpit; quo fit ut bonæ literæ iaceant, & ignorantia late dominetur. Sed non eſt hic locus ſcribendi latius aduerſus conſuetudinem iſtam, valde pernicioſam, quæ publica egeret cenſura & pœna. Eſt, ut ad rem redeam, in numero quærendo labor, ut in quauis re præſtanti acquirenda ſed non fugiendus, quem tanta conſequitur vtilitas, ut cumulate omnem laborem compenſet. Neque res eſt ita ardua ac deſperata, ut fieri non poſſit, quod infra plane demonſtrabo. Quod ſi non aguntur cauſæ in foro, aguntur in concione, ſcribuntur orationes, hiſtorię, epiſtolæ, & nullum eſt fere ſcribendi genus, cui de numero tradita præcepta vſui eſſe non poſſint: denique, explicantur antiquorum ſcripta, in quibus numeri obſeruandi ſunt. De vltimo, in primis, alia eſt pronuntiationis ratio, alia rhythmi qui non ex ſono ſed ex breuitate & lõgitudine pedũ naſcitur: propterea eſto nunc aliquid nos non ita ſuauiter pronuntiare, vt olim in Latio fiebat, non propterea ſequitur numerum, quem in Latinis

ſcri-

ſcriptoribus animaduertimus, eſſe negligendũ. Deinde, olim quoque optimi alias Oratores, ut ex Tullio diſcimus, qui Romæ nati non erant, uocis ſono & lenitate in Vrbe natos æquare non poterant. Denique, vt multa omittam, quæ contra iſtam leuem rationem diſputari poſſent, ſi quid immutatum in pronuntiatione eſt, id non multum eſt.

In Brut.

An vlli ſint pedes in ſoluta oratione obſeruandi, & quia. Diſputatio. XIII.

EXPLICATA numeri oratorij natura, eiuſdemque cognoſcendi neceſſitate demonſtrata, nunc de eius uſu agendum eſſet; qui quoniam ſine aliqua pedum cognitione cognoſci nequit, ideo de pedibus priore loco nobis ſcribendum eſt. Et ut in hac re aliquid difficultatis eſſe oſtendam, quaſdam rationes proponam, quibus eam, quæ de pedibus traditur doctrina interdum eſſe demonſtrabo.

Primum, Oratores in numero quærendo non una certa ratione, ſed omnino varie pedes metiuntur; ita ut unum pedem in varios comtaare liceat: incerta eſt igitur iſta pedum præceptio. Quod propoſitum fuit hoc demõſtratur

exemplo

exemplo. Sit in fine periodi hæc clauſula, eſſe natura, in qua hi poſſunt notari pedes: choreus et antibachius, & cum ultima ſit anceps, hic poterit migrare in moloſſum: rurſus ex ambobus poſſunt fieri, creticus, & choræus, & ſpondeus, ſi ultima habeatur pro longa: & denique aliud pedis genus quinque ſyllabarum. Deinde, numerus oratorius omnes admittit pedes, ut præter cæteros Quinctilianus docet: omnibus itaque ſine ullo diſcrimine uti licebit; cũ certe nullus ſit, qui in quauis periodi parte non inueniatur: ut hic omittam, quod unus pes in alio continetur pede: nam pæon ſecundus continet pyrrhichium, Iambum, & dactylũ, ut in hac uoce, Potentia: & cum longę contineant breues, & breues longas, loco duarum breuium, una longa poni poterit, & loco duarum longarum quattuor breues: quare non magis uno quam alio pedum genere uti licebit. Ad hæc, hanc de pedibus ſeligendis doctrinam eſſe lubricam, uel ex eo perſpicitur, quod ipſimet ſcriptores ſunt inter ſe diſcordes, cum alij alios reyciant, alij approbent: aly unum in uno loco, alij in alio ponendum putent: alij denique plures, alij uero pauciores notandos eſſe dicant. Cum igitur nullam habeamus certam doctrinam, quam ſequi liceat, omnis pedum obſeruandorum abijciatur cura. In hac diſputa-

tione has poſſumus animaduertere auctorum ſententias. De pedum numero, alij duodecim numerant: alij uigintiduos: alij communiter, uigintiocto: alij etiam plures: uerum hæc controuerſia parum ad id quod nunc agimus, attinet. De pedum bonitate & ſelectu, heroum, hoc eſt dactylum, ſpondeum, & anapæſtum ut nimis grandem, iambum ut popularem, & trochæum ut celerem & ſaltantem minus probauit, pæonas uero, ut maxime aptos laudauit Ariſtoteles: de cuius ſententia, quid Victorius, Magius, Maioragius, & alij ſenſerint, nolo hoc loco pluribus exponere. At uero M. Tullius heroum & doctrina, & uſu, in oratione adhiberi poſſe docuit: Iambum ac trochęum in quibus dupla eſt proportio, ut ſtatim dicam, frequenter adhiberi uoluit: ſed pæonas in primis laudauit. At hoc loco quædam in Tullio notatur contradictio: quippe in tertio oratorio heroum pedem, etiam de Ariſtotelis ſententia cæteris prætuliſſe uidetur, cum ait, Spretis minutis pedibus, nos ad heroum inuitare. At uero in oratore, licet heroos pedes non reformidet, præfert tamen pæonas. Rurſus inter Ariſtotelem & Tullium hæc uidetur eſſe diſſenſio, quod ille pæonē quartum magnopere laudauit: hic uero aliter ſenſit, ac proinde eum ſtudioſe uitauit. Atqui in eo hi duo Magiſtri conuenere,

Pet. Vict. Rapic.

nere, ut nullam mẽtionem de epitritis fecerint; Aug.
qui tamen ab alijs in clauſulis laudantur, &
apud Ciceronem non raro inueniuntur. Hermogenes uarios pedes ad uarias orationis ideas conſtituendas requirit, ut libro tertio docebo. Denique ſunt qui uniuerſe de pedum uſu lo- Quin.
quentes, nullum pedem reprobent, & omnes Rap.
in pedeſtri oratione uſurpari poſſe exiſtiment; Quod ut arbitror, etiã alij, qui de melioribus locuti ſunt, affirmarent. Vt huic diſputationi plane ſatisfiat, quædam ſubijciam fundamenta.

Primum fundamentum, cum numerus oratorius conficiatur ex pedibus, & pedes ex ſyllabis, quid pes, quid ſyllaba ſit, explicare neceſſe eſt. Syllaba eſt elementum ſub accentu contentum. Neque enim uere a Grammaticis dicitur, ſyllabam eſſe comprehenſionem duarum pluriumue literarum: cum reperiantur ſyllabæ unius literæ; ut, I, ſequere Italiam; O Meliboee Deus; &c. Fit ergo ſyllaba uel una uel pluribus literis, & quidem uocalium beneficio, quæ proprie longæ, uel breues dicuntur. Syllabarum alię breues, alię longæ, alię communes ſunt; taleſque dicuntur ratione temporis, quod in ſe continent. Tempus in ſyllaba, eſt mora illa, quæ in eius pronuntiatione inſumitur. Quo fit, ut illa quæ tardius

effertur, duo habeat tempora, & ideo longa nominatur: ut faama, reepo, maalus, ſic enim longas, duplicata figura ſcribebant, & pronuntiabant. Quæ uero citius, quaſi uno tempore effertur, breuis dicitur: ut domus, licet. Communis ea eſt quæ modo pro longa, modo pro breui in carmine habetur. Ex ſyllabarum itaque longarũ et breuium frequentatione certaque proportione, ut ſupra diximus oratorius gignitur numerus. Quæ ſint regulæ ad quantitatem ſyllabarum cognoſcendam non eſt noſtrum hoc loco docere: illud certum eſt, ſine tali cognitione quæ de hac re ſcribuntur, intelligere, & numeroſe ex arte ſcribere poſſe neminem. Et hæc de ſyllaba: nunc de pede.

Secundum fundamentum, Pes eſt ſyllabarum diſpoſitio: uel, eſt dimenſio certis ſyllabarum temporibus definita. Quo fit, ut una ſyllaba non poſſit eſſe pes: immo neque omnis dictio eſt pes, cum ſæpe dictiones ſcindantur ad pedes efficiendos: ut, Arma ui, rumque ca, &c. Illa certa ſyllabarum diſpoſitio, ideo tranſlate dicitur pes; quod, ut nos pedibus incedimus, ita oratio & uerſus his quaſi pedibus incedat: atque hinc dicimus, ſcandere uerſum, & ut pedes pro ſyllabarum numero fiunt, ita uerſus pro certa pedum ratione: & ut uerſum pedibus, ſic pedem temporibus metimur. Quo fit,

ut

ut prima pedum diuiſio a numero ſyllabarum ſumatur Pedum igitur alij duabus, alij tribus, alij quattuor ſyllabis conſtant. Duarum ſyllabarum, pro breuitate & longitudine quattuor ſunt genera. Pyrrhichius, ſic dictus a pyrrhiche, quod erat ſaltationis genus, exerceri ſolitum a iuuenibus Lacedæmone, a Pyrrho inuentum: conſtat duabus breuibus; ut, Deus. Spondeus, ſic dictus a ſponde, quod eſt libamentum quo utebantur olim in ſacrificijs: conſtat duabus longis; ut, audax. Iambus, ab iambizin, quod eſt contumelia afficere, quia hoc pede utuntur, qui uerſus ad conuiciandum faciunt: conſtat prima breui, altera longa; ut, dies. Choreus, a chorea ideſt a ſaltatione: conſtat longa & breui; ut, mater: Grammatici Trochæum uocant, ſed aliter antiqui. Triū ſyllabarum genera ſunt octo: Dactylus, latine digitus, ſic per metaphoram dictus, quod partium quantitate ſit digito ſimilis; conſtat prima longa, & duabus breuibus; ut, Tityre. Anapæſtus ab anapeζo, quod dactyli, cui eſt oppoſitus ſonum repercutiat, unde & Antidactylus nominatur, conſtat duabus breuibus, & una longa; ut, ſpecies. Trochæus a trecho, quod eſt curro, quod ob uelocitatem ſyllabarum currat & rotetur: alij Tribrachyn ideſt terbreuē uocant: conſtat tribus breuibus; ut, dominus.

Moloſſus, a populis Epyri, quorum ſaltatio grauiſſima fuit: conſtat tribus longis; ut, Aeneas. Amphibrachys, quaſi utrinque breuis, conſtat breui, longa & breui; ut, libellus. Creticus, a Creta, ubi repertus fuit, & Amphimacrus ideſt utrinque longus; conſtat longa, breui, & longa; ut caſtitas. Bacchius, a Baccho, in cuius ſacris adhibebatur: cōſtat breui & duabus longis; ut, egeſtas. Palimbacchius, ideſt retro bacchius, & Antibacchius, ideſt contrarius bacchio: conſtat duabus longis & una breui; ut, natura. Quattuor ſyllabarum pedes ſunt numero ſexdecim; quorum octo fiunt ex collatione pedum duarum ſyllabarum: quattuor ex collatione trium breuium, qui Pæones uocantur: quattuor ex collatione trium longarũ, qui Epitriti nominãtur. In priori ordine ſunt, Proceleuſmaticus, ſic dictus ab hortatu militari, ſiue nautico; conſtat quattuor breuibus; ut, relegere: Diſpondeus, ideſt duplex ſpondeus, ex quattuor longis; ut, oratores: Dijambus, ideſt duplex iambus, ut, amœnitas. Ditrochæus ideſt duplex trochæus; ut, cantilena: Antiſpaſtus ideſt contra nitens, ex breui, duabus longis, & breui; ut, Alexander: Choriambus, ſic dictus quod ex choræo, & iambo conſtet; ut, uirginitas: Ionicus a minore, ex duabus breuibus, & duabus longis; ut, Diomedes: Iambus a maio-

re;

re;ut, Demetrius. Secundi ordinis, Pæon primus, ex longa & tribus breuibus;ut, lætitia: ſecundus,ex breui,longa,& duabus breuibus; ut, potentia: tertius ex duplici breui,longa,& breui;ut,alienus: quartus ex tribus breuibus & una longa;ut,celeritas. Tertij ordinis, Epitritus primus,ex breui & tribus longis; ut, ſacerdotes: ſecundus ex longa,breui, & duabus longis;ut,conditores: tertius es duabus longis, breui,& longa;ut concordiæ : quartus ex tribus longis, et breui,ut Conſtantinus . Aliqui hoc pedum numero contenti, uel quia ex his ſolis pedibus fiant uerſus,uel quia alij ex his conficiantur,& nõ tam pedes,quam numeri ſunt, Pentaſyllabos,& hexaſyllabos prætermittũt alij uero, triginta duos pentaſyllabos,& ſexagintaquattuor hexaſyllabos numerant: de quibus hoc loco nolumus ſine utilitate ſcribere. Illud tamen dixerim, Oratores interdum his pedibus periodum claudere, & præſertim Dochimo,quem multum Cicero commendauit;qui cõſtat ex Bacchio,& Iambo;ut,reipublicæ. Ex his,qui & quomodo in clauſula ponantur, poſtea dicetur. Et ut pedes facilius memoriæ mandentur,et hæreant,hanc pedum tabellam adfigere placuit.

Lege Aldi gram.

Pedum qui in frequentiori vſu ſunt, Alij.

Duarũ ſyllabarum,	*Pyrrhichius.*	*vt,*	*Deus* v v
	Spondeus.		*Audax* - -
	Iambus.		*Dies* v -
	Trochę°, ſeu choræus.		*Mater* - v
Triũ ſyllabarũ,	*Dactylus*	*vt,*	*Tityre* - v v
	Anapæſtus.		*Species* v v -
	Tribrachys, vel Trochæus.		*Dominus* v v v
	Moloſſus.		*Aeneas* - - -
	Amphybrachys.		*Libellus* v - v
	Amphimacrus, ſiue Creticus.		*Caſtitas* - v -
	Bacchius.		*Egeſtas* v - -
	Antibacchius, ſiue Palimbacchius.		*Natura* - - v
Quattuor ſyllabarũ,	*Proceleuſmatic°*	*vt,*	*Relegere* v v v v
	Diſpondeus.		*Oratores* - - - -
	Dijambus.		*Amęnitas* v - v -
	Ditrochæus, & dichoręus.		*Cantilena* - v - v
	Antiſpaſtus.		*Alexãder* v - - v
	Choriambus.		*Virginitas* - v v -
	Ionic° a minore.		*Diomedes* v v - -
	Ionic° a maiore.		*Demetrius* - - v v

Pæon

Pæon	*Primus.*	*vt,*	*Lætitia*	-vvv
	Secundus.		*Potentia*	v-vv
	Tertius.		*Alienus*	vv-v
	Quartus.		*Celeritas*	vvv-
Epitrit⁹.	*Primus.*	*vt,*	*Sacerdotes*	v---
	Secundus.		*Cõditores*	-v--
	Tertius.		*Cõcordiæ*	--v-
	Quartus.		*Cõſtãtin⁹*	---v

Quod attinet ad illos, qui duo habent nomina, nos primo utemur nomine. Tertium fundamentũ, in pedibus tria animaduertenda ſunt, quæ aliquo modo ad rem noſtram faciunt; tẽporum numerus, eorum proportio ſecundum arſin & theſin, & dignitatis ordo: in temporibus ſpectatur paritas, in arſi & theſi ſimilitudo: in ordine, quod alij ſint priores alij poſteriores. Illi dicuntur pares, qui conſtant totidem interuallis, ut iambus, & trochæus, qui conſtant tribus interuallis; longa enim ſyllaba duo continet interualla. Illi ſimiles arſi & theſi, qui eandem habent uocis elationem & depreſſionem, ſiue accentum: ut mater, Roma; pater, nepos: dominus, ſophia. Illi priores, qui pauciores, illi poſteriores qui plures habent ſyllabas: & ita, diſyllabi priores ſunt triſyllabis. Et quidem in rhythmis conficiendis, eos pedes tanquam amicos conuenire poſſe dicitur, qui temporum numero pares, arſi

& theſi ſimiles, & ordine poſteriores eſſent eĩ pedi, a quo rhythmus nomen ſumit, quod a pede in ordine priore capit: quæ vero in vno ex his tribus diſſentiunt, tãquam inimici, ad rhythmum conficiendum non bene coeunt. Cæterũ, qua ratione ex iſta pedum collocatione & collatione uarij efficiantur rhythmi, non eſt huius loci ſubtilius exponere. Illud ergo, quod ad rem noſtram magis facit, ex Ariſtotele & Tullio notandum eſt, pedum alios eſſe pares, quia in partes diuiduntur æquas; ut Pyrrhchius & ſpondeus: dactylus, anapęſtus, & amphibrachys: alios duplices, cum pars partem altero tanto ſuperat: ut ſunt, Iambus, trochęus, tribrachys, & moloſſus: alios ſeſquimaiores, quorum altera pars, ſi in duas partes diuiduntur, tantundẽ et dimidiũ continebit: ut ſunt, bacchius, antibacchius, & amphimacrus.

In orat.

Aequales.
- Pyrrhichius. v v. iocus.
- Spondeus. - - uirtus.
- Dactylus. - v v credite.
- Anapęſtus v v - fluuios.

Duplices.
- Iambus v - Deos.
- Trochæus - v crede.
- Tribrachys v v v. Sterilis.
- Moloſſus - - - Romanos.

Seſqui-
- Amphimacrus v - terminos.
- Amphibrachys, ſiue Scolius.

maiores, uel ſeſquipli.
- *Scolius. -v- ſuperbus.*
- *Solet inter ęquales poni, cum habeat tot tẽpora quot dactylus.*
- *Bacchius v - - amantes.*
- *Palimbacchius - - v deſcende.*

Reliqui ſexdecim pedes qui e quattuor conſtant ſyllabis ex ſimplicibus conficiuntur. Rurſus, pedum alij ſunt celeres, qui ex breuibus conſtant, vt tribrachys, pęon prior ac poſterior: alij tardi, qui ex longis, vt ſpondeus & moloſſus: alij temperati, ut dactylus, & anapęſtus. Et quamuis unus pes contineatur in alio, ut in dactylo trochęus, & iambus in anapęſto & in bacchio: tamen multum refert, quod ſyllabæ hoc, uel illo modo componantur. In pęone eſt, Tribrachys, ſed in hoc nulla eſt dignitas, in illo maxima. Qui pedes a longis in breues deſinunt, uolubiliter & iucunde currunt: qui a breuibus in longas aſſurgunt, percuſſione feriunt aures, & in fine ſubſiſtunt. Quo fit, ut commode ab aſſurgentibus inchoet, & in ſubſiſtentes deſinat oratio. Atque ex his intelligi licet, cur ex certis pedibus certo loco poſitis aliquis exoriatur numerus. His iactis fundamentis, ad poſitiones accedo.

Prima poſitio, ad numeroſam orationem faciendam neceſſaria eſt pedum obſeruatio &

collocatio. Nam, & ſi ſoluta oratio nullos pedes excludat; tamen non omnes ubique quadrant: nec omnes ſunt æque boni, neque ſinguli apte poſt ſingulos collocantur: alij probantur in fine, alij uitantur; idemque de principio dicas. Videndum igitur eſt, quo loco idonee collocari debeant.

Secunda poſitio, numerus proprie dictus, non in uno ſed in plurium pedum concordia conſiſtit. Vt.n. ſymphonia non uno uel altero tono, ſed plurium uocum concentu perficitur; ita proſæ modulatio, non in una tantum unius pedis pronuntiatione. Quare, licet aliquando Cicero pedem, numerum appellauerit, uel quia numerus e pedibus conſtat, in quibus, tanquã in partibus reperitur, vel quia pes arſin & theſin, hoc eſt elationem & poſitionem habet, unde modulus excitatur, ut patet in inciſis, quæ unam tantum uocem habent: tamen magis proprie multorum pedum concordia & cõtinuatio numerus appellatur. Pes itaque a numero differat, ut a toto curſu, gradus unnus.

Tertia poſitio, ultima ſyllaba ultimi pedis clauſulæ, & commatum ſit ne longa an breuis, nihil refert: quare pro indifferenti habetur. Ita Cicero; Terentianus, et cæteri qui de numeris et uerſibus ſcribunt: quamuis Ariſtoteles longam eſſe debere dicat. Et, licet ad

quantitatem

Digitized by Google

quantitatem nihil referat, ad ſonum tamen nonnihil.

Quarta poſitio, heroi pedes non ſunt a numero oratorio excludendi. Patet hæc doctrina, primum ex uſu bonorum Oratorum, qui paſſim his pedibus utuntur, quod multis exemplis demonſtrari poſſet, ſed in re manifeſta immorari nolo: immo Comici his pedibus ſæpe utuntur, quamuis a uulgari ſermone eorum metra parum abſint. Accedat etiam communis ſcriptorum conſenſus; hos L. Craſſus magni fecit, Cicero, Terentianus, et alii per multi approbarunt: nec eos Ariſtotelem repudiaſſe, ſed potius frequentiam negaſſe cenſendum eſt: ne eorum inſignes percuſſiones uerſum facerent. Idem de iābo et trochæo exiſtimandū puto, quod non obſcure Craſſus, expoſuit, Li. 3. ora. *cum dixit, Iambum & trochæum frequentem ſegregat ab Oratore Ariſtoteles, Catule, veſter: non, ſegregat, ſimpliciter, ſed frequenter de qua re Maioragium conſule.*

Quincta poſitio, quamuis Ariſtoteles & Tullius nihil de Epitritis dixerint, tamen non ſunt ab uſu oratorio excludendi. Quoniā hos pedes a Cicerone, in clauſulis frequenter vſurpatos fuiſſe inuenies; & aliqui eos in fine laudant. Aug. *Ea fortaſſe de cauſſa citati auctores, de his pedibus nihil dixerunt, quod in*

eis nulla inueniatur proportio ex illis, quas ipſi poſuerunt: quos tamen licentia vltimæ ſyllabæ quæ pro breui & longa haberi poteſt, ad rationales pedes reuocares. An autem aliquid referat, ſi hi pedes unica tantum uoce cōſtēt, an pluribus, ex eo patet, quod aliqui diſpondeum ex vnica voce, vt mollem probant, eundem ex pluribus compactum non contemnũt; modo non præcedat dactylus: ut perſolutus: comparant contra nos: magnum Iouis incrementum; hic præcedit dactylus, & eſt heroicum hemiſtichium.

Sexta poſitio, pentaſyllabi pedes non ſunt alieni a numero oratorio; Tum quia Tullius dochimum uehemēter laudat: tum etiam, quod non raro in fine periodi, & membrorum reperiuntur: idem de hexaſyllabis dictum puta.

Septima poſitio, in pedibus collocandis, & in numero oratorio obſeruando, trium locorum ratio præcipue habenda eſt; principij, medij, & finis: ſed magis principij, quã medij, & finis, quam principij, per medium nō ſolum totum periodi corpus, ſed etiam comatum, & mēbrorum fines intelligo. Quod magis habenda ſit ratio finis, communis eſt præceptio; quam ea confirmat ratio; quia finis orationis cum magis auribus hæreat, quam uel principium, uel medium, ſpatium maius de ſe iudicandi

præbet,

præbet; & ita, ſi quid peccatum eſt, magis percipitur, & offendit. Adde etiam, quod aures hunc orationis terminum uidentur expectare, ut ibi conquieſcant, & delectentur. Cũ itaque a capite tota iam comprehenſio decurrere ac labi debeat, ut ad extremum veniens conſiſtat (id nãque eſt quod numeroſum appellamus, cum ex tota oratione ſit quidam numerus quadantenus procurrens, vnde reflexus poſtea conquieſcit) nihil magis aurium iudicio notatur, quam ipſa decenter, ac ſecus expẽſa concluſio. Quantum ſit in fine decus, quanta in clauſulis vis, & quãtum finis ab illo reflexu pendeat, is animaduerteret, qui carmen ſapphicum pronuntiando, quid ſuauitatis eius finis ex dactylo & ſpondeo habeat, ſentiret.

Octaua poſitio, numerus oratorius in fine clauſulæ, in duobus potiſſimum ſpectatur pedibus. Ita fere omnes ſcriptores tradunt, ac etiam qui oratores oxponunt, obſeruãt. Idem diceres de initio, ubi tamen obſeruandi plures maior quædam neceſſitas apparet. Dixi, potiſſimum, quia etiam tertium obſeruare liceret. Quo loco illud adnotauerim, clauſulæ ſuauitatem pendere a quincta ſyllaba a fine, & inde tanquam ad metam peruenerit, reflecti. Ideo Tullius inter omnes clauſulas eam approbauit,

bauit, quæ ditrochæo præcedente amphimacro perficitur; vt, & victoria conferatis. Extat n. illa ultima ſyllaba amphimacri a qua uelu ti reaſſumpto ſpiritu, per trochæos tota celeri me fertur, & ad ſilentium, prona decurrit oratio. In duorum itaque pedum coniunctione finis collocatur, ubi aliquam ſyllabam cæteris extare atq; eminere neceſſe eſt, quæ totius numeri rationem, accentumque habet.

Nona poſitio ex omnibus pedibus, uniuerſe loquendo, meliores iudicati ſunt pæones, & nominatim primus & quartus ab Ariſtotele celebrantur. Cicero ſæpiſſime tertium frequentauit; quod ei poſteriores quidam uitio dederunt: quem pedem Probus grammaticus Ciceroni familiarem fuiſſe dicit. Quod autem neque ſecundum pæona contempſerit, multa exempla demonſtrant: quartum non ita approbauit, ut Ariſtoteles fecit. Creticus etiam omnibus in locis, & maxime in principio laudatur: Item dochimus, & bacchius: ſed de hac re accuratius infra.

Decima poſitio, pedes magis obſeruati & frequentati, quod attinet ad eorum qualitatẽ Streb. *ita notari poſſunt. Phyrrhicchius, tenuis, ſpondeus, tardus, iambus aſper, trochæus uolubilis, dactylus, heroicus, anapæſtus exultans, tribrachys leuis, moloſſus grauis, bac-*

chius

chius ſeuerus, ſimilis palimbacchius amphimacrus temperatus, amphibrachys, obſcurus, ditrocheus iucundus, pæon amplus, & dochimus maieſtate conſpicuus.

Vndecima poſitio, nullius pedis uſus in ſoluta oratione, ſi ſuis locis & congruenter adhibeantur, eſt interdictus. Ita præter alios Lib. 9.
docet Fabius, qui mirari ſe dit, quod doctiſſimi homines quoſdam pedes reiecerint, alios probauerint: ſed nihil eſt cur miretur: quia dum Ariſtoteles laudat pæones, vel Ephorus dactylum, uel Craſſus heroos, vel Cicero dochimum, meliores oſtendunt, & alios non reijciunt; ſed, vel eorum frequentationem, vel certo in loco uſum non omnino approbant. Neque enim cenſendum eſt viros doctos non vidiſſe, quod ſi vnus vel alter tantum adhiberetur pes, aliquod metri genus facile effici poſſe. Nulla itaque ſolutæ orationi, quę Rap.
etiam interdum numeros negligit, prorſus eſt dicta lex, qua uel ad paucos pedes, vel ad certum genus inuita redigatur: ſed omnium qui, uel dupla, vel æqua, vel ſeſcupla, proportione diuiduntur, uſus conceditur. Nullum itaqne, quod etiam Cicero docuit, pedem a ſoluta oratione ablegare licet; ſed meliores eligendi, alij cum his, ſuis locis, permiſcendi ſunt. Sed iam ad argumenta dicamus.

Quod ergo ad primum attinet, dum Oratores aliquos aliquibus in locis magis approbant, alios non reijciunt: & licet vnius clauſulę pedes uarias appellationes ſortiri queant, ſi eos varie diuidas; tamen ſemper idem remanebit rhythmus, & eadem harmonia. Quod de ultima ſyllaba dicitur, idem cauillus haberet locum in uerſibus: quos etiam in varias forma commutare liceret: ut omittam, quod in ea maior, uel minor ſoni bonitas obſeruari poteſt. De ſecundo, quamuis unus pes ſit in alio: tamen non parui refert, ad numeri ſuauitatem, qualitatem ne, an ſyllabę breues, & longæ frequententur, an permiſceantur, an in una, an in pluribus, ſpectentur dictionibus, unde accentus etiam mutatur ratio, quæ ad numeri bonitatem non parum confert. De ultimo, eſto inter ſcriptores, & præſertim illos primos, eſſe nonnihil diſcordiæ in pedum ratione: tamen, inter poſteriores magis conuenit: et iam quid tanquam melius ſequendum, ſit exploratum eſt.

De

De recto pedum uſu, quo loco & qui pedes ponendi ſint. Diſput. XIIII.

PEDVM cognoſcendorum neceſſitate, eorundemque bonitate generatim demonſtrata; explicandum reſtat, qui ſit pedum, numeri ue oratorij bonus vſus. De quo hæc magiſtri potiſsimũ ſolent præſcribere ut fugiantur, monoſyllabæ, maxime in fine: ut finem, carminum uitemus: & multo magis integrum carmen: atqui huiuſmodi præcepta non eſſe ſeruanda, hę, quas ſubijciam rationes demonſtrant. Primum, quod attinet ad carminum finem, multa in bonis auctoribus exempla inuenies, vt poſtea demonſtrabo: & Heronymus Peripateticus ea propter Iſocrate carpſit, quod triginta verſus iambicos, & anapæſticos in eius orationibus inuenerit: & interim ipſe ſenarium admiſit. Deinde, non deſunt, qui uocem diſyllabam a fine remouendã putent, idque faciendum percipiant: cum tamen, ſi bonorum Oratorum ſcripta euoluantur, id non eſſe uerum, facile obſeruare liceat. Denique, quod attinet ad monoſyllabas, multa exempla proferre liceret, quibus demonſtrari poſſet, eas dictiones, quæ nullum faciũt

pedem non male in fine collocari, & in princi-pijs ſæpe aptiſsime poni cum in hac diſputatione nullæ concurrant notandæ ſententiæ, nec ulla fundamenta ſint ponenda, quæ dicenda occurrunt, hoc ordine docebo. Primum percurrendo per omnia pedum genera, oſtendam qui pedes in tribus locis ſupra notatis commode vſurpentur: deinde quę uitia in numero oratorio fugienda ſint: poſtea nonnulla præcepta obſeruanda adſcribam: tandem rationem qua hæc doctrina de numero oratorio facile acquiri poſſit, indicabo.

Prima poſitio, finis periodi non refugit omnino monoſyllabam: hoc dixerim contra quoſdam, qui eam a fine omnino reijciunt. Nam licet ipſa ſola non ſit pes, tamen cum alijs ſumpta pedem facit, & commode pedem finemque interdum claudit: quo in loco ſæpius uerbum, eſt, apte collocatur: ut, dicendum eſt, dicenda ſunt. Laudant aliqui hunc finem, ſi monoſyllabæ longæ præmittatur trochæus; ut non ſcripta, ſed nata lex, etſi turpe ſit: Iambus vero uel anapæſtus præcedat, ſi ſit breuis: ne breuis breuem & longa longam excipiat monoſyllaba: ut, Apud meos ſit: Animos dat. Verum monoſyllaba in fine pendentem ſenſum, hoc eſt commata & cola aptius quam comprehenſionem terminat. Initium

Chir. Fort.

tium

tium quoque & quidem frequentius a monoſyllaba ducitur: ut, eſt hoc in more poſitum. Quæ precatus ſum: cum in maximis: cum multa diuinitus: Quæ res in ciuitate: ſi quis ueſtrũ, &c.

Secunda poſitio, orationis ſtructura commode uoce diſyllaba terminari poteſt; licet aliqui cum cautela adhibendam putent: quorum uana eſt ſuperſtitio. E duabus ſyllabis pedes, hi potiſſimum apte periodum terminant.

Spondeus præcedente
- *Spondeo; ut, nos oppugnant.*
- *Duobus ſpondeis, illuſtratæ ſunt.*
- *Duobus cũ ſyllaba, te ipſum uiciſti.*
- *Tribus, laudatorem uidiſtis.*
- *Trochæo, arma ſumpſi.*
- *Trochæo, & ſpondeo, ſuorum ſit interfectus.*
- *Iãbo & ſpondeo, conſulẽ declarauit.*
- *Amphimacro, criminis cauſſa.*
- *Anapæſto, etiam nota.*
- *Iambo, meos ciues.*
- *Tribracho & pyrrhichio: ut, Multumque Brute dubitaui: conſtitueretur.*

Fabius, hanc poſtremam clauſulam Ciceroni frequentem, non approbat: ſed cauſſam non uideo, cum recte pæon cum ſpondeo cadat. Verum duo ſpondei in una dictione non ita ſuauiter deſinunt. Quibus non recte præmittitur

dactylus, fieret enim finis heroici carminis. Cæterum, licet iteratus ſpondeus tardus ſit; eſt tamen grauitatis plenus præcedente Trochæo.

Trocheus præcedente
- Trochęo; ut, O Marce Druſe.
- Spondeo, nos poſſemus.
- Pyrrhichio; cape uota.
- Amphimacro, proditis rebus.
- Anapæſto, animos ſume.
- Tribracho, refero cauſſam.

Iambus pręcedente
- Spondeo, ut, iuſta fide
- Trochæo, magnus honos

Ni dicti pedes iambum præcedant, clauſula non apte deſinet in iambum. Duo pyrrhichij mutilum & exile quiddam habent: ut, perdidi bona mea. Poſt pyrrhichium ſpondeus, aut Trochęus carminis heroici finem faciunt: ut, imputat ſibi demens: nec ſatis bene conuenit trochæus cum iambo & pyrrhichio.

Tertia poſitio, ex pedibus trium ſyllabarum, hi apte clauſulam terminant.

Dactylo pręcedēte
- Amphimacro, ut, nixus in littore.
- Pyrrhichio, bene dicitur.
- Trochęo, iure fecimus.
- Spondeo, cauſſas audiat.
- Tribracho, recole nomina.
- Anapæſto, repetes cætera.
- Palimbacchio, ſepone cætera.

Duo dactyli male in fine iterantur; deſinunt

enim

enim in carmen Aſclepiadeum, et ſubſultant: ut, nulla futura ſit. Male etiam dactylo præponitur pæon; ut, officium defuit: & anapæſtus: ut, Lætitia peruenerit.

Anapæſtus præcedente { *Anapæſto; ut, leue præſidium.* *Amphibracho, o callidos homines.*

Sed non multum probatur Anapæſtus in fine: aſſurgit enim nec bene deponit orationem.

Tribrachys præcedente { *Amphimacro, de cæteris agite.* *Epitrito tertio, de prælijs redeo.*

Moloſſus præcedente { *Trochæo, eſſe pro nobis.* *Ditrochæo, timendum fuiße ſenſerũt.* *Tribus trochæis, cogitatione uenerũt.* *Dactylo, eſſe ſenatores.* *Amphibracho, dolore compulſi.* *Antiſpaſto, cohærede decepto.*

Frequentiſſimus eſt moloßus breui præcedente ſyllaba.

Amphibrachys præcedente { *Spondeo recte locutus: & Trochæo, ut, iuſta quærela: ut Diomedi placet.*

Verum, uitanda eſt hæc clauſula, quam iſte auctor approbat: deſinit enim in Adonicum metrum: ut, noſtra puella.

Amphimacro { *Amphimacro; ut, temporum contulit. Duobus amphimacris, perpeti turpiter maluit.*

crus precedente { Anapæſto, uiolent maximos.
Iambo, & tunc ſuauiter cadit cum efficiatur Dochimus, non ita uictoriæ.

Multus eſt hic pes in excipienda ſententia: ſi præcedat pes breui ſyllaba clauſus, duo efficiũtur iambi, & ita erit finis ſenarij: quare una, uel plures longæ melius antecedunt

Bacchius præcedente { Amphimacro; ut, hoſtibus repulſis.
Hic pes optime ſententiam claudit.

Antibacchio præcedente { Antibacchio, detrudit hæredem.
Ditrochæo, uindicatur electus.
Trochæo, eſſe delectum.
Bacchio, poteſt nos poſſumus.
Amphibracho, dolore deriſus.
Moloſſo, ſanguine germani reſperſus.

Quarta poſitio, quamuis aliqui ſcriptores de tetraſyllabis, ſaltem omnibus, nihil dicãt: tamen omnes eo ipſo quod longiores ſunt, non male ſententiam claudunt. Ita ſenſit Auguſtinus, qui omnes huius ordinis pedes ſolutæ orationi aptos iudicauit: Terẽtianus inter pæones ponit: idem exemplis confirmari poteſt.

Probus. { Proceleuſmaticus; ut, poſſidere licet.
Male tamen Probus hunc pedem probat, præcedente dactylo: cum naſcatur finis heroi-

heroici carminis.
Diſpondeus, condemnari, confirmatas.
Diiambus, atque potentia, remitteres,
Ditrochæus, ita accidiſſet, imperator, arbitrabantur.

Hoc pede C.Carbo P.Romanum in clamorem excitauit, adeo præclare cadit: eodem pede, Hierocles, & Menecles Aſiaticorum rhetorũ principes, ſemper fere clauſerunt ſententiam, quos merito damnat M.Tullius. Hunc pedem apte precedunt,

Amphimacrus, uictoria conferatis.
Trochæus, ſed non ita bene,
Dactylus, ſolatia ſeruitutis, gentibus imperare:
Verum ſi dactylus & Trochæus antecedant, finis erit carminis Phaleucij.
Spondeus & bacchius.
Sibi ipſi etiam bene inſidet, ut pæoni, & Anapæſto: ſiciliam nominauit: domicilium collocare.

Hic pes eſt Ciceroni frequentiſſimus: & ut eſt dulcior, ita cauendum eſt ne ſatietatem afferat.

Antiſpaſtus; ut, commouebatur, uideretur.
Choriambus, inuenio, amicitia.
Ionicus a maiore, defendere, adduximus.
Ionicus a minore, ſpoliati, timuerunt.

Pri-

Sequũtur pęones.

- *Primus, cõſulite, eripite, ſuſtulerit.*
- *Secundus, refellerit, ſcientior, ſatiſdaret.*
- *Tertius, uideatur, ſuperarit.*
- *Quartus, religio eſt, eſſe uideo.*

Antiqui duos pæones primum & ultimum ſtatuerunt: ſecundus ad Iambum & pyrrhichium reuocatur; tertius ad pyrrhichium & trochæum. Primus & ſecũdus in medio curſu amplitudinem & dignitatem habent; infirmi tamen & inſtabiles ſunt in extrema comprehenſione: ubi nonnunquam collocantur; ut, retinere non potero: domeſticos parietes. Interdum duo pæones concurrunt; ut, iudicia fieri. Cęterum, cum plures ſunt in clauſula breues, oratio euaneſcit; ut, ſe dabat labori atque itineribus. Sequuntur.

Epitriti.

- *Primus, petiuerunt, retardarent;*
- *Secundus, liberarunt, nauigarent.*
- *Tertius, cognoſcerent, ſuccenſeas,*
- *Quartus, defendatur, auertiſſe.*

Ratio cur hi pedes non ſint excludendi, ea eſt, quia ob licentiam ultimæ ſyllabæ, quæ pro longa & breui habetur, hos pedes ad alios qui probantur, reuocare & in eis aliquam ex allatis proportionibus inuenire licet.

Quincta poſitio, etiam pentaſyllabi interdum

dum periodos & commata claudunt; ut in his patet exemplis:

Dochimus palimbacchio prȩcedente, fortuna reipublicæ. & ſpondeo prȩpoſito, Reges potentiſſimi.
Antyciprius præcedente iambo, boni conſulebantur.
Antamoeboeus, iambo præcedente, Rates reparabantur.
Agæoſcolius prȩcedente ſpondeo, Noſtram calamitatem.

Et denique multas alias clauſulas apud Ciceronem pentaſyllabis factas obſeruares; ſicuti & ex hexaſyllabis. Quod ſi ſummatim meliores clauſulas cognoſcere uelles, hæ ferme ſunt, quas hi pedes faciunt:

Amphimacrus & ditrochæus, gloriam comparauit.
Trochæus & moloſſus, mebra firmantur.
Dochimus, ita victoriæ.
Amphimacrus iteratus, urget affinitas.
Amphimacrus et dactylus, cōſonāt omnia.
Tribrachys & ſpondeus, uitia damnant.
Lambus & diſpondeus, uirum cōdēnarunt.
Trochæus & diſpondeus, cȩdit armatos.

His itaque tanquam præſtantioribus, alijs uero uarietatis gratia, utendum erit. Sed iam de initio clauſulæ agamus.

Sexta poſitio, principia non debent ſuis numeris carere. Nam, cum aures uacuas ingreßura ſint, non poſſent non diſplicere, ſi male ingrederentur: cum probari non queat, quod in ueſtibulo ipſo offendit. In principijs hi pedes apti cenſentur.

Amphimacrus, neminē veſtrum ignorare, &c. Quod precatus ſum: Credo ego, iudices: Maxime uellem iudices: Si quid eſt in me.

Pęon primus, Nam quid ego: At beneficio.

Pæon quartus, Leuia ſunt hac. Animaduerti iudices.

Dochimus, Catenas habebat hoſpes tuus.

Ditrochæus, Non enim poteſt: Hoc breuiſſime dicam.

Moloßus, eſt idem Verres, qui fuit: Iam vero virtuti.

Anapæſtus, Patior iudices: Vtinam Quirites: Sinite hoc loco.

Item, ſpondeus, Et ſi, Quamquam: dactylus, Principio generi animantium, & quoniam, ſerius omnino, omnia præteribo: Trochæus, Vt igitur: Amphibrachys, Tenes ne memoria: Frequentia ueſtra. Bacchius & Palimbacchius. Hi igitur aptius, in principijs ponuntur: ubi etiam alij eſſe poſſunt: & ita omnes pedes ſimplices qui ſunt numero duodecim

cum principem locum recte occupant: cũ quattuor primi ſint in alijs: pyrrhichius in anapæſto, & pæone quarto: iambus in bacchio, trochæus in dactylo, & amphimacro, ſpondeus in moloſſo, & palimbacchio. Verum ſeparati non eandem habent dignitatem: cum magni referat, longa an breuis ſubſequatur ſyllaba. cauendum itaque eſt, ne breuibus exiliat, neue longis langueſcat ingreſſus. Obſeruandum etiam eſt, ne illi cõtinuentur pedes, quibus uulgati & triti uerſus fiunt; ut ſunt iambi anapæſti, chorei, dactyli, & ſpondei. Spondeus rarius inuenitur in principijs, niſi in breuibus periodis, idem de moloſſo dicas. Nam, ut oratio quæ a breuibus ad longas progreditur, dura ac tarda eſt, ita quæ a lõgis ad breues, mollis, & uelox. Cæterum in aduerſatiuis, & ſi, at vero, longa non ita ſentitur. Iambus in principio, ardet, uehementerque inſurgit: Quouſque tandem: ſilent enim leges: trochæus mollius ingreditur; Comprehenſus eſt; epitritus quartus non eſt infrequens in initio: At non Bublio Clodio. Verum ea optima putãtur exordia, quæ pedes longos breuibus, & breues longis permiſtos habent: ut, Antequam de republica: Si quis antea, iudices mirabatur. Phil. 2. Pro Sex.

Octaua poſitio, numerus orationis, etiam in media periodo, & maxime in fine inciſorum.

& mem-

& membrorum obſeruandus eſt: ſed non ita diligenter, ut in fine & initio. Quamuis enim dum oratio uolubiliter fertur, non omnes pedes notentur: tamen, ſi inſiſtant, aut attollantur nimis, cernitur deformitas. Media igitur initijs & clauſulis reſpondere debent: in quibus ſunt etiam quidam conatus, qui leniter inſiſtunt; ut currentium pes, etiam ſi non moratur; tamen ueſtigium facit, ut Fabius ſcribit. Quod ergo attinet ad numerum in media periodo obſeruandum, ſi ſit uelocitate opus, breuibus utendum erit pedibus; qui ad res humiles exprimendas, & ad perſpicuitatem retinendam conferunt; ſi uero tarditate, longis utemur: ſed quoniam conciſi & breues ſubſultant, cum longis miſcendi erunt: & ne magis tarde, quam oportet, incedat oratio, longi breues excipient: miſtis itaque temperanda erit. Meliores in medio cenſentur, dochimus, pæones, creticus, qui eſt omnium frequentiſſimus, dactylus, moloſſus, anapæſtus, ſpondeus, & bacchius, qui dignitati, ſplendori, atque amplitudini inſeruiunt. Vt autem quod præcipimus longe melius intelligatur, unum uel alterum ſubijciam exemplum. Intelligo quam ſcopuloſo difficilique in loco uerſer. Nam cũ omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenij atque eloquentiæ multo moleſtiſſima. Vbi

pæonas

pſonas permiſtos uides. In hac uero periodo ſpondeum, Nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur, qui tam nefarijs criminibus, tam multis teſtibus euictus ora iudicum aſpicere, aut os ſuum Populo Romano oſtendere auderet. Illud ſpeciatim addiderim, membra longiora, eadem fere ratione eſſe concludenda, ut clauſulę, ne aures diu ſine ulla iucunditate audiant: ſi vero erunt breuiora, e pedibus illi erunt eligendi, qui breuitatem tarditate compenſent: ut ſunt ſpondeus, bacchius, moloſſus, & diſpondeus: ut ecce, Tum ciues Romani, qui Lampſaci negociabantur, concurrunt, orant Lampſacenos, ut grauius apud eos nomen legationis, quam iniuria legati putaretur: ſeſe intelligere hominem illum eſſe impurum ac nefariũ, ſed quoniã nec perfeciſſet quod conatus erat, nec futurus eſſet Lampſaci poſtea, leuius eorum peccatum fore, ſi homini ſcelerato peperciſſent, quam ſi legato non peperciſſent. Vbi obſeruabis plura membra, ſuauiter terminata. Item, Nõ enim poteſt dicere, cum ſeditionẽ ſedare uellem, cum frumentum imperarem, cum ſtipendium cogerem, cum aliquid denique reip. cauſſa gererem, quod acrius imperaui, quod animaduerti, quod minatus ſum. Atque eadem fere eſt inciſorum ratio: quæ ita com- Screb.

ponenda

[illegible]

tatem habeat rhythmum ſuis in locis poſitus ex eo Vergilij loco facile cognoſcitur, ubi uolebat exprimere quanta cum difficultate & tarditate equus ille Troianus moueretur, dixit,

— ſcandit fatalis machina muros.

Vbi ſpondeum & moloſſum coniunxit, ut ſyllabarum tarditate tardum, & difficilem explicaret inceſſum. Contra alibi celeritatem oſtenſurus, quotquot potuit breues ſyllabas adhibere, adhibuit. Sed hac de re plura ſequē- Ael.3.
ti libro, cum de decoro poetico diſputabitur. Quod attinet ad argumentorum ſolutionem, de primo dicam ſequenti diſputatione: alia ſoluuntur ex dictis.

De

Digitized by Google

De uſu numeri oratorij, & quo pacto facile comparari queat.
Diſputatio XV.

NVMERI Oratorij natura, pedumque ex quibus naſcitur varietate explicata; illud ſupereſſe uidetur, ut aliquid de recto eius uſu dicamus. In quo, illud omnes præcipere ſolent, ut numerus poeticus, & nimia in numero quærendo cura uitetur: quæ tamen bonos ſcriptores non obſeruaſſe facile probares: quandoquidem non ſolum unum & alterum pedem metricum uſurparunt, ſed etiam hemiſtichia, & integros ex omni genere uerſus.

Quod autem carminũ partes adhibuerint, hæc exẽpla, ex Cicerone collecta demõſtrãt. Omiſerum cui peccare licebat: Manant ex illo fonte dolores: ſuſpicionem belli: Exterminabitur, eijcietur. In his exemplis heroici carminis fines cernuntur: hic vero Elegiaci, Oderat ille bonos. Sed tamen alterius partis periculum: hic eſt initium carminis heroici: quo etiam modo ſuam hiſtoriam exorditus eſt Liuius, Facturus ne operæ pretium ſim. A. que eiuſdem generis multa alia, tum ex Latinis. tũ Pro Mil. Pro Lege Man.

ex Græcis exempla liceret afferre. Deinde, quod attinet ad integra carmina, hęc ſubijcio exempla. His ego conſilijs, ſi te præſentem habuiſſem. Diſplicet mihi, nec ſine ſummo ſcribo dolore. Eiuſdem conſilium ad bellum ſpectare videtur: Cum loquerer, tanti fletus gemituſque fiebant: quamuis in hoc exemplo vna ſit uitioſa ſyllaba. Complexi plus multo etiam uidiſſe uidentur: Craſſis occultata & circumfuſa tenebris. Varro magnis obſcurata & circumfuſa tenebris: Auctores teſtes, laudatoreſque fuerunt. Alibi iambos fudit, Ipſorum aduentus in urbes ſociorum, non multum ab hoſtili expugnatione differant: ſimiliter Hipponacteos Iambis perſimiles; Ex flagitiorum importunitate concretum. Salluſtius quoque in bonis auctoribus numeratus, ſuam hiſtoriam heroico carmine inchoauit, Bellum ſcripturus ſum, quod populus Romanus. Denique Demoſthenes ſæpe in Philippum iambos contorquet. Quod autem maxima in numero cura damnari non debeat Platonis ſcripta declarant, quæ ita ſunt numeroſa, ut eius diſcipulus Ariſtoteles dubitauerit, an inter ſolutas orationes, an inter poemata numerãda eſſent. Cuius tamen diuini ſcriptoris tanta fuit in dicendo eloquentia, ut de eo ſcriptum fuerit, ſi Iupiter humana lingua loqui uoluiſſet, non alia

Li. 1. epiſ. ad Lent.
Lib. 2. ad Attic. & 15.
In ver.
Lib. 3. de orat.
In Lucul.
Orat. poſt red.
Marſ. Fic.

alia quam Platonis fuiſſe locuturum: & , ut quidam volunt, ideo, Platonis cognomen accepit, cum ei Ariſtocles nomen eſſet, quod vim magnam ad orationem dilatandam haberet. His itaque rationibus aliquis exiſtimare poſſet, aut nullam, aut maximam in numeri uſu ponendam eſſe curam, qua in re hos inuenio dicendi modos.

Aliqui maiorem requirunt in oratione numerum; ita ut uelint omnia, & in omni genere numeroſe concludi. Alij ſolum extremam clauſulæ partem numero conſtrictam ſatis eſſe exiſtimarunt. Alij denique in tota periodo numerum requirunt, ſed tamen in eius uſu modum menſuramque deſiderant: ita ut nec vbique, nec ſemper ſtudioſe quærendus ſit. In eo etiã ſolet eſſe diſſenſio, an ex pedibus tantũ, oriatur numerus, an uero etiam ex ipſa compoſitione litterarum, ſyllabarum, membrorumque apta ſtructura. Nam Ariſtoteles e pedibus confici proculdubio iudicauit: quibus cola ſubnixa, inoffenſo gradu procedant, & ad iutæ periodi iucundo fine claudantur. At vero Halicarnaſſeus Dionyſius, non ſolum in pedibus, ſed etiam in ſchematibus quibuſdam, & interdum in ſola ſyllabarum ultimarum, membrorumque concinnitate conſiſtere credidit. Nec defuerunt, qui maiorem uim, in nu-

mero conſtituendo, literarum ſonum, quam pedes habere dixerunt: quibus Tullij obijcere poßes auctoritatem. Nos, quid de re propoſita, & de his dubitationibus ſentiendum ſit quibuſdam poſitionibus manifeſtabimus.

Prima poſitio, ut oratoria dictio debet eße numeris concluſa; ſic etiam non debet eſſe nimis numeroſa; ita ut ſemper & ubique ſit numerorum legibus adſtricta: numeroſe itaque dicendum eſt, ſed cauere oportet, ne quid nimis. Primum, hoc pronuntiatum confirmares ex communi doctrina omnium eorum, qui de numero oratorio ſcripſerunt: quorum nemo eſt, qui nimiam & ſuperſtitioſam quandã in hac re diligentiam non uituperet. Multum intereſt, inquit Tullius, utrum numeroſa ſit, id eſt, ſimilis numerorum, an plane e numeris conſtet oratio. Alterum ſi ſit intollerabile uidetur: alterum niſi ſit, diſſipata, & inculta, & fluens eſt oratio. Non ideo tractatur a nobis hic locus, ait Fabius, ut oratio, quę ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus, ac perpendendis ſyllabis conſeneſcat: nam id, tum miſeri, tum in minimis occupati eſt. Et apud Ciceronem Craſſus, liberior eſt oratio, & plane, ut dicitur, ſic & eſt uere ſoluta; non ut fugiat tamen; ſed ut ſine uinculis ſibi ipſa moderetur. Non itaque tam acrem curam, diligen-

In ora.

tiam-

tiamque deſiderat, ut illa poetarum, quos neceſſitas cogit. Deinde quoniam dictio oratoria non debet eſſe numerus, hoc eſt perpetuus quidam rhythmus, aut cantilena, ſed numeroſa. Numeroſum autem id putatur, ex M. Tullio, non quod totum conſtat e numeris, ſed quod ad numerum proxime accedit. Quare, omnis nec claudicans, neque quaſi fluctuãs, & æqualiter conſtanterque ingrediens, numeroſa habetur oratio: cum in dicendo nihil ſit propoſitum, niſi aut ne immoderata, aut anguſta, aut diſſoluta, aut fluens ſit oratio. Præterea ex oratione nimis numeroſa duo maxima naſcuntur incommoda: alterum quod talis oratio perſuadere nullo modo poſſit: quia pręmeditata & artificio nimio uidetur parata, ideoque inſidiarum plena; ac proinde ad fidem faciendam minime accommodata. Alterum, quod mentem auditoris auertat ab ipſa cauſſa, & alliciat ad numerorum delicias. Atqui dum auditor in artificio percipiendo eſt occupatus, rem ipſam non attendit. Denique, qui iſto inani ſtudio laborant; in hæc facile labuntur uitia. Vel enim inculcant inania quædam uerba, quaſi complementa numerorum: uel ita uerba trayciunt, quo melius cadat, aut uoluatur oratio, ut obſcure dicant, & omnem perſpicuitatem tollant.

Cic. in orat.

Cic. in orat.

Ariſt. li. 2.

Secunda poſitio, ut orationis numerus delectet ac placeat, uariandus eſt, & præſertim ille, quem illuſtriores pedes faciunt. Nam, licet quidam pedes numeroſius cadant: tamen ut ait Cicero, in orationis numero nihil eſt tã uitioſum, quam ſi ſemper ſit idem. Pedum itaque uiciſſitudines efficient, ut neque ij ſatientur, qui audiunt faſtidio ſimilitudinis; nec nos id quod agimus, dedita opera uideamur efficere. Eiuſdem ergo numeri frequentatio, tria parit incommoda, ut cognoſcatur, ut ſatiet, & ut facilitate perſpecta contemnatur. Contra, ſi permiſceatur, ac uarietur, minime animaduertetur delectationis aucupium, & quadrandæ orationis induſtria: quę, ut ait Cicero, latebit eo magis, ſi & uerborum & ſententiarum ponderibus utemur. Nam qui audiunt, hæc duo animaduertunt, & iucunda ſibi cenſent; uerba dico, & ſententias: eaque dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos & peruolat numerus: qui tamen ſi abeſſet, illa ipſa delectarent.

In orat.

In orat.

Tertia poſitio, illi numeri ſiue pedes non ſunt frequentandi, ex quorum coninnctione facile aliquis conficitur uerſus; & ex ijs, qui magis in uſu ſunt, & facilius percipiuntur. Quoniam, ut ſtatim dicemus, in oratione ſoluta carmina & hemiſtichia uitanda ſunt: in

quæ

quæ facile incidet, qui huiuſmodi pedes non ui tabit. Pedes ex quorum frequentatione facile extat uerſus, hi ſunt, dactyli ſpondei, iambici, & quidam alij: Verſus autem magis noti, ſunt hexametri, pentametri, iambici, & anapæſtici.

Quarta poſitio, numerus oratorius non ſolum ſibi ipſi debet eſſe diſſimilis, hoc eſt uarius, ſed etiam a poetico oportet eſſe diuerſum: quare dum diſſimilitudo quęritur, cauendum eſt, ne in poeticum incidamus, aliquod conficiendo carmen, aut hemiſtichium. Communis eſt præceptio, quam non uno loco tradidit M. Tullius, ut cum de hac re diſputando concluſit. Perſpicuum eſt igitur, numeris aſtrictam orationem eſſe debere, carere uerſibus. In ora.
Et alio loco, de Ariſtotele loquens. Is igitur uerſum in oratione uetat eſſe, numerum iubet. Item, Numerus autem (ſępe enim hoc teſtandum eſt) non modo non poetice iunctus, uerũ etiam fugiens illum, eique omnium diſſimillimus. Item, in quo illud eſt uel maximum, Li. 3. ora
quod uerſus ſi in oratione efficiatur coniunctione uerborum, uitium eſt: & tamen eam coniunctionem, ſicuti uerſum, numeroſe cadere, & quadrare, & perfici uolumus.

Quincta poſitio, & ſi poeticus numerus oratori ſit fugiendus: tamen ſi interdum boni

Sexta poſitio, principia non debent ſuis numeris carere. Nam, cum aures uacuas ingreſſura ſint, non poſſent non diſplicere, ſi male ingrederentur: cum probari non queat, quod in ueſtibulo ipſo offendit. In principijs hi pedes apti cenſentur.

Amphimacrus, neminẽ veſtrum ignorare, &c. Quod precatus ſum: Credo ego, iudices: Maxime uellem iudices: Si quid eſt in me.

Pæon primus, Nam quid ego: At beneficio.

Pæon quartus, Leuia ſunt hæc. Animaduerti iudices.

Dochimus, Catenas habebat hoſpes tuus.

Ditrochæus, Non enim poteſt: Hoc breuiſſime dicam.

Moloſſus, eſt idem Verres, qui fuit: Iam vero virtuti.

Anapæſtus, Patior iudices: Vtinam Quirites: Sinite hoc loco.

Item, ſpondeus, Et ſi, Quamquam: dactylus, Principio generi animantium, & quoniam, ſerius omnino, omnia præteribo: Trochæus, Vt igitur: Amphibrachys, Tenes ne memoria: Frequentia ueſtra. Bacchius & Palimbacchius. Hi igitur aptius, in principijs ponuntur: ubi etiam alij eſſe poſſunt: & ita omnes pedes ſimplices qui ſunt numero duode-

cim

Digitized by Google

cim principem locum recte occupant: cũ quattuor primi ſint in aliјs: pyrrhichius in anapæſto, & pæone quarto: iambus in bacchio, trochæus in dactylo, & amphimacro, ſpondeus in moloſſo, & palimbacchio. Verum ſeparati non eandem habent dignitatem: cum magni referat, longa an breuis ſubſequatur ſyllaba. cauendum itaque eſt, ne breuibus exiliat, neue longis langueſcat ingreſſus. Obſeruandum etiam eſt, ne illi cõtinuentur pedes, quibus uulgati & triti uerſus fiunt; ut ſunt iambi anapæſti, chorei, dactyli, & ſpondei. Spondeus rarius inuenitur in principiјs, niſi in breuibus periodis, idem de moloſſo dicas. Nam, ut oratio quæ a breuibus ad longas progreditur, dura ac tarda eſt, ita quæ a lõgis ad breues, mollis, & uelox. Cæterum in aduerſatiuis, & ſi, at vero, longa non ita ſentitur. Iambus in principio, ardet, uehementerque inſurgit: Quouſque tandem: ſilent enim leges: trochæus mollius ingreditur; Comprehenſus eſt: epitritus quartus non eſt infrequens in initio: At non Bublio Clodio. Verum ea optima putãtur exordia, quæ pedes longos breuibus, & breues longis permiſtos habent: ut, Antequam de republica: Si quis antea, iudices mirabatur. Phil. 2. Pro Sex.

Octaua poſitio, numerus orationis, etiam in media periodo, & maxime in fine inciſorum.

& mem-

& membrorum obſernandus eſt: ſed non ita diligenter, ut in fine & initio. Quamuis enim dum oratio uolubiliter fertur, non omnes pedes notentur: tamen, ſi inſiſtant, aut attollantur nimis, cernitur deformitas. Media igitur initijs & clauſulis reſpondere debent: in quibus ſunt etiam quidam conatus, qui leniter inſiſtunt; ut currentium pes, etiam ſi non moratur; tamen ueſtigium facit, ut Fabius ſcribit. Quod ergo attinet ad numerum in media periodo obſeruandum, ſi ſit uelocitate opus, breuibus utendum erit pedibus; qui ad res humiles exprimendas, & ad perſpicuitatem retinendam conferunt; ſi uero tarditate, longis utemur: ſed quoniam conciſi & breues ſubſultant, cum longis miſcendi erunt: & ne magis tarde, quam oportet, incedat oratio, longi breues excipient: miſtis itaque temperanda erit. Meliores in medio cenſentur, dochimus, pæones, creticus, qui eſt omnium frequentiſſimus, dactylus, moloſſus, anapæſtus, ſpondeus, & bacchius, qui dignitati, ſplendori, atque amplitudini inſeruiunt. Vt autem quod præcipimus longe melius intelligatur, unum uel alterum ſubijciam exemplum. Intelligo quam ſcopuloſo difficilique in loco uerſer. Nam cũ omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenij atque eloquentiæ multo moleſtiſſima. Vbi

paeonas

pſonas permiſſos uides. In hac uera periodo ſpondeum, Nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur, qui tam nefarijs criminibus, tam multis teſtibus euictus ora iudicum aſpicere, aut os ſuum Populo Romano oſtendere auderet. Illud ſpeciatim addiderim, membra longiora, eadem fere ratione eſſe concludenda, ut clauſulę, ne aures diu ſine ulla iucunditate audiant: ſi vero erunt breuiora, e pedibus illi erunt eligendi, qui breuitatem tarditate compenſent: ut ſunt ſpondeus, bacchius, moloſſus, & diſpondeus: ut ecce, Tum ciues Romani, qui Lampſaci negociabantur, concurrunt, orant Lampſacenos, ut grauius apud eos nomen legationis, quam iniuria legati putaretur: ſeſe intelligere hominem illum eſſe impurum ac nefariũ, ſed quoniã nec perfeciſſet quod conatus erat, nec futurus eſſet Lampſaci poſtea, leuius eorum peccatum fore, ſi homini ſcelerato pepercissent, quam ſi legato non peperciſſent. Vbi obſeruabis plura membra, ſuauiter terminata. Item, Nõ enim poteſt dicere, cum ſeditionẽ ſedare uellem, cum frumentum imperarem, cum ſtipendium cogerem, cum aliquid denique reip. cauſſa gererem, quod acrius imperaui, quod animaduerti, quod minatus ſum. Atque eadem fere eſt inciſorum ratio: quæ ita com- Sareb.

ponenda

ponenda ſunt, ut ornet elegantia paruitatem Domus tibi deerat? at habebas: Pecunia ſuperabat? at egebas. Quę ſpondeo ſuſtinentur. Quantum ualeat numerus etiam in media periodo obſeruatus, facile in eo pulcherrimo ambitu, quem habes apud Tullium in oratione pro Aruſpicum reſponſis, Tu, cum furiales in concionibus uoces mittis: cum domos ciuium euertis; & quæ ibi ſequuntur, facile animaduerteres. Quantam gratiam ac dignitatem habeat rhythmus ſuis in locis poſitus ex eo Virgilij loco facile cognoſcitur, ubi uolens exprimere quanta cum difficultate & tarditate equus ille Troianus moueretur, dixit,

——Scandit fatalis machi na muros.

Vbi ſpondeum & moloſſum coniunxit, ut ſyllabarum tarditate tardum, & difficilem explicaret inceßum. Contra alibi celeritatem oſtenſurus, quotquot potuit breues ſyllabas adhibere, adhibuit. Sed hac de re plura ſequenti libro, cum de decoro poetico diſputabitur. Quod attinet ad argumentorum ſolutionem, de primo dicam ſequenti diſputatione: alia ſoluuntur ex dictis.

Ecl.3.

De

De uſu numeri oratorij, & quo pacto facile comparari queat. Diſputatio XV.

NVMERI Oratorij natura, pedumque ex quibus naſcitur uarietate explicata; illud ſupereſſe uidetur, ut aliquid de recto eius uſu dicamus. In quo, illud omnes præcipere ſolent, ut numerus poeticus, & nimia in numero quærendo cura uitetur: quæ tamen bonos ſcriptores non obſeruaſſe facile probares: quandoquidem non ſolum unum & alterum pedem metricum uſurparunt, ſed etiam hemiſtichia, & integros ex omni genere uerſus.

Quod autem carminũ partes adhibuerint, hæc exẽpla, ex Cicerone collecta demonſtrãt. O miſerum cui peccare licebat: Manant ex illo fonte dolores: ſuſpicionem belli: Exterminabitur, eÿcietur. In his exemplis heroici carminis fines cernuntur: hic vero Elegiaci, Oderat ille bonos. Sed tamen alterius partis periculum: hic eſt initium carminis heroici: quo etiam modo ſuam hiſtoriam exorditus eſt Liuius, Facturus ne operæ pretium ſim. Atque eiuſdem generis multa alia, tum ex Latinis. tũ Pro Mil. Pro Lege Man.

ex Græcis exempla liceret afferre. Deinde, quod attinet ad integra carmina, hęc ſubijcio exempla. His ego conſilijs, ſi te præſentem habuiſſem. Diſplicet mihi, nec ſine ſummo ſcribo dolore. Eiuſdem conſilium ad bellum ſpectare videtur: Cum loquerer, tanti fletus gemituſque fiebant: quamuis in hoc exemplo vna ſit uitioſa ſyllaba. Complexi plus multo etiam uidiſſe uidentur: Craſſis occultata & circumfuſa tenebris. Varro magnis obſcurata & circumfuſa tenebris: Auctores teſtes, laudatoreſque fuerunt. Alibi iambos fudit, Ipſorum aduentus in urbes ſociorum, non multum ab hoſtili expugnatione differant: ſimiliter Hipponacteos Iambis perſimiles; Ex flagitiorum importunitate concretum. Salluſtius quoque in bonis auctoribus numeratus, ſuam hiſtoriam heroico carmine inchoauit, Bellum ſcripturus ſum, quod populus Romanus. Denique Demoſthenes ſæpe in Philippum iambos contorquet. Quod autem maxima in numero cura damnari non debeat Platonis ſcripta declarant, quæ ita ſunt numeroſa, ut eius diſcipulus Ariſtoteles dubitauerit, an inter ſolutas orationes, an inter poemata numerãda eſſent. Cuius tamen diuini ſcriptoris tanta fuit in dicendo eloquentia, ut de eo ſcriptum fuerit, ſi Iupiter humana lingua loqui uoluiſſet, non alia

Li. 1. epiſ. ad Lent. Lib. 2. ad Attic. & 15. In ver. Lib. 3. de orat. In Lucul. Orat. poſt red. Marſ. Fic.

alia quam Platonis fuiſse locuturum: & , ut quidam volunt, ideo, Platonis cognomen accepit, cum ei Ariſtocles nomen eſset, quod vim magnam ad orationem dilatandam haberet. His itaque rationibus aliquis exiſtimare poſſet, aut nullam, aut maximam in numeri uſu ponendam eſſe curam, qua in re hos inuenio dicendi modos.

Aliqui maiorem requirunt in oratione numerum; ita ut uelint omnia, & in omni genere numeroſe concludi. Alij ſolum extremam clauſulæ partem numero conſtrictam ſatis eſſe exiſtimarunt. Alij denique in tota periodo numerum requirunt, ſed tamen in eius uſu modum menſuramque deſiderant: ita ut nec vbique. nec ſemper ſtudioſe quærendus ſit. In eo etiã ſolet eſse diſſenſio, an ex pedibus tantũ, oriatur numerus, an uero etiam ex ipſa compoſitione litterarum, ſyllabarum, membrorumque apta ſtructura. Nam Ariſtoteles e pedibus confici proculdubio iudicauit: quibus cola ſubnixa, inoffenſo gradu procedant, & adiutæ periodi iucundo fine claudantur. At vero Halicarnaſſeus Dionyſius, non ſolum in pedibus, ſed etiam in ſchematibus quibuſdam, & interdum in ſola ſyllabarum ultimarum, membrorumque concinnitate conſiſtere credidit. Nec defuerunt, qui maiorem uim, in nu-

mero conſtituendo, literarum ſonum, quam pedes habere dixerunt: quibus Tullij obijcere poßes auctoritatem. Nos, quid de re propoſita, & de his dubitationibus ſentiendum ſit quibuſdam poſitionibus manifeſtabimus.

Prima poſitio, ut oratoria dictio debet eße numeris concluſa; ſic etiam non debet eſſe nimis numeroſa; ita ut ſemper & ubique ſit numerorum legibus adſtricta: numeroſe itaque dicendum eſt, ſed cauere oportet, ne quid nimis. Primum, hoc pronuntiatum confirmares ex communi doctrina omnium eorum, qui de numero oratorio ſcripſerunt: quorum nemo eſt, qui nimiam & ſuperſtitioſam quandã in hac re diligentiam non uituperet. Multum intereſt, inquit Tullius, utrum numeroſa ſit, id eſt, ſimilis numerorum, an plane e numeris conſtet oratio. Alterum ſi ſit intollerabile uidetur: alterum niſi ſit, diſſipata, & inculta, & fluens eſt oratio. Non ideo tractatur a nobis hic locus, ait Fabius, ut oratio, quę ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus, ac perpendendis ſyllabis conſeneſcat: nam id, tum miſeri, tum in minimis occupati eſt. Et apud Ciceronem Craſſus, liberior eſt oratio, & plane, ut dicitur, ſic & eſt uere ſoluta; non ut fugiat tamen; ſed ut ſine uinculis ſibi ipſa moderetur. Non itaque tam acrem curam, diligentiam-

In ora.

Digitized by Google

tiamque deſiderat, ut illa poetarum, quos neceſ ſitas cogit. Deinde quoniam dictio oratoria non debet eſſe numerus, hoc eſt perpetuus quidam rhythmus, aut cantilena, ſed numeroſa. Numeroſum autem id putatur, ex M. Tullio, non quod totum conſtat e numeris, ſed quod ad numerum proxime accedit. Quare, omnis nec claudicans, neque quaſi fluctuãs, & æqualiter conſtanterque ingrediens, numeroſa habetur oratio: cum in dicendo nihil ſit propoſitum, niſi aut ne immoderata, aut anguſta, aut diſſoluta, aut fluens ſit oratio. Præterea ex oratione nimis numeroſa duo maxima naſcuntur incommoda: alterum quod talis oratio perſuadere nullo modo poſſit: quia pręmeditata & artificio nimio uidetur parata, ideoque inſidiarum plena; ac proinde ad fidem faciendam minime accommodata. Alterum, quod mentem auditoris auertat ab ipſa cauſſa, & alliciat ad numerorum delicias. Atqui dum auditor in artificio percipiendo eſt occupatus, rem ipſam non attendit. Denique, qui iſto inani ſtudio laborant; in hæc facile labuntur uitia. Vel enim inculcant inania quædam uerba, quaſi complementa numerorum: uel ita uerba traijciunt, quo melius cadat, aut uoluatur oratio, ut obſcure dicant, & omnem perſpicuitatem tollant.

Cic. in orat.

Cic. in orat.

Ariſt. li. 2.

Secunda poſitio, ut orationis numerus delectet ac placeat, uariandus eſt, & præſertim ille, quem illuſtriores pedes faciunt. Nam, licet quidam pedes numeroſius cadant: tamen ut ait Cicero, in orationis numero nihil eſt tã uitioſum, quam ſi ſemper ſit idem. Pedum itaque uiciſſitudines efficient, ut neque ij ſatientur, qui audiunt faſtidio ſimilitudinis; nec nos id quod agimus, dedita opera uideamur efficere. Eiuſdem ergo numeri frequentatio, tria parit incommoda, ut cognoſcatur, ut ſatiet, & ut facilitate perſpecta contemnatur. Contra, ſi permiſceatur, ac uarietur, minime animaduertetur delectationis aucupium, & quadrandæ orationis induſtria: quę, ut ait Cicero, latebit eo magis, ſi & uerborum & ſententiarum ponderibus utemur. Nam qui audiunt, hæc duo animaduertunt, & iucunda ſibi cenſent; uerba dico, & ſententias: eaque dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos & peruolat numerus: qui tamen ſi abeſſet, illa ipſa delectarent.

In orat.

In orat.

Tertia poſitio, illi numeri ſiue pedes non ſunt frequentandi, ex quorum coniunctione facile aliquis conficitur uerſus; & ex ijs, qui magis in uſu ſunt, & facilius percipiuntur. Quoniam, ut ſtatim dicemus, in oratione ſoluta carmina & hemiſtichia uitanda ſunt: in

qua

Digitized by Google

quæ facile incidet, qui huiuſmodi pedes non ui tabit. Pedes ex quorum frequentatione facile extat uerſus, hi ſunt, dactyli ſpondei, iambici, & quidam alij: Verſus autem magis noti, ſunt hexametri, pentametri, iambici, & anapæſtici.

Quarta poſitio, numerus oratorius non ſolum ſibi ipſi debet eſſe diſſimilis, hoc eſt uarius, ſed etiam a poetico oportet eſſe diuerſum: quare dum diſſimilitudo quęritur, cauendum eſt, ne in poeticum incidamus, aliquod conficiendo carmen, aut hemiſtichium. Communis eſt præceptio, quam non uno loco tradidit M. Tullius, ut cum de hac re diſputando concluſit. Perſpicuum eſt igitur, numeris aſtrictam orationem eſſe debere, carere uerſibus. In ora. *Et alio loco, de Ariſtotele loquens. Is igitur uerſum in oratione uetat eſſe, numerum iubet. Item, Numerus autem (ſępe enim hoc teſtandum eſt) non modo non poetice iunctus, uerũ etiam fugiens illum, eique omnium diſſimillimus. Item, in quo illud eſt uel maximum, quod uerſus ſi in oratione efficiatur coniunctione uerborum, uitium eſt: & tamen eam coniunctionem, ſicuti uerſum, numeroſe cadere, & quadrare, & perfici uolumus.* Li. 3. ora

Quincta poſitio, & ſi poeticus numerus oratori ſit fugiendus: tamen ſi interdum boni

ſcriptores in eum, uel in uerſus, qui logoidis ideſt proſę orationis ſimiles & ſoluti dicuntur, inciderint, non ſunt uituperandi. Primũ, quia puerile eſt in magno & alias pulcherrimo corpore minimum nęuum notare. Deinde, uix fieri poteſt, aut etiam, ſi humanam ſpectemus diligentiam, fieri non poteſt, quin in longa ſcriptione, pars aliqua uerſus, uel aliquod integrum carmen admiſceatur, ab ijs qui uolunt numeroſe ſcribere; qui non ſyllabas, ſed numerum obſeruant; ac proinde, in orationis curſu, nõ facile omnes poeticos rhythmos, qui ſunt uarij, & oratorijs interdum ualde ſimiles uitant. Propterea aliquãdo Tullius dixit, incidere uero omnes in orationem, etiam ex hoc intelligi poteſt, quod verſus ſæpe in oratione per imprudentiam dicimus; quod uehementer eſt uitioſum: ſed non attendimus, neque exaudimus noſmetipſos. Senarios uero & hyponacteos effugere uis poſſumus: magnam enim partem ex iambis noſtra conſtat oratio. Sed tamen eos uerſus facile agnoſcit auditor: ſunt enim uſitatiſſimi. Inculcamus autem per imprudentiam ſæpe etiam minus uſitatos: ſed tamen uerſus, uitioſum genus, & longa animi prouiſione fugiendum.

In ora.

Sexta poſitio, numerus non poteſt apte in oratione adhiberi, niſi oratio fuerit interual-

lis

lis diſtincta: perennis itaque ac profluens oratio numeros non excipit: & in continuatione, numerus nullus eſt. Huc pertinere uidetur hic Ciceronis locus. Et, ſi numeroſum eſt id in omnibus ſonis atque uocibus, quod habet quaſdam impreſſiones, & quod metiri poſſumus interuallis æqualibus: recte genus hoc numerorum, dummodo, ne continuum ſit, in orationis laude ponetur. Nam ſi rudis & indocta putanda eſt illa ſine interuallis loquacitas perennis & profluens; quid eſt aliud cauſſæ, cur repudietur, niſi quod hominum aures uoce natura modulantur ipſa? quod fieri, niſi ineſt numerus in uoce, non poteſt. Numerus autẽ in continuatione nullus eſt: diſtinctio & æqualium & ſæpe uariorum interuallorum percuſſio, numerum conficit: quem in cadentibus guttis, quod interuallis diſtinguuntur, notare poſſumus, in amni præcipitante non poſſumus. Lib.3.ora.

Septima poſitio, numerum oratorium, liberius in genere demonſtratiuo, quam in alio genere adhibere licet. Ergo, inquit Tullius, in alijs, id eſt in hiſtoria, & in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικὸν *placet omnia dici Iſocrateo, & Theopompeo more, illa circumſcriptione ambituque, ut tanquam in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis, abſolutiſque ſententijs.* In ora.

Octa-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Octaua poſitio, in genere forenſi, ſeu in cauſſis iudicialibus, licet quidem numeroſa oratione uti, ſed parcius. Genus autem hoc, ait Tullius, neque totum aßumendum eſt ad caußas forenſes, neque omnino repudiandum. Si enim ſemper utare; cum ſatietatem affert, tum quale ſit, etiam ab imperitis cognoſcitur. Detrahit præterea actionis dolorem, aufert humanum ſenſum actoris, tollit funditus ueritatem & fidem. Propterea hac de re diſputationem concludens, dixit, ſed quoniam non modo non frequenter, uerum etiam raro in ueris cauſſis aut forenſibus circumſcripte numeroſeque dicendum eſt: ſequi uidetur, ut uideamus quæ ſint illa, quæ ſupra dixi, inciſa, quæ membra: hæc enim in ueris cauſſis maximam partem orationis habent.

Cic. in orat

Nona poſitio, inciſim & membratim tracta oratio in ueris cauſſis plurimum ualet, maximeque in his locis: cum aut arguas, aut refellas: ut in noſtra Corneliana ſecunda ait Cicero, O callidos homines? O rē excogitatā? O ingenia metuenda? Membratim adhuc, deinde cęſim diximus: rurſus membratim. Teſtes dare uolumus: extrema ſequitur comprehenſio, ſed ex duobus membris, qua non poteſt eſſe breuior: Quem quæſo noſtrum fefellit, ita uos eſſe facturos? Nec ullum genus eſt dicendi, aut me-

lius,

lius, aut fortius, binis, aut ternis ferire uerbis, nonnunquam ſingulis, paullo alias pluribus: inter quas uarijs clauſulis interponit ſe raro numeroſa comprehenſio. Quid autem ſit membratim dicere, idem Tullius his uerbis expoſuit: Sin membratim uolumus dicere, inſiſtimus: idque cum opus eſt, ab iſto curſu inuidioſo facile nos, & ſæpe dijungimus. Sed nihil tam debet eſſe numeroſum, quam hoc, quod minime apparet, & valet plurimum.

Decima poſitio, quamuis interdum nō numeroſe, ſed membratim libereque dicendum ſit: tamen membra numeris omnino carere non debent. Sed quæ, ait Cicero, inciſim, aut membratim efferuntur, ea uel aptiſſime cadere debent, ut eſt apud me, Domus tibi deerat? at habebas, & quæ ibi ſequuntur. Et apud eūdem Antonius, Neque ſemper utendum eſt perpetuitate, & quaſi conuerſione uerborum; ſed ſæpe capiēda pedibus minutioribus oratio eſt: quæ tamen ipſa membra ſunt numeris uincienda. In orat. Lib. 3. de orat.

Vndecima poſitio, cum numeroſe dicere oportebit, numerus in tota periodo ſpectandus eſt, ſed magis in principio, & multo magis in fine: Patet hæc doctrina ex ijs, quæ ſupra de pedum obſeruatione diximus. Et ſi primi & poſtremi illi pedes, ait Antonius, ſunt hac

ratione

Lib.3.or. *ratione ſeruati medij poſſunt latere, modo ne circuitus ipſe uerborum ſit. aut breuior, quam aures expectent; aut longior, quam uires atq; anima patiatur. Clauſulas etiam diligentius ſeruandas eſſe arbitror, quam ſuperiora; quod in his maxime perfectio atque abſolutio iudicatur. Nam uerſus æque prima & media, & extrema pars attenditur, qui debilitatur in quacunque ſit parte titubatum: in oratione autem, prima pauci cernunt, poſtrema plerique: quæ quoniam apparent & intelliguntur. uarianda ſunt, ne animorum iudicijs repudiētur, aut aurium ſatietate.*

Duodecima poſitio, numerus oratorius aptādus eſt rebus ipſis, de quibus eſt ſermo, ita ut res grauiores tardiore numero, minus graues, uelociore explicandæ ſint. Huc facere uidetur hęc Ciceronis ſententia, Fluit omnino numerus a primo, tum incitatus breuitate pedum; tum proceritate tardius: curſum magis contentiones requirunt; expoſitiones rerum tarditatem.

Decimatertia poſitio, numeroſa oratio ex longis breuibuſque pedum interuallis ex ſe naſcitur: quem tamē literarum ſyllabarumq; ſuauitas illuſtrat, dulcioremque reddit. Eſt hęc poſitio contra eos, qui maiorem uim in numeroſa oratione, literarum quam pedum bonitatem

nitatem habere exiſtimant: quamuis re uera numeri bonitas, non ex ſola pedum quantitate pendeat. Primum noſtram ſententiam Ariſtotelis grauiſſima confirmat auctoritas; & hic luculentus Ciceronis locus, Quod ſit & anguſta quædam, & alia eſt collocata & diffuſa oratio: neceſſe eſt id, non literarum accidere natura, ſed interuallorum longorum & breuium varietate: quibus implicata atque permiſta oratio, quoniam tum ſtabilis eſt, tũ volubilis, neceſſe eſt eiuſmodi naturam numeris contineri. Et alio loco, cum inter compoſitionem, concinnitatem & numerum differentiam poſuiſſet, hæc adiecit uerba, Ita fit, ut non item in oratione, ut in uerſu, numerus extet; idque, quod numeroſum in oratione dicitur, non ſemper numero fiat, ſed nonnunquam aut concinnitate, aut conſtructione uerborum. Deinde noſtram ſententiam ueram eſſe, ipſa numeri definitio aperte manifeſtat; in qua non ponitur literarum aut ſyllabarum ſonus. Poſtremo, literarum ratio magis pertinet ad aſperitatem ſuauitatemque uocum, quam ad tarditatem, fluxumque & modulationem orationis, in qua potiſſimum ſpectatur numerus.

In orat.

In orat.

Decimaquarta poſitio, ad numeroſæ orationis perfectionem, non parum confert litera-

rum,

rum, ſyllabarumq; obſeruatio earúmque non ingratus ſonus. Nam, cum numerus ex pedibus fiat, & ex numeris oratorijs ſonus quidā, profecto concinna, & elegans uerborum & literarum compoſitio ſonum illum ex numeris natum multo iucundiorem reddet. Non itaque in tota numeri oratorij laude, quæ permagna eſt, literarum ſonos primas, ſed ſecundas habere exiſtimandum eſt. Fugiet ergo qui uoluerit cum laude numeroſe dicere, literarum concurſionem, duram, aſperam, & hiātem, ſimilium uocum, & ſyllabarum frequentam, & ea ſeruabit, quæ ſupra de verborum bonitate agentes ſeruanda eſſe docuimus.

Decimaquincta poſitio, quamuis tota hæc de numeri oratorij præceptio difficilis videatur: tamen multa ſunt, quæ eam faciliorem reddunt, quam quis fortaſſe exiſtimaret. Primum, ſi tandem quid ſit numeroſe dicere intelligatur: in quo id potiſſimum requiritur; Cicer. in orat. *ut omnis nec claudicans, nec quaſi fluctuans, ſed æqualiter cōſtanterque ingrediatur oratio: ſed id propoſitum habeatur, ne immoderata, aut anguſta, aut diſſoluta, fluenſque ſit. Si quis animaduertet, neceſſarium non eſſe* Cic. lib. 3. de orat. *ut uel pedes numeremus: aut ſyllabas metiamur, cum hæc non ſint rhytmicorum ac muſicorum acerrima norma dirigenda, ſed ſatis*

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, ſi dabitur opera, ne fluat oratio, ne vagetur, ne inſiſtat interius, nec excurrat longius, ut membris diſtinguatur, ut conuerſiones habeat abſolutas: ſi denique quoſdam meliores & deteriores pedes cognitos habere, ſatis eſſe exiſtimabimus: ut illos liberius adhibeamus, hos uero ut uitemus, quando alijs ſine ulla culpa uti licet. Neque vero hęc tam acrem curam, diligentiamque deſiderant, quam eſt illa poetarum, quos neceſſitas cogit, & ipſi numeri ac modi, ſic uerba verſu includere, ut nihil ſit nec ſpiritu quidem minimo breuius, aut longius quam neceſſe eſt. Liberior eſt oratio, & plane, vt dicitur, ſic eſt uere ſoluta: non vt fugiat tamen, aut erret; ſed ut ſine vinculis ſibi ipſa moderetur. Deinde ſi quædam vitia vitentur, vt eiuſdem pedis repetitio, inanium complementa verborum, quibus orationis expleantur rimæ: eorundem violenta traiectio: poetarum numerus, & maxime in clauſulis: ſi non vno eodemque modo ſemper oratio concludatur eodemque numerorum genere ſine commutatione dicatur: ſi quis det operam ne minutis numeris concidat, delumbetque ſententias. Præterea, ſi quæ Antonius hac de re apud Ciceronem diſputando dixit vera eßе cenſebimus. Non eſt res tam difficilis, quam neceſſaria. Nihil eſt enim Li. 3. orat. Lib. 3. de orat.

tam

tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile ſequatur, quocunque ducas, quam oratio. Ex hac verſus, ex eadem diſpares numeri conficiuntur: ex hac etiam ſoluta varijs modis, multorumque generum oratio. Si quis itaque uerborum copia non laborabit, uariandæque orationis doctrinam non ignorabit, facile explebit, concludetque ſententiam. Ad hæc, verborum compoſitio, & quæ de ea faciles traduntur prçceptiones, atque etiam cõcinnitas, & figurarum quarundam vſus multum ad numeroſam orationem conficiendam, vt ſupra docuimus, conferunt, licet in his non ſint omnia. Paribus itaque paria adiuncta, & ſimiliter definita, itemque contrarijs contraria relata, ſua ſponte, etiamſi id non agas, cadunt plerumque numeroſe. Ordo enim verborum, ait Tullius, efficit numerum ſine ulla aperta oratoris induſtria. Itaque ſi quæ ueteres illi, (Herodotum dico & Thucydidẽ totamque eam ætatem) apte numeroſeqne dixerunt, ea numero non quæſito, ſed verborum collocatione ceciderunt. Formæ vero quædam ſunt orationis, in quibus ea concinnitas ineſt, vt ſequatur numerus neceßario. Nam, aut cum par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quæ ſimiliter cadunt uerba, uerbis comparantur, quidquid ita

In orat.

con-

concluditur, plerumque fit, ut numeroſe cadat. Iam vero aurium iudicium, ut multis in locis docet Cicero, & frequens bonorum auctorum lectio, ad numeroſe ſcribendum conferunt. Denique, nihil eſt adeo difficile, quod exercitatione & ſtylo non reddatur facile, modo adſit ſtudium & amor cognoſcendi, qui omnia factu facilia reddit. Nam, ſi ui exercitationis inuenti ſunt, qui verſus ex templo fundant, in quibus pedes numerandi, & ſyllabæ metiendæ ſunt: quanto magis quiſpiam, adhibita dicendi ſcribendive conſuetudine, numeroſam conficiet orationem, quæ nec certo pedum genere, nec numero eſt cõſtricta? Quod ſi qui in re pulcherrima ſumetur labor, ſi quæ ſuſcipietur moleſtia, compenſabit laborem utilitas, & delectatio moleſtiam. Nemo igitur eloquendi cupidus eum in cognoſcendo numero recuſet laborem, quem in eo obſeruando & tradendo uiri grauiſſimi non recuſarunt. Cypr.

Decimaſexta poſitio, in oratoria dictione non eſt dandus primus locus numero, ita ut ſit melius numeroſe, quam ſententioſe dicere. Doctrina eſt Hermogenis, qui id cõtra quoſdã aliter ſentientes affirmauit: quam hæc luculenta M. Tullij confirmat auctoritas. Nec ego id quod deeſt antiquitati, flagito potius, quam laudo, quod eſt: præſertim cum ea maiora indi- In ora.

ctem,quę ſunt,quam illa, quæ deſunt: plus eſt enim in ſententijs boni, quibus illi excellunt, quam in concluſione ſententiarum, quam non habent. Vt autem huic diſputationi de numero finem faciam, placet hoc loco breuiter ob oculos quodã ordine proponere omnes de numero quæſtiones, quas hactenus attigimus, et quę fieri poſſunt, quæ ſunt fere iſtæ. Quid numerus ſignificet: an ſit numerus: in quo ſit: quotuplex ſit: quod eius genus: quæ eius forma & ratio: quę cauſſa efficiens: & a quibus, & quando inuentus: qui finis, & cur inuentus: qui effectus & proprietates: quando ſit utendum: quo modo & ubi uendum. Quas omnes fere quæſtiones a M. Tullio in Oratore tractatas inuenies, ſed non eodem ordine. Ad quas nunc breuiter reſponderem, niſi per ea quæ dicta ſunt, facile explicari poßent, & quæ dicenda reſtant, ad ſe non uocarent. Hæc igitur de ſecunda Elocutionis parte, quæ in uerborum coagmentatione, collocationeque, & numero uerſatur, dixiſſe ſuffificiat.

Libri Secundi finis.

DE

DE ELOCVTIONE ORATORIA,

Liber Tertius:

IN QVO DE IDEIS ET de decoro orationis agitur.

An ad Rhetorem pertineat agere de ideis, & quæ ſit ideæ natura. Diſputatio I.

EORVM *artificum, qui recta cum ratione aliquod maioris momenti atq; induſtriæ moliuntur opus, inuenies nullum, qui eius quod facere, & aliorum iudicio ſubijcere vult, quoddam prius exemplar, uel mente concipiat, uel re, ſaltem ruditer, non effingat, quod intuendo, id poſtea abſolutum atque perfectum reddat, quod ſibi faciendum propoſuit. Hanc recte agendi rationem architecti, hanc pictores, hanc ſculptores, hanc auri-*

aurifices, hanc denique fabros fere omnes ob ſeruare, nemo eſt qui ignoret. Vt hic omittam, quod nec ipſe ſummus rerum omnium fabricator, quicquam ſine exemplaribus ab omni ęternitate a ſe cognitis atque formatis molitur, & efficit. Quod ſi ulla humana ars ulla indiget ad bene agendum idea, ea profecto, quæ uarias humanæ mẽtis ſententias & quaſi formas, uarijs omnino uerbis hominum ſenſibus accommodatis, debet exprimere, ut eſt dicendi facultas; quæ orationem mentis interpretem in tot formas commutare debet, quot ſunt res de quibus agit, & ij apud quos aliquã do ſermo haberi poteſt. Hinc factum eſt, vt perfecti dicendi Magiſtri, quaſdam excogitauerint ac tradiderint orationis formas, ſiue ideas, ab ijs qui in dicendo uerſari uolunt, omnino cognoſcendas atque intuendas, ſi recta cum ratione, ſint dicturi: de quibus formis hoc libro, Hermogenis doctrinam potiſſimum explicando, hoc ordine diſputaturi ſumus. Primum de nomine naturaque idearum agemus: deinde, de earum cauſſis: poſtea de numero, & uarietate: poſtremo de ſingulis ſpeciatim, quibus diſputationes quaſdam ad eandem rem pertinẽtes de orationis decoro ſubiiciemus. Quod ergo ad primum attinet, ut rem omnem diligentius examinemus, quaſdam proponam rationes,

nes, quibus harum idearum cognitionem inutilem, aut non neceſſariam eſſe demonſtrabo.

Primum, ſine iſtarum idearum notitia optimi exſtitere Oratores, ut Iſocrates, Demoſthenes, M. Tullius, & alii pene, tum apud Græcos, tum apud Latinos innumeri: igitur iſta notitia ad bonam Oratorem formandum neceſſaria non erit: cum hi omnes ante Hermogenem idearum, ut putatur, inuentorem floruerint: & poſt eius ætatem alii fuerunt, & nunc etiã ſunt, qui optime dicunt, & tamen iſtas ideas uiderunt nunquam. Deinde, ideæ ſunt rerum diuerſarum formæ, ad quarum ſimilitudinem uariæ res ab artifice efficiuntur: at per iſtas ideas, non fiunt diuerſę orationes, ſed una & eadem oratio: immo in una & eadem orationis parte plures commiſcentur formę: non habent igitur ueram ideæ rationem, ac proinde non erunt ad orationem conficiendam neceſſariæ. Poſtea, ideæ non ſumuntur a rebus ipſis, ex quibus artifex quippiam efficit, ſed mente ab artifice concipiuntur: atqui ideæ iſtæ oratoriæ ſumuntur a rebus ipſis, nimirum a materia graui, mediocri, & humili, quæ explicanda ſuſcipitur: non habent ergo ueram ideæ rationem; quocirca nullus erit earum uſus. Præterea, idea eſt forma quædam ſimplex, ut eſt idea domus, quam in animo architectus habet;

at iſtæ ideę Hermogenis ex uarijs conficiuntur rebus, ut ex ſententijs, methodo, figuris, numero alijſque: male igitur appellantur ideæ. Denique, ideæ nihil aliud ſunt, quam formæ & ſpecies orationis, de quibus agere non ad Oratorem, ſed ad Grammaticum, uel ad Dialecticum pertinet: male igitur hanc tractationem ſibi Rhetor adſciuit.

In hac diſputatione quas afferam opiniones nullas habeo; cum quod examinandũ propoſui, quod ſciam, tractauerit nemo: eſſe tamẽ poßunt, quoniam multi ſibi facile perſuaderent nullam eſſe idearum cognoſcendarum neceſſitatem; quam nos, earum naturam ac uim quibuſdam fundamentis explicando, demonſtrare conabimur.

Primum fundamentum, oratio eſt ueluti quoddam Oratoris opus, quod ex rebus & uerbis conficitur. Verborum autem duplex eſt

Cic. in part.

conſideratio; altera ſimplicium, de quibus in primo diſputauimus libro; altera coniunctorũ, de quibus in ſecundo. Et cum nemo poſſit idonee & apte orationem conſtruere, niſi eius formam, ſiue ideam cognitam habuerit; propterea, hoc tertio libro, de ideis nobis agendum fuit. Et quoniam quid ſit orationis idea recte explicari nequit, niſi quid ſit oratio manifeſtetur, idcirco hoc primo fundamento,

damento, id paucis præſtabimus. Oratio igitur, ut a nominis definitione auſpicemur, dicta eſt, quaſi oris ratio: cum oratio, ſit quodammodo ipſa ratio, ut eſt in ore, quo noſtram intelligẽtiam, & rationem intimam explicamus. Quo fit, ut multo commodius Latini, Orationem, quam græci λόγον *dixerint, ſi uitium ſermonis eſt ambiguitas. Nam, præter illas tres, quas Plato, iſtius uocis ſignificationes attulit, multas alias, ex humanis, & diuinis literis adnotare liceret. Quod uero ad rei finitionem attinet, miſſis uarijs deſcriptionibus, quas, uel Grammatici, uel Dialectici afferũt, breuiter & ad rem noſtram accommodate diceres, Orationem eſſe ſonum articulatum, ex hominum voluntate aliquid ſignificantẽ; quo intimum animi ſenſum, tacitamque cogitationem patefacimus. Hanc orationis deſcriptionem idoneam eſſe pluribus uerbis demonſtrare poſſem, ſed hac in re immorari nolo. Vel breuius dicas, oratio eſt animi index, & internuntius. Huc pertinet illud Iuuenci Hiſpani carnem,*

Laur. Pal.

In Theęt.

Carm. in Euang.

Sed tibi claudetur rapidæ uox nuncia
mentis.

In qua tractanda qui olim uerſabantur, apud Græcos, ſapientes, apud Hebræos ſcribę nuncupabantur: quorum munus erat, apud po-

pulum dicere, in iudicijs diſceptare, & res geſtas memoriæ tradere, conſilia dare, oracula interpretari, mores docere, atque de rerum natura diſſerere. Quamuis antiquitus omnes dicendi artifices poetæ nominarentur: qui idem erant, qui philoſophi, & Theologi. Poſtea vero quam inter rerum cognitionem & uerborum doctrinam factum eſt diuortium, ſapientis nomen, qui res ipſas tractant, retinuerunt: qui dicendi artificium ſunt ſecuti, à dicendo, Rhetoris nomen ſumpſerunt. Quattuor itaq; artifices in oratione tractanda nũc verſantur: Grammaticus, Rhetor, Poeta, & Dialecticus; ſed non una eademque ratione. Grammaticus orationem conſiderat, ut per eã ſimpliciter animi ſenſa, cum quadam uerborũ congruentia explicantur: Dialecticus, ut eſt inſtrumentum ad exponendam ueritatem & falſitatem: quo fit, ut orationem enunciatiuam, ſeu indicatiuam potiſſimum conſideret: Rhetor vero, eandem tractat, ut per eam omnes intelligentiæ cogitationes, atque affectus omnes ad perſuadendum accommodate exprimuntur: Poeta denique orationẽ numeris cõſtrictam, explicandam ſuſcepit, quà non ſolũ res veræ, & mores, ſed etiam fictæ & minime credibiles priuatim delectationis cauſſa exponit. Ex quibus intelligi licet, cur hæ artes

Plut.

Cic. lib. 2. de orat.

Cic. in or.

uarie

uarie orationẽ definiant & diuidant, variaſq; eius formas conſiderent. Nos miſſis alijs, rhetoricæ orationis formas, ſiue ideas explicaturi ſumus, quarum naturam paullo poſt patefacere conabimur.

Secundum fundamentum, cum de orationis ideis diſputaturus ſim, quæ Phyſici, & diuini Philoſophi, de earum ui atque natura diſputare conſueuere, ea miſsa faciam, cum eorum cognitio ad rem noſtram parum conferre poſſit. Cæterum, & ut allata argumenta ſolui, & quæ de oratorijs ideis dicturi ſumus facilius intelligi poſſint, nonnihil de ideæ natura uniuerſe dicam. Ideæ igitur nomen, ut hinc exordium ſumam, græcum eſt, ductum ἀπὸ τοῦ εἰδεῖν *.i. a uidendo, ſeu ſpectando, quod is qui aliquid per ideam efficit, eam ſpectare debeat. Quod Grȩci ideam uocant, Latini formam, ſpeciem, & M. Varro, exemplar appellat. Solet etiam ab illis,* λόγος, *& a nobis ratio, nominari, ſed non ita proprie: quãuis, ut diuus Auguſtinus ſcribit, ſi hoc nomine vtemur, non errabimus. Denique, Euſtratius, exemplaria, rationes, formas, ſpecies, notas, ac præſignationes, in quas opifex reſpicit vocari poſſe exiſtimauit. Et quamuis Plato hoc nomine primo vſus fuerit; tamen ante eius ætatem res ipſa erat. Et ut Iuſtinus Martyr*

Lud. Viu. in com. li. 7. c. 28. de de ciuit. Dei.

Lib. 83. 99 q. 46.

In cap. 6. primi eth. & Cic. In orat.

In admo. Fran. Patr. lib. 12.

tyr ſcriptum reliquit, ex Moyſis libris occaſionem ſumpſit Plato ad diſputandum de ideis. Quid autem ſit idea uarijs modis explicari ſolet, tu ita deſcriberes, Idea eſt forma extra rem exiſtens, ad cuius ſimilitudinem agens per intellectum per ſe efficit aliquid. Dicitur, forma, hoc eſt exemplar, quod eſt extra rem effectam: quare idea domus non eſt illa forma, quæ eſt in domo, ſed illa quam in ſe finxit, & in mente habet architectus. Dicitur, ad cuius ſimilitudinem, ut oſtendatur cauſſa, cur ponãtur ideæ; quæ eſt, ut ſint ratio, & regula efficiendi aliquid ad ipſius ſimilitudinẽ: nõ enim quæcunque forma extra rem exiſtens eſt eius exemplar, ſed illa ad cuius ſimilitudinem res eſt effecta. Dicitur, agens per intellectum, quia ſolum quæ intelligentia utũtur, ne temere agant, rerum agendarum formas prænoſcunt. Quare, licet cętera agentia producant res ſuæ formæ ſimiles: tamen non dicuntur agere per ideas, nec earum forma idea uocatur, ut cum ignis, ignem producit. Dicitur per ſe, quia, ſi caſu quicquam ad alterius ſimilitudinem fingeretur, ut accidit pictori illi, qui fortuito ſpumam in ore equi expreſſit, quam arte non poterat exprimere, non diceretur factum per ideam. Idearum, aliæ ſunt diuinę, & æternæ, ut illæ quas omnium rerum opifex Deus ſua intel-

Val. Max. lib. 8. c. 12

intelligentia ab omni æternitate formauit; de quibus a Theologis multa diſputantur: aliæ humanę, quæ in humanis mentibus reperiun- D. Tho. p.p.q.15.
tur. Harum, aliæ ſunt rerum, aliæ orationum: illæ in rerum artificibus, vt ſunt architecti, pictores, ſculptores, reperiuntur: hę uero in ijs, qui in ſermone uerſantur; & prẹſertim in Oratoribus, qui orationem ornatam, & uarijs formis notatam efficiunt; quarum natura ſequenti fundamento paucis exponemus.

Tertium fundamentum, illæ dicendi formę ad quarum ſimilitudinem Oratores ſuas conficiunt orationes, his fere nominibus uocantur; a Græcis τὰ εἴδη λόγου. ideſt ſpecies orationis, ita Ariſtoteles: ἰδέαι .i. formę ſeu ſpecies, ita Hermogenes, σχῆμάτα, ideſt figuræ, & χαρακτῆρες. ideſt notę: a Latinis, qui & græcis utuntur vocibus, dicendi genera, formæ, ſtyli, uirtutes, figuræ, & ſpecies; nos fere ſemper, ideas appellabimus. Idea oratoria his modis deſcribi ſolet. Idea eſt dicendi, ſeu orationis forma quędam atque figura: vel hoc modo, Idea, ſeu orationis genus, eſt forma, ſiue ſpecies dicendi, rei qua de agitur, perſimilis: Hermog.
vel hoc pacto, Idea, eſt genus orationis, ſen- Dan. Bar. Trap.
tentia, methodo, uerbis, compoſitione, rebus ſubiectis & perſonis accommodatum: Quę deſcriptio datur per partes ex quibus idea com-

ponitur,

ponitur, ut dicetur poſtea. Alijs hoc pacto de-
Sebaſt. Reg. in 1. orato. in Ver. *finire placuit, Idea eſt orationis qualitas, ex natura rerum de quibus loquimur naſcens, quę ex aff ctibus, & figuris uerborum, ac ſententiarum manat. Vt in his carminibus, in quibus aſperæ orationis cernitur forma:*

Virg. lib. 4. Aene. Nec te diua parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens.
Caucaſus, &c.

Vel, idea eſt rebus & perſonis conueniens orationis ſpecies, & figura. Vt enim animalia, reſque naturales ſuis formis dignoſcũtur; ita dicendi genera ſuis. Lul. *Alij denique hoc deſcripſerunt modo, Idea eſt cogitata forma ſermonis, ad quam imitando referimus noſtri ſermonis qualitatem. Vt cum a turbato homine, omnia tumultuarie, & imperfecte proferantur, Irati ſermonem referens Poeta, dixit,*

Virg. lib. 1. Aen. Tanta ne vos generis tenuit fiducia veſtri?
Quos ego.

In his definitionibus explicandis immorari nolo; quæ tamen ſequentibus diſputationibus omnino maniſeſtæ fient. his iactis fundamentis, has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, dantur aliquæ orationis ideæ,

ideæ, ſiue dicendi formæ, quas qui perfectam uult conficere orationem, ſpectare debet. Hanc doctrinam Rhetorum negaret nemo: cum omnes quaſdam orationis formas, ſiue characteres, licet alij plures, alij pauciores notauerint: & in ipſis ſcriptoribus uarias dicendi rationes re uera adnotare licet. Verum hæc poſitio, ex ſequentibus diſputationibus multo manifeſtior fiet.

Secunda poſitio, idearum orationis cognitio eſt omnino utilis, & ad perfectam orationem conficiendam etiam neceſſaria. Doctrina eſt Hermogenis, quam his confirmo rationibus. Primum a ſimili de alijs artificibus, qui ſi cum ratione, & ſine errore aliquid efficere uolunt: antequam quicquam agant, rei faciendæ animo concipiunt Ideam; idem igitur faciet Orator; quod non poterit, niſi orationis Ideas cognouerit. Deinde, dantur hæ dicendi formæ, ut eſt probatum, quę dicendo exprimendæ ſunt: quod, qua ratione faciet qui eas cognitas non habuerit? Præterea, ea ars debet rei faciendæ formare Ideas, eaſque cognoſcere, quę opus maxime uarium, & quaſi uarijs caracteribus notatum efficit: atqui talis eſt oratoria facultas, cui pro rerum ac perſonarum uarietate, ſermo in uarias formas mutandus eſt: igitur.

Tertia poſitio, oratorię ideæ, hoc pacto de-

ſcribi

ſcribi poßunt, Ideæ ſunt rationes, ſiue formæ in mente Oratoris exiſtentes, ad quarum ſimilitudinem abſolutam, & ad perſuadendum idoneam efficit orationem. Quę deſcriptio licet ex dictis nota ſit; tamen, illud adnotauerim, in eo differre Oratoris ideas ab aliorum artificuum ideis, quod alij artifices unã formãt unius rei ideã: at uero Orator, ut unã perfectam faciat orationem, plures concipit ideas. Huius diſcriminis ratio eſt ea, quod oratoria dictio, ob multas rationes uarias debet ſuſcipere formas, ex quarum tamen apta conſtitutione, una perfecta extat oratio.

Quarta poſitio, agere de ideis orationis pertinet ad Rhetorem. Nanque, alij artifices, qui orationem conſiderant, non uidentur in ea aliquas formas ſpectare. Quod ſi obijcias de Poeta, qui ſuos habet dicendi characteres; dicerẽ, ad ipſum quoque ſpectare, quod mirum uideri non debet, cum eadem de re diuerſę, diuerſa tamen ratione, artes diſputare ſoleant. Et ſane, poeticę ideæ ab oratorijs non nihil differre, ſicuti & cum eiſdem conuenire fatendum eſt.

Quincta poſitio, idearum orationis tractatio eſt ualde difficilis. Primum, quia pauci, & pauca hac de re ſcripſerunt, & qui latius ſcripſit Hermogenes, non ſatis perſpicue. Deinde, quia qui citatum auctorem ſunt ſecuti, in eius do-

doctrina exponenda in multis non conſentiũt. Præterea, difficilis eſt hæc tractatio ob uarietatem eorum, quę ad quamcumque ideam cõficiendam requiruntur, ut poſtea patebit. Denique, hanc poſitionem hæc Tullij confirmat ſententia, Sed in omni re difficillimum eſt formam exponere optimi: quod aliud alijs uidetur optimum. Reſtat ut rationes ſoluamus. In orat.

Ad primam, negamus illos Oratores non habuiſſe idearum cognitionem; cum in eorum ſcriptis eas obſeruare liceat: neque Hermogenes fuit primus inuentor, ut infra dicetur. Qui eas ignorant, ex quodam uſu & imitatione bonorum ſcriptorum bene, aut minus male dicunt, & eorum quæ dicunt rationem ignorãt. Ad ſecundam, patet ex dictis in tertia poſitione. Ad tertiam, fatemur ideas habere originem a rebus, de quibus eſt dicendum; ut habent etiam omnes humanæ ideę, cum ars debeat imitari naturam: uerum ad res de quibus eſt dicendum, apte & ſcienter explicandas Orator ſuas ſibi format ideas. Ad quartam, concedimus oratorias ideas, ex pluribus conflari: nec propterea idearum rationem amittũt cum ſint rationes recte efficiendi aliquid. Adde etiam quod humanæ ideæ non ſunt omnino ſimplices. Ad quinctam, ex quarta patet poſitione: neque enim Dialecticus conſiderat Ariſt.

ora-

orationis formas, ut ſunt rationes efficiendi: idem dicas de Grammatico; ad quem tamen unam uel alteram ideam oratoriam aliquo modo ſpectare, qui concederet, non erraret.

De idearum numero. Diſp. II.

CVM ſermo hominum generi a natura tributus, ſit humanæ intelligentiæ interpres, quæ partim res ipſas concipit, partim a rebus perceptis aliqua ratione afficitur, & rerum ipſarum maxima ſit uarietas; hinc neceſſario conficitur, ut humanæ orationis non una eademque debeat eſſe forma. Id uerum eſſe, non ſolum communis docet Rhetorum ſententia, ſed etiam ipſa experientia commonſtrat. Videmus enim eiuſdem loquentis hominis ſermonem ſeſe in varias, pro rerum atque affectuum varietate, formas conuertere: quæ ornatam orationem facere, aut præcepta de ea efficienda tradere uolenti prius cognoſcendæ ſunt. Quare, cum hactenus ideæ naturam, eam deſcribendo, patefecerim, nunc quæ & quot ſint idearum genera mihi explicandum eſt: cum hac de re non parua ſit apud ſcriptores dubitatio, quam hæ rationes augere poſſunt.

Pri-

Primũ, Idea nihil aliud eſt, quàm ſtylus ratioq; dicendi, & quędam orationis qualitas; quę pro hominum uarietate, uaria omnino ac diuerſa eſt: unde alij graues, alij humiles, alij ardentes alij remiſſi, alij ſuaues, alij aſperi, alij illuſtres, alij parum compti, alij denique perſpicui, alij obſcuri ſunt. Demoſthenes lacertoſus, Marcus Tullius floridus, Plato & Liuius dilatati, Salluſtius et Florus conciſi, Cęſar nitidus, Plinius ſecundus turbulentus: & vt breui concludam, non ſolum pro regionum, ſed etiam pro locorum, immo etiam pro diuerſorum hominum uarietate, uarij ſunt ſtyli, & diuerſæ dicendi formę: unde alia Attica, alia Laconica, alia Aſiatica eſſe dicitur oratio: nullus igitur certus earum numerus aſſignari poteſt. Deinde, ideæ nihil aliud ſunt, quam, ut dicebam, orationis qualitates; quę nullo certo numero continentur: nam, alius eſt ſermo honeſtus, alius ſpurcus, alius pius, alius liberalis, alius arrogans, alius ſcurrilis, & harum ſimiles ſexcentas alias numerares formas: igitur cum innumerabiles ſint, ut ait Antonius, dicendi formæ, nulla certa doctrina comprehendi poterunt. Lib. 3. or. *Præterea, linguarum dialecti & idiotiſmi, ſunt omnino uarij atque diuerſi; qui nihil aliud eſſe uidentur, quam quædam loquendi ideę & characteres; ut pa-*

Tt tet

tet in lingua Græca, in qua multi notãtur dialecti, ut in noſtra Italica, in qua Apuli, Calabri, Campani, Vmb. ., Ligures, & reliqui eiuſdem regionis populi ſuos habent idiotiſmos, ſiue dialectos : nullus ergo eſſe poteſt certus idearum numerus. Poſtremo, qui de ideis aliquid ſcripſerunt, uarie omnino de earũ numero ſentiunt, cum aliĳ plura, aliĳ pauciora genera eſſe dicant, non poterit igitur certus idearũ aſſignari numerus. De re propoſita hæ ſunt ſcriptorum ſententiæ.

Prima eorum, qui, vt ſcribit Demetrius, duas formas, ſiue notas orationis ponebant, tenuem, & magnificam, quæ opinio nullos habuit defenſores: & quod ſciam, nemo eſt, qui nunc eam ſequatur.

Secunda aliorum, qui tria dicendi genera numerarunt, Amplum, quod & ſublime grãde, & exaggeratum dicitur: modicum, ſiue medium & temperatum: tenue ſeu humile, & ſubtile, atque acutum: Primum in Rabiniana, & Corneliana agnoſceres: ſecundum in Pompeiana, tertium, in cauſſa Cæcinnæ & Quintĳ, ubi tranquille, definite, & ſtricte dicit Orator. Primum, Virgilius expreſſit in Aeneidis, ſecundum in Georgicis, tertium in Bucolicis. Hunc uumerum non uno in loco indicauit Cicero, quẽ aliĳ ſequũtur.

Tertia

Tertia aliorum, qui quattuor eſſe putarunt orationis notas, ſiue characteres; tenuem, magnificam, ornatam, & grauem, quibus opponũtur totidem uitioſæ notæ, arida, frigida, male affectata, & inuenuſta. Hunc eundem numerũ apud Tullium admiſit L. Craßus, ſed tamen alio modo. Quattuor enim facit dicendi formas, puritatem, perſpicuitatem, ornatum, & decorum; & eum diſertum eſſe putat, qui pure, perſpicue, ornate, atque cum decoro dicere poſſit: ut bonus Orator ſit purus, perſpicuus, aptus ſiue ornatus, & grauis, ſeu decorus. Lib. 3. de orat.

Quarta aliorum, qui ad quinque genera omnes dicendi formas reuocant, ut Cicero in partitionibus; quæ ſunt, dilucidum, breue, probabile, ſuaue, & Illuſtre.

Quincta Hermogenis, *qui ſeptem excogitauit orationis ideas, quæ ſunt, Perſpicuitas ſiue claritas, amplitudo, ſiue magnitudo, pulchritudo, uelocitas, ſiue celeritas, uel ut alij traducunt, toruitas & contentio; mores ſeu morata oratio, ueritas, grauitas ſeu decorum, ſiue ornata, apta & eloquens oratio: harum aliquæ alias ſub ſe ſpecies habent, vt dicetur poſtea.*

Septima aliorum, qui ſex faciunt ideas, nec ab Hermogenis ſententia ſe recedere arbitrantur. Excludunt itaque ab eo numero ultimum genus, quod graue ſiue decorum dicitur,

cum hoc ex aliјs formis cõſtetur, ſitq; genus di cẽdi abſolutum, in oratione Socratis apud Pla tonem deſignatum. Hermogenes autem ſeptẽ numerauit ideas, tum ob numeri perfectionem, tum quod ſeptem perſonæ in illo Platonis conuiuio ſymbola in Amoris laudem contulerint. In oratione igitur Socratis, tanquam in oratio ne perfecta, ſex cernũtur dicendi uirtutes, quas aliј ſigillatim uidentur conſectari uoluiſſe.

Robort. *Non me latet quendam modernum ſcriptorem quaſdam dicendi formas excogitaſſe, ſed quam bene uiderint aliј. Quidam inter illam diuiſionem quæ tres facit ſpecies, & illam quæ quattuor, ex Cicerone ſumptam, & illam, quã Hermogenes excogitauit, hoc diſcriminis poſuit: prima orationis modos, ſecunda habitus, tertia formas continet: Sed quid ſibi iſte uoluerit, clarius debuiſſet exponere. Nos quid in hac opinionum uarietate probabiliter defendi poſſit, quibuſdam poſitionibus aperiemus.*

Prima poſitio, uaria in humana oratione diſtinguenda ſunt dicendi genera. Doctrina eſt per ſe manifeſta, quam & communis Rhetorũ confirmat ſententia, & experientia etiam ipſa corroborat: & ea quæ hactenus de ideæ natura diſputata ſunt demonſtrant.

Secunda poſitio, dicendi formæ ex genere rerum, & perſonarum quæ ſermone utun-

tur,

tur, ſumendæ ſunt. Si res ipſæ ſolæ ſpectentur, ea admitti poteſt diuiſio, quæ tria facit orationis genera, ſublime, attenuatum, & temperatum: Si uero perſonæ, una cum Hermogene, quattuor faceres genera, Politicum ſiue oratorium, Philoſophicum ſiue dialecticum, hiſtoricum, et poeticũ, Hi enim artifices uario utuntur ſermonis genere: quod etiam non uno in loco affirmauit Tullius; de quibus nos etiam non nihil infra ſuo loco dicemus. Cum itaque rerum, ſiue ſententiarum, aliæ ſint familiares, & tenues, alię ſublimes & graues, aliæ uero moderatę, & quaſi mediæ, conuenienter tria conſtituuntur dicendi genera. Vt.n. in humanis corporibus alia uidemus gracilia & extenuata, alia craſſa, adipea, & ſucci plena, alia in mediocritate quadam conſtituta, ſic in oratione eandem obſeruares uarietatem; ita ut alia humilis, alia ampla, alia temperata dicatur oratio.

Tertia poſitio, præter hæc tria genera, in oratione agnoſcendæ ſunt aliæ quaſi formæ & ſpecies, quas priuatim ideas uocamus. Primũ patet hæc poſitio ex communiore ſententia, quæ plures ſtatuit orationis characteres, & notas, ut ex allatis opinionibus cognoſcere licet: & poſt Hermogenem, qui hac de re ſcripſerunt, plures cum ipſo faciunt ideas. Deinde,

quoniam illa priora genera non ſunt perfecta neque abſoluta niſi alijs perficiantur ac conformentur ideis, ut ex ijs, quæ ſcripturi ſumus planum fiet.

Quarta poſitio, orationis ideas eſſe numero ſemptem conuenienter affirmari poteſt. Primum, ex communiore opinione eorum, qui Hermogenis doctrinam explanantes, eundem numerum retinuerunt: ut Trapezuntius, Barbarus, Regulus, & alij. Deinde ex congruẽti ratione, quę de hoc numero reddi poteſt. Nã cum oratio ſit mentis interpres, ut ſuo fungatur officio, primum debet eſſe clara & perſpicua, alioquin non intelligeretur: idcirco Ariſtoteles hanc præcipuam orationis ἀρετὴν, *ideſt uirtutem uocauit: quæ in omni dicendi genere, tanquam lux quędam adhibenda eſt. Deinde, ut oratio appareat, & aures impleat, ſuam habere debet magnitudinem; ut nec nimis minuta & conciſa, aut exundans uideatur. Cum autem per claritatem & magnitudinem apparuerit, ſua etiam pulchritudine debet eſſe decorata. Etenim quæ magna ſunt, ſi ſuo decore priuentur, deteriora, ſi uero ornata ſint præſtãtiora ſunt. Vbi formoſa extiterit, non debet eſſe tarda, ſed mobilis, & ideo celeritate moderata, non effoeminata & molli, ſed uirili, incedat oportet: ita ut ſuas ingreſſiones, progreſſiones*

Lib. 3. Rhet.

nes

nes, & ſtationes habeat. Hinc eſt quod oratio flumini comparari ſolet; aquæ uidelicet, non ſtagnoſę, ſed perpetuo fluenti: & quemadmodum homo non ſolum extare, & ſuam magnitudinem, pulchritudinem, motumque habere debet, ſed etiam ſuos mores, ita ut bene moratus appareat, ita etiam non ſatis eſt orationē eſſe apertam, magnam, pulchram, celeremque, ſed & ſapientiæ, & prudentiæ, & conſtantiæ, aliorumque morum ſignificationes dare neceſſe eſt; ut uim ad conciliandum, probandum, auctoritatemque ad improbandum habeat. Ad hæc munera præſtāda eget ueritate; ut ueri ſint mores, uera laudatio, vera vituperatio, vera denique cuncta. Poſtremo, cum quę dicta ſunt omnia, debeant apte, & eloquenter dici, poſtrema oritur virtus, quæ in recto omnium eorum quæ dicta ſunt conſiſtit vſu; ita vt ſit aptus & eloquens ſermo.

Quincta poſitio, hæ ſeptem orationis ideæ inter ſe differunt, ea ſcilicet de re, quod varias ob cauſſas in oratione adhibentur. Perſpicuitas intelligentiæ gratia, vt quod dicitur bene percipiatur: magnitudo, vt oratio appareat, & aures impleat: pulchritudo voluptatis cauſa; cum quæ pulchra ſunt animum oblectare ſoleant: celeritas, ſeu mobilitas ad vitandum faſtidium; ne orationis curſus impediatur, &

ut ſuis in locis inſiſtat: mores ad conciliandũ, referuntur; dum noſtra commendamus, & aduerſariorum ſtudia uituperamus: ueritas probandi, ac perſuadendi cauſſa: denique decorũ, ſiue apta, & accommodata ad rem ipſam oratio, ut honeſte, et idonee excitemus animos, pro rerum & perſonarum natura; ita vt vbique ſuum munus expleat Orator. Differunt etiam, quod hæc poſtrema virtus tantum in perfecto & eloquente Oratore reperitur, qui non ſolum docet, ſed etiam perſuadet, & mouet: aliæ uero etiam in diſerto eſſe poſſunt: vnde multi ſunt diſerti, cum alij ſint, puri, alij floridi, alij, magni, alij acres, ſed eloquentes, vel Oratores pauci.

Sexta poſitio, non eſt improbabile, ſi quis dicat, ſex tantum eſſe orationis ideas, ita ut ultima non ſit noua forma, ſed ſolum rectus et idoneus aliarum formarum vſus. Huius numeri hæc poſſet aſſignari ratio; ſuppoſita hac Ariſtotelis doctrina, quæcunque dicimus ſpectari poſſe, uel in τῷ λόγῳ ideſt in ratione: uel in quodam affectu, ſeu diſpoſitione, ſeu expreſſione ſignificatione eius ſenſus qui eſt in animo dicentis: uel in mouendo, & afficiendo aliquo pacto ipſo auditore. Afficitur autem auditor, vel credendo, vel amando, uel abhorrendo: neque enim facile in aliquem affectum ducitur,

niſi

niſi vera eſſe credat quæ audit: quo ſit, ut oratio neceſſario debeat eſſe uera & affecta. Hac poſita doctrina, allati numeri congruentia ſic demonſtratur. Omnium prima orationis uirtus, omnium iudicio, eſt diluciditas: dilucidum facile in humilitatem labitur, niſi in magnitudinem extendatur oratio: magna, ni quadam concinnitate ſint ornata, ſunt deformia: egent itaque pulchritudine: & ne magnitudo reddat rem immobilem, uelocitate carere non debet. Et quoniam oratio politica non ſolum ad cauſſam recte explicandam, ſed etiam ad mouendū, & perſuadendum ſuſcepta eſt; ideo debet eſſe affecta, ſeu morata: mores autem ueriſimilitudinem quandam præſeferunt, ideſt indicant orationem non ex animi præparatione, ſed ex affectione procedere, ideo opus eſt veritate, quę attentum auditorem faciat. Erunt igitur ſex orationis ideæ: quattuor in uerbis, claritas, magnitudo, pulchritudo, uelocitas: duæ in re, mores, ſeu affectio, & ueritas: ex quarum uirtutum commiſtione ea exiſtit oratio, quam Hermogenes ſeptimo loco δεινότητα, & τό πρέπον, ideſt aptam dicendi formam appellat.

Septima poſitio, hę ideæ ſuas habent definitiones, quas in proprijs diſputationibus afferemus & explicabimus: hoc tamen loco, eas adumbrata quadam ratione ob oculos proponemus.

nemus. Claritas, ſeu diluciditas, deſignat planam rei explicationem: magnitudo explicationem cum quadam grauitate: pulchritudo, eorum quæ dicuntur ornatum: celeritas, uigorē ac motum in dicendo: mos, indicationem affecti animi: ueritas rei probabilitatem. Quare, clarus eris, ſi res quæ in prontu ſunt facili methodo explanabis: magnus uel amplus, ſi magna membris longis narrabis, & multa ſimul complecteris: pulcher, ſi concinnitate & conformatione vteris: velox, ſiue acer, ſi altas ſubtileſque ſententias, occupationibus interiectis, prętercurres: moratus, ſi cum quadam animi diſpoſitione dices, perſonarumque mores aſſumes: verus denique, ſi circumſtantijs appoſitis, ex animo dices.

Octaua poſitio harum idearum ſpecies aliquæ, alias ſub ſe habent formas. Sub perſpicuitate, ſeu claritate eſt puritas, elegantia, & euidentia: ſub magnitudine dignitas, aſperitas, uehementia, ſplendor, vigor, & circumdactio: ſub morata ſeu affecta oratione, ſimplicitas, ſuauitas, acumen, modeſtia, ſeu moderatio, & grauis, ſiue atrox oratio.

Nona poſitio, hę orationis formæ ita ſunt inter ſe connexæ, ut nulla ſimplex, in maiore præſertim oratione, ſeu in uno eodemque ſcriptore reperiatur: ſed vna cum alia ſemper eſt

per-

permiſta. Quare, non inuenitur aliqua oratio quæ tota ſit pura, uel tota grandis, & tota pulchra; ſed ex uarijs formis, quaſi ex diuerſis partibus unum orationis conficitur perfectum & abſolutum corpus. Cæterum, in uno ſcriptore magis una, quam alia apparet dicendi ſpecies: ut in Demoſthene magnitudo, in Tullio pulchritudo, in Cæſare puritas, & ſic de alijs. His itaque formis boni Oratores abſolutam efficiunt orationem, & ad perſuadendum aptam. Quod ſi quis una tantum uteretur ſpecie, is in uitium μονοειδίας, *id eſt unius formæ, eodem ſemper modo dicendo, incideret, quod faſtidium maximum auditoribus afferret. Vt ergo uerborum & ſententiarum figuræ ad concinnam orationem faciendam permiſcentur, ita & hæ dicendi formæ ad grauem, atque decoram orationem conſtruendam temperari debent. Atque de idearum numero hactenus: nunc ad earum cauſſas explicandas accedemus, ſi prius argumenta diluerimus.*

Primum ſolueres, dicendo ſtylos eſſe certo quodam numero contentos, & omnes poſſe ad has ideas reuocari; uel quia unam ex illis attingunt, uel quia præter eam agunt, aut unam cum alia, & non omnes permiſcent. Laconica oratio eſt breuis, contracta, & ſicca, Aſiatica cõtra ampla & dilatata, Attica omnibus

nume-

numeris abſoluta. De ſecundo, cõcedimus ideas eſſe qualitates quaſdam, ſed negamus earum non eſſe certum numerum, quod ad ſpecies attinet. Qualitates in hoc argumento numeratę, non tam pertinent ad ideas, quam ad dicentis mores: ut omittam, quod poſſent ad eas reuocari, uel ad earum contraria: ut admoratã orationem, & ad eam quę eſt morum expers. De tertio, cõcedimus dialectos ratione ſingulorum populorum eſſe diuerſos: ſed nos rem uniuerſe tractamus, & ita certas formas orationi ex ſe conſideratæ tribuimus. Adde, quod populorum dialecti potius in quibuſdam uocibus, quam in tota oratione ſpectantur. De poſtremo, licet auctorum uaria ſit ſententia: tamen aliquem certum numerum aſſignare poſſumus.

De quattuor idearum cauſsis. Diſp. III.

AD melius explicandã magisq; patefaciendam ideæ oratoriæ naturã ſatis implicatam atque opertam, eius ſingulas cauſſas hac diſputatione dimonſtrare conabor: quibus patefactis, ſuperius allatæ deſcriptiones idearumque uis multo intelligetur melius: nam tunc plane res aliqua cognoſcitur, cum eius in-

noteſcunt

noteſcunt cauſſę. Et quoniam dubitatio ad recte cognoſcendum uiam aperit, ideo quibuſdam rationibus rem propoſitam in dubium reuocabo. Ariſt. lib. 2 & Phyſ. Ariſt. lib. Meta.

Primum demonſtro ideam non habere cauſſam efficientem: nam, ſi quam habet, nulla erit alia quam mens Oratoris *qui ideas excogitat, ut ex eius definitione conſtat: atqui* Oratores, *cum ſuas orationes faciunt, non formant ideas, ſed potius in res ipſas quas ſunt explicaturi mentis aciem conuertunt, ut eas idoneis uerbis congruenter exponant: non erit igitur dicentis mens idearum cauſſa, & ſi quæ eſt, potius res ipſæ erunt.* Deinde, *probo non habere materiã; ſi ideæ hæc poteſt aſſignari cauſſa, profecto erũt res & uerba; quod falſum uidetur; tum quia alicuius rei materia unius eſt rationis, uerba autem & res longe inter ſe diſtant: tum etiã quod, ut idearum inuentores docent, non ſolum ex uerbis & ſententijs conſtant ideæ, ſed etiã ex methodo, figuris, compoſitione, & nonnullis alijs rebus; quæ quoniam inter ſe ualde diſcrepant, in unam materiæ rationem conuenire non poterunt: igitur. Poſtea, probo non habere formam: forma eſt per quam una res ab alia diſtinguitur: uerum, ut idearum inuentores docent, in una & eadem oratione plures ſunt dicẽdi ideæ: nullam igitur formam habẽt:*

quia

quia ſi haberent, in una & eadem oratione reperiri non poſſent; ſicut nec in uno homine, canis & leonis forma.

Poſtremo, ex dictis facile conficeres non habere finem; quem ea habent, quę ſunt: at ideę non ſunt, cum nec efficientem, nec formalem, nec materialem cauſſam habeant: igitur.

Quod attinet ad auctorum ſententias, ſi de cauſsa efficiente, & de inuentore magiſtroue primo quæratur, dubitare licet, quis primo eas notauerit, & de eis præcepta tradiderit: de qua re Hermogenes ſcriptum reliquit, nihil abſolutum ante ſe traditum fuiſse. Minutianus quidam, ſcripſit quidem, ſed nimis fuſe, & confuſe. Demetrius quoque de orationis formis literis nonnihil mandauit. Sed quoniam nemo abſolutius, quam Hermogenes, propterea hæc gloria ei tribuitur; & quidquid hac de re ab alijs ſcribitur, ab ipſo accipitur: nihil.n.a poſterioribus additum eſt, ſed quod ab illo idearum magiſtro dictum fuit, paullo clarius explanatur. Nec tamen negauerim omnes meliores dicendi Magiſtros aliquid de generibus uirtutibus ue dicendi, quæ idem ſunt cum ideis, tradidiſſe, ut de Ariſtotele, de Cicerone, deque alijs conſtat: ſed tamen ex profeſſo nemo hanc artẽ explicare aggreſſus eſt, ut Hermogenes fecit: ut merito iam dicatur orationis ideas eſſe Hermogenis,

mogenis: in quarum explicatione hi uerſati ſunt, Trapezuntius, Daniel Barbarus, ſed paucis, Antonius Lullus, Franciſcus Priſcianenſis et quidã alij, qui Hermogenis rhetoricos libros commentarijs illuſtrarunt. Scripſit etiam quædam Italice ſuper Hermogenis ideis Iulius Camillus. Vt autem plane idearum orationis cauſſas explicem, hæc pono fundamenta.

Primum fundamentum, in quo de cauſſa efficienti idearum agam: Rem igitur hanc longius repetendo primam idearum orationis efficientem cauſſam Deum Opt. Max. eſſe diceres: tum quia nobis ſermonis atque rationis tribuit facultatem, per quam uarie intimas animi cogitationes promere poſſumus: tũ etiã, quod in illis libris in quibus ſua nobis reuelauit arcana, omnes orationis ideas, perfectamq; eloquentiam obſeruares. Fuit. n. Deus, ut hoc obiter dixerim, in ore Moyſis, quo nemo unquam extitit eloquentior: quamuis ſe dicendi facultate deſtitutum eſſe dixerit, cum ad egregiam & difficilem legationem, a Deo fuit uocatus, ad quam recte obeundam eloquentiã neceſſariam eſſe exiſtimauit, Obſecro, inquit, Domine, non ſum eloquens ab heri & nudius tertius, id eſt, tota iam acta uita, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linquæ ſum. Dixit Dominus ad eum, Exod. Exod. 4.

Quis

Quis fecit os hominis? aut quis ſabricatus eſt mutum & ſurdum; uidentem & coecum? non ne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. En igitur teſtimonium ad id, quod docemus confirmandum apertiſſimum. Deinde, idearum efficiens cauſſa, eſt humana intelligentia, intellectus nimirum agenus, quem philoſophi celebrant, & ea notiones nobis a natura igeneratę, per quas homines certa quadam ratione tacitos animi ſenſus exponunt, & in uarias, formas diducunt. Aliter enim qui eſt animo pacato loquitur, aliter qui perturbato: non eodem modo grandia, atque humilia, etiam ipſi, & ętate & loquela infantes exponunt. Sunt itaque in humano ſermone quædam dicendi formæ, quas ſecũ eloquentia affert naturalis: ex qua artificioſa dicendi ratio ſuum ſumpſit exordium. Præterea, ut alia omnia, quæ ad ornatam & ad perſuadendum accommodatam orationem pertinent præcepta, quidam callidiores, & in dicendi uſu exercitati, per obſeruationem naturalis eloquentiæ nobis tradiderunt; ita eadem, obſeruatione & ſtudio quædam dicendi formæ rebus, perſoniſque accommodatæ, per quas idoneę animi ſenſa explicamus, adnotatæ fuere, non omnes ſimul, ſed paulatim. Atque ex his patet, quæ fuerit idearum cauſſa efficiens.

Secundum

Secundum fundamentum, in quo de cauſſa materiali paucis diſputabo. Idearum materia, primum ſunt res & uerba; nomine rerum etiã perſonas, ſeu perſonarum mores intelligo. Rerũ triplex eſt ratio.; nam aliæ graues, aliæ humiles, aliæ mediocres ſunt. Quare, qui Ideas uoluerit intelligere, aut eas ad uſum oratorium accommodare, is hanc triplicem rerum differentiam perſpectam habere debet: quam ille habebit, qui omnium bonarum artium aliquã adeptus fuerit cognitionem: quam in bono Oratore omnino neceſſariam eſse arbitramur. Pari etiam ratione uerborum diſcrimina & uarietates ignorare minime debet: ut, quę ſint propria, quæ tranſlata, quæ grandia, quę humilia, quæ leuia, quæ aſpera, quæ ſonora, quæ longa, & quæ his contraria; ut nonnulla alia hic omittam diſcrimina. Deinde, ad aliquam fingendam ideam, quędam alia quaſi earum materia adhibentur: ſed alij plura, alij pauciora requirunt. Theophraſtus, tria neceſſaria eſſe exiſtimauit: delectum uerborum, harmoniam, & figuras; hoc eſt, ſententiam, dictionem, & compoſitionem: cuius tamen nimis anguſta cenſetur præceptio. Alij res & mores, ductum ſiue methodum, dictionem, interpretationem ſiue enunciationem, et compoſitionem. Alij denique octo quaſi partes requirunt: quod

Hermogenis doctrinæ eſt magis conſentaneũ; quæ ſunt, ſententia, methodus, dictio, exornatio, membrum, compoſitio, clauſula, & numerus. Nomine ſententiæ, primum, intelligitur totius orationis argumentum, theſis, & materia: deinde vnaquæque propoſitio, & priuata totius orationis, & argumenti pars; poſtremo quæcunque ſententia ſapienter in oratione prolata. Vt, labia ſapientum diſſeminant ſcientiam: Quod neceſſarium eſt, nec ſecundum, nec tertium, ſed primum eſſe debet. Abſtinentia maximum medicamentum. In ſumma, ſententia eſt res inuenta, uerbis explicãda. Methodus, nihil aliud deſignat, quam tractandi rationem, ſeu artificium, modumque, & ductum, quo res inuenta explicatur, tractationem nimirum rhetoricam, quæ non ſolum ad ſententias veluti ad animam, ſed etiam ad verba, quaſi ad corpus accommodanda eſt. Dictio, ſeu verba, quæ rebus inuentis & ſententiæ debent eſſe accommodata. Exornatio, ſiue figura continet ornamenta, & colores, quibus quodam modo veſtitur, & coloratur oratio. Membrum eſt, quod, uel partem, uel totam orationem, abſque interuallo abſoluit. Compoſitio, ſiue collocatio verba & membra coniungit: eſt itaque collocatio numeroſa verborum compoſitio. Clauſula, qua oratio ſiſtit, non ſolum in primis &

Prou. 15. Heſio. Galen.

maioribus orationis partibus, ut in exordio, narratione, & alÿs, ſed etiam in ſingulis ſententÿs ſpectatur: Quare clauſula eſt extremū in quo ſententia conquieſcit. Numerus denique, ex compoſitione & clauſula conficitur; qui non in ſingulis ſyllabis, ſed in toto orationis corpore obſeruatur: neque enim eſt pes, ſed concentus ex pedibus conflatus. Ex his itaq; quaſi partibus Hermogenianæ conficiuntur ideæ.

Tertium fundamentum, quod attinet ad formam, ideæ forma nihil aliud eſſe uidetur, quam quędam ſententiarum & uerborum, & aliorum quę ſupra recenſuimus ſymmetria, proportio, & conuenientia, concinnitasue inter ſe, & cum tota oratione: Ita ut eo modo ſe habeat orationis idea, quo pulchritudinis corporeæ ratio, quę ſita eſt in recta omnium partium, membrorumque conſtitutione ac modo, cum quadam coloris ſuauitate. Et quoniam ea omnia uel ex eis plura, quę ad ideam conficiendam neceſſaria eſſe diximus, uarÿs modis conuenire ac permiſceri poſſunt; hinc fit, ut plures oriantur dicendi ſpecies; ſicuti in uarÿs corporibus, ſi membra uarie inter ſe coeant, uarioque afficiantur colore, diuerſæ oriuntur formæ. Quamuis ergo illa omnia in omnibus formis reperianrur; non tamen unam & eandem

dem ſemper faciunt ideam, ſicuti, nec eædem chordæ idem melos, ſi uarie moueantur. Quæ hoc loco vniuerſe docemus, infra cum de ſingulis agetur, multo intelligentur melius. Poſſes etiam ideæ formam explicare per eius definitionem, quam ſupra attulimus. De fine, illud breuiter dixerim, orationis ideas in eum finem inuentas fuiße, ut nullam temere caſu ue orationem fabricemus: & ut rerum naturas, ſiue ſententias, & mores idonee & apte exprimamus; & denique, ut eam componamus orationem, quam Ciceronis ætate, Atticā appellabant; copioſam nimirum, ornatam, rebuſque & perſonis, accommodatam. Nunc quę pluribus dixi, paucis complectar.

Prima poſitio, prima orationis idearū cauſſa fuit eloquentia naturalis; illa nimirum uis, qua homines ſua animi ſenſa ad perſuadendū accommodate enunciant. Primum, ut tota ar-
Cic.2.or. tificioſa eloquentia ſe habet ad naturalem dicendi facultatem; ita pars ad partem: ſed apte dicendi ars nata eſt ex obſeruatione naturæ: igitur, & hęc pars, quæ uaria orationis genera diſtinguere, & apte tractare docet. Deinde, quoniam quadam naturæ bonitate, uidemus homines etiam infantes, alia dicendi forma res graues, alia leues & iocoſas, alia aſperas, alia denique moeſtas exponere; & certa

quadam

quadã rõne, aliter iratos, aliter ſedatos loqui: igitur hęc figurandę orationis rõ initiũ habet a natura, uel ab eo, qui naturæ hanc uim inſeruit.

Secunda poſitio, ante Hermogenem in bonorum oratorum ſcriptis dicendi formę fuerũt expreſſæ. Hæc poſitio eſt manifeſta: ſiquidem omnẽ quam de bene dicẽdi doctrinã hic auctor tradidit, in Demoſthenis orationibus obſeruauit, ut omittam, quod ipſemet ait hanc de ideis pręceptionem conferre ad Demoſthenicam orationem conficiendam, eamque ex eis conſtare.

Tertia poſitio, qui primus de ideis cognoſcendis, & conficiendis tradiderit præcepta, non mihi conſtat: certum tamen habeo, Hermogenem non fuiſſe primum huius doctrinæ præceptorem. Primo, quoniam & Ariſtoteles, & M. Tullius, & Demetrius non nihil hac de re ſcripſerunt, ac etiam Minutianus de quo ſupra mentionem fecimus. Deinde, ut ex optimis ſcriptoribus cognoſcere licet, quæ de natura, & numero idearum ſcripſit Hermogenes, ex Platonis conuiuio ſumpſit. Plato.n. ſeptem introduxit perſonas, quæ amorem laudant: quarum cuique ſua dicendi tribuitur figura. Pauſanię amplitudo, Eriſymacho grauitas, Agathoni ſplendor, Apollodoro aſperitas, Ariſtophani perſpicuitas, Phedro pulchrĩtudo, & Socrati ueritas.

Quarta poſitio, magis perfecta & abſoluta de ideis rhetoricis doctrina ab Hermogene tradita fuit; ut, ni earum inuentor, ſaltem perfector iure haberi poſſit. Hic.n. ſolus auctor omnes dicendi formas numerauit, & ad eas conficiendas, quæ ſunt neceſſaria tradidit: de quibus duo præfatur Hermogenes: primum quibus modis conſiderari poſſint: alterum, quæ de eis dicenda, & explicanda ſint. De primo, ait dupliciter poße conſiderari: primo ut ſunt auulſæ ab Oratorum ſcriptis, ut ſola mente concipiun
Cic. 1 or. *tur: & hoc formarum genus* ἀόρατον *,i. inuiſibile, ſola cogitatione perceptum uocat: altero, ut in oratorum ſcriptis, ut Demoſthenis, Iſocratiſue reperiuntur, & hoc genus* ὁρατον *.i. viſibile, ſeu ſpectabile & ſenſibus ſubiectum appellat: aitque de his formis priore modo cõſideratis ſe diſputare uelle: quo etiam pacto Plato de ſua rep. & Cicero de ſuo Oratore diſſeruit. De altero, quinque explicanda proponit: quot ſint ideæ, quo pacto inter ſe differant, quo modo, & ex quibus conficiantur, quo modo permiſceantur; & quid inter ſe commiſtæ efficiant.*

Quincta poſitio, materia idearum proxima ſunt illa octo, quæ ſupra recenſuimus, ſententia, methodus, dictio, figura, membrum, compoſitio, clauſula, & numerus: aliqui, quod hæc

duo

duo poſteriora ex ſuperioribus, & maxime ex compoſitione naſcantur, ſolum ſex partibus ſunt contenti. Trapezuntius, methodum poſt compoſitionem ponit, quem ex reliquis ſequentibus conſtare affirmat. Huius numeri hæc, poteſt aſſignari ratio. Oratio ex ſententijs, & verbis, tãquã ex animo & corpore cõſtat. Hæc congruenti ratione tractari debent, quod fit methodo: habitu & colore quodam ueſtiri, quod fit figura: & quia oratio ſuas habet partes, & articulos, ideo membrorum habenda eſt ratio: & quoniam membra conſtant ex uerbis conuenienter diſpoſitis, ideo neceſſaria eſt compoſitio, quæ incipit a uerborum collocatione, & progreditur ad membrorum conſtitutionem: & quia periodus apte & concinne cadit, ideo habenda eſt ratio clauſulæ, quæ uerba bene inter ſe cohærentia ſequitur, ex quibus oritur numerus, qui ſecum pedes affert.

Sexta poſitio, ideæ propria ratio in eo ſita videtur, ut ſit conficiendæ orationis exemplar. Patet hæc poſitio ex dictis: & ex ijs quæ dicentur, adhuc manifeſtior fiet.

Septima poſitio, Idearum orationis finis eſt, ut qui in dicendo uult excellere, ad earum ſimilitudinem perfectas componat orationes, & in eis conficiendis non erret. Sed de his hactenus: allata argumenta facile ex dictis ſoluuntur.

De primo, nemo perfectam efficiet orationē, ni aliquo pacto animo eius concipiat ideam: & ſi quid boni faciet, caſu faciet, & eius quod fecerit, rationem habebit nullam.

De ſecundo, quamuis, ea ex quibus conficitur idea, ſint inter ſe diuerſa; tamen certa quadam ratione temperata, unum quid concinnū, ut diuerſæ corporis partes & colores unam pulchritudinem, & chordę unā harmoniā, faciunt

De tertio, & quarto nihil dicam, cum ex allata doctrina ſoluantur.

De claritate, ſeu puritate, quæ eſt prima orationis idea. Diſp. IIII.

QVAE de ideis vniuerſe nobis ſcribenda eſſe duximus, ea hactenus expoſuimus: ſequitur igitur, vt ad ſingularum explicationem accedamus. Ac primum quidem de claritate, ſeu perſpicuitate agemus, quæ prima numeratur orationis virtus: de qua hæ occurrunt dubitandi rationes.

Primum claritas ſiue perſpicuitas eſt quędam orationis virtus, quam conſiderat Grammaticus; non igitur in ideis oratorijs ponenda erit: quod ſumptum fuit, certum eſt, quia idem conſiderat orationis vitia, in quibus eſt obſcu-

rum, quod claritati opponitur: oppoſitorum autem eadem eſt doctrina, vt Dialectici tradunt. Deinde, puritas, quæ eſt prima claritatis ſpecies, vulgarem tritumque ſermonem requirit: at hæc loquendi ratio non ornat orationem: quare non pertinebit ad eius ideas. Poſtremo, puritati repugnat circumductio, quæ tamen quandam orationis ideam ab alijs diſtinctam efficit: igitur, cum una dicendi forma non debeat eſſe alteri contraria, puritas nullum habebit inter ideas locum, vel certe circumductio; ab earum numero reijcienda erit. Et quoniam hic nullæ occurrunt citandę ſententię, nec vlla ſunt ponenda fundamenta, ad poſitiones accedam, quibus quid de claritate & puritate tenendum ſit, facile breuiterque explanabo.

Prima poſitio, inter orationis ideas primum locum aperta, ſiue clara tenet oratio. Primũ, quoniam, ut Ariſtoteles ſcripſit, hęc uirtus, in omni oratione, & in cunctis orationis partibus reperiri debet; cum vbique perſpicuitate ſit opus: quam uirtutem præter cęteras, ipſe amplexus eſt. Verum, cum etiam rerum copia abundet, non ſolum purus, ſed diues quoque habetur: ac proinde Cicero aureum eloquentiæ fontem appoſite appellauit. Deinde, quoniam hæc virtus efficit, vt noſter ſermo ſtatim ab omnibus intelligatur, quod omnes qui loquuntur, Li. 3. Rhe. c. 2. Fab lib. 8. c. 2.

pri-

primum ſpectare debent. Denique, hæc forma, non ſolum prima & maxima orationis virtus ſemper exiſtimata fuit; verum etiam ad alias virtutes explicandas aditum præbet, vt ex ijs, quæ deinceps ſcribemus, planum fiet. Merito igitur de ea priore loco agimus.

Secunda poſitio, aperta oratio, ſiue claritas, duas ſub ſe continet formas, puritatem & perſpicuitatem: quibus aliqui ſubijciunt, euidentiam. Puritas efficit quoddam caſtum, ſimplex, non perturbatum, non confuſum, ſed rectum, planumque orationis genus: Quæ virtus oritur ex recto verborum ordine, rectaque caſuum, temporum, ac perſonarum conformatione, & ex illis octo partibus, quas in omni idea ſpectandas eſſe ſupra docuimus; quarum ſingulas ſingulis poſitionibus exponemus.

Katharotes.

Tertia poſitio, purus ſimplexque character primum ſpectatur in rerum quæ tractantur natura, hoc eſt, in ipſis ſententijs. Sunt autem ſententię puræ, quę ab omnibus facile intelligi poßunt, quæ paſſim ab omnibus vſurpantur, et ad omnes pertinent: quæ omnibus veræ uidentur & communem habent aſſenſum: quæ per ſe, ſeorſim poſitæ percipiuntur, etiamſi nihil adijciatur: quæ denique nullam reconditam ſublimioremve intelligentiam habent: vt iſta, tuas literas expecto: miſi ad te puerum cum literis.

teris. Milo domum venit: calceos & ueſtimenta mutauit: pauliſper dum ſe vxor comparat, commoratus eſt. Soſippus & Epicrates fratres ſunt Agienſes: horum pater ab hinc duos & uiginti annos mortuus eſt. Item, Heracleus ille & Epicrates longe mihi obuiam cum omnibus ſuis proceßerunt: venienti Syracuſas egerunt gratias; flentes Romam decedere mecũ cupierunt. Quare ſententiæ, quæ aliunde pendent, quę implicatæ & abſtruſæ ſunt, dicentur non puræ. Pro Mil. Ver.4.

Quarta poſitio, methodus, ſiue ductus, ſiue, vt loquitur Trapezuntius artificium, quia ſententia artificioſam requirit tractationem, in puritate debet eße ſimplex, minime figuratus, & talis, qualem natura ipſa primo formauit: ita vt ſit nuda rei atque negocij expoſitio, quę ſolum neceſſaria contineat, cæteris omiſſis. Quare, in tractatione pura, tenuiter incipiendum eſt a re ſimplici; ita, ut nihil ſubintelligere ſit neceſſe; ſine vlla circumſtantiarum adiunctione. Contra uero, tractatio non pura eſt, cũ aliquid extrinſecus aſſumitur, & adijcitur; vt ad genus ſpecies, ad totum partes, ad indefinitum definitum: cum additur earum rerum expoſitio, quę rem circunſtant, vt locorum, temporum, & perſonarum, quod hiſtorici facere conſueuere; ac etiam Oratores poſt puram tracta-

tio-

tionem, ne nimia puritate ſermonem abijciāt: ac proinde cum ſimpliciter auſpicati fuerint, ad circuitionem, & tractationem non puram trāſeunt, ut Tullius fecit, cum dixit, P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in prætura uexare remp. &c. Omittenda itaque eſt in pura tractatione omnis commoratio, quæ ad rem ſubiectam aliquid adiungit. Et quemadmodum ſententiarum aliæ ſunt per ſe puræ, vt illæ, quæ a nullo alio pendent; aliæ non per ſe puræ, vt quæ aliunde aliquo pacto pendent; ita etiam, alia eſt methodus per ſe pura, ut eſt ea in qua nihil adijcitur; alia uero tractatione pura, ut ea, quæ rerum aliquarum aſſumptionem habet, vt perſonæ, & loci; ſed quoniam, tum uerba, tum figuras puritatis recipit, & ſententiæ ab amplificationibus & aßumptionibus ſeparantur, & in compoſitione rectus ſeruatur ordo, pura dicitur, & ſpeciem puritatis habet. Vbi illud obiter dixerim, omnem diuiſionem cenſeri obſcuram, niſi partes explicētur. Ac etiam illud, dubitari ſolere, an breuis rerum expoſitio, ad orationis ſchemata ſit referenda, an ſit quædā methodi pars: id quod Hermogenes ſenſiße uidetur: eam igitur methodi partem facit: quę, vt aliqui uolunt, ad clarum purumque ſermonem Trap. *pertinet, & hunc in modum deſcribitur, expoſitio eſt ſeiuncta a circunſtantijs orationis explica-*

plica-

plicatio. Exemplum tractationis non puræ eſſe poteſt initium libri primi officiorum M. Tullij. Nec propterea, quod aliquando tractatio non erit pura, ideo oratio obſcuritatis uitio laborare dicetur: quoniam, aliud eſt uelle purã orationem efficere, aliud vero grauem & admirabilem: ubi recta uerborum collocatio minime ſeruatur, ut in puritate: dicitur tamen tũc oratio pura, propter uerborum puritatem & elegantiam: exemplo eſſe poteſt, Quintianæ orationis exordium. Pura tractatio, ubi res ipſa patitur, initio orationis, in narratione, & in proponenda cauſſa adhiberi ſolet. Denique, ut hanc de puritatis methodo præceptionem concludamus, pura tractatio, nuda breuique expoſitione contenta eſt: nihil foris aſſumit, non formas, non partes, non differentias, non ſimilitudines, non denique attributiones ullas: quod ſi hæc aſſumantur, ſeruari puritas poterit, ſi ſuis locis ponantur.

Quincta poſitio, dictio, ſiue puræ orationis uerba, debent eſſe uulgata, vt ſunt quæ ab omnibus uſurpantur & intelliguntur, aut intelligi uidentur: quæ Cicero natiua uocat, quaſi cũ rebus ipſis nata: cuiuſmodi ſunt uerba propria, in communi uſu poſita; ac etiam tranſlata, ſi trita ſint, & quaſi propria habeantur. Quare, purus ſermo non amat tropos, maxime ſi quid Lexis. In Part.

magni

magni afferant,non aſperas, grandes,& inſolentes uoces; ſiquidem affectationi nullus eſt in puritate locus.

Sexta poſitio, ſchema, ſiue figura, vel vt alijs placet, interpretatio, in puritate,eſt rectitudo, ſeu recta enunciatio; cum oratio initium ſumit a recto caſu, a modo indicatiuo, ſiue caſus & modus in principio, ſiue in medio, ſiue in fine ponantur. Rectitudo igitur uerborum conſecutionem directam expoſcit: cui contraria eſt oratio obliqua, quæ caſibus obliquis, modis inflexis,particulis aduerſatiuis, parentheſi,& ſpiritus productione conficitur.quare, ſi quis verba quæ prius erant recta,paullum inflectat,& orationem dilatet, pluraque adiungat,iteretve,a puritate diſcedet. Facile enim eſt puram & idioticam orationem in circumductam conuertere, ſi extendatur,& inuertatur. Verum,tanta eſt rectitudinis vis,ut etiam ſi quid per circumductionem dicatur, oratio recta uideatur, modo recte incipiat, aut deſinat: ut ecce, Sopater quidam fuit Alicienſis homo domi ſuæ in primis locuples,atque honeſtus: is ab inimicis ſuis apud C.Sacerdotem prętorem rei capitalis,cum accuſatus eſſet, facile eo iudicio eſt liberatus:ubi circunductam,& rectam orationem uides.Item in exordio quoque Miloniano circumducta tractatio animaduerti poteſt:

Orthrotes.

Plagiaſmos.

teſt: ubi verbo indicatiuo uſus eſt Orator: qui tamen adeo humilitatem, vulgique ſermonem abhorruit, ut rariſſime rectitudinem uſurpet, dum omnia inflexa ſtudioſe dicit.

Septima poſitio, puritatis membra debent eſſe breuia & conciſa: immo potius ex inciſis, quam ex mēbris, præſertim longioribus, purus conſtabit ſermo. Sint itaque puri ſermonis membra inciſis paria, & pauca: cuiuſmodi in diuinis literis, quæ puritatem habent, eſſe ſolent: quamuis earum ſententiæ ſint grauiſſimæ.

Octaua poſitio, quod attinet ad compoſitionem, ſiue iuncturam, quæ in literarum, ſyllabarumque coitione ſpectatur, in puritate nō eſt opus exquiſita diligentia ad vitandum literarū abſonum concurſum & hiatum. Quare, in hoc genere iuncturæ nulla, aut certe exigua ratio habenda erit: ne diligentia puritati inimica uſpiam appareat. Ideo M. Tullius in prima primi libri epiſtola pure loquens, uocalium coitionem minime abhorruit.

Nona poſitio, Puræ compoſitioni trochæus & iambus congruunt: quod his pedibus quotidianus ſermo ſit refertus: uerum alij etiam pedes, ut ſpondæus & dactylus intercurrere poſſunt: Pauliſper dum ſe vxor, vt fit, comparat, commoratus eſt. Cæterum, ut de iunctu- Pro Mil.

ra dixi, nullam in pedibus ſeligendis maiorem curam hic deſiderari cenſeo.

Decima poſitio, puri ſermonis clauſula, in iambos & trochæos terminabit: ſicuti ergo in tota compoſitione hi pedes dominari debent; ita præcipue in clauſula, cuius maior ſolet haberi ratio. Quod ſi hoc loco peteres quid clauſula a compoſitione differat, dicerem, in compoſitione facilitatem, lenitatemque ſpectari, in clauſula uero orationis terminum & pedes potiſſimum examinari, in compoſitione pedum minor habetur cura, in clauſula maior.

Vndecima poſitio, in puritate, quod attinet ad numerum, cũ pura oratio libere fluere debeat, eius minor diligentia haberi poterit: qui præterea, ex ipſa cõpoſitione & clauſula ſua ſponte proficiſcitur: quare nihil eſt, cur de eo in hac idea inquirendo, aliquid priuatim precipiatur.

Duodecima poſitio, puritatis forma non ſolum in parua & mediocri materia, ſed etiam in magnis rebus, & non ſolum in cauſſis ciuilibus, ſed etiam in maximis controuersijs, ſuis in locis adhibenda eſt: Quoniam, ut ſupra diximus, & communis docet ſcriptorum ſententia, hęc eſt prima cuiuſcunque orationis uirtus.

Decimatertia poſitio, orationi puræ opponitur illa dicendi forma, quæ circumducta uocatur; de qua poſtea dicetur: cuiuſmodi eſt illa

in

in qua particulæ aduerſatiuæ reperiuntur. Atque hæc de puritate dicere habui.

Quod vero ad argumentorum ſolutionem attinet, primum ſolum probat aliquo pacto Grammaticos hanc virtutem conſiderare, ſed non exacte, & ad eum finem, vt benedicendi artifices conſiderant. Secundum manifeſtam continet falſitatem; cum perſpicua & plana dicendi ratio, multum orationem exornet, & veluti lumen quoddam illuſtret. De tertio, quid ſit dicendum, ſatis ex allata doctrina perſpicuum eſt: licet enim iſtæ formæ ſint diuerſæ; non tamen ſunt contrariæ, & ideo interdum altera alteram iuuat.

De perſpicuitate, ſiue elegantia. Diſputatio V.

DIXIMVS de prima claritatis ſpecie; ſequitur vt de ſecunda dicamus, quam Hermogenes Eucrinian appellauit, latine alij elegantiam, alij perſpicuitatem traducunt: quippe quæ in quadam rerum aperta & clara explicatione conſiſtit. Trap. Lul.

De qua illud in dubium reuocari poſſet, cur elegantia nominetur, cum in ea de elegantia, hoc eſt de verborum, & orationis concinnita-

te præcipiatur nihil; ut ex ipſius tractatione ſtatim patebit. Deinde, cum omnis ſermonis idea ſit ueluti forma quædam, vt ex iis quæ vniuerſe de ideis diſſeruimus, planum eſt, cui ſua ſubiecta eſſe debet materia: atqui elegantia nullam habet ſubiectam materiam, ut omnes fatentur, & nos ſtatim dicemus: non igitur in idearum numero ponenda erit. Denique, Eucrinia eadem eſſe videtur cum puritate, quæ perſpicuitatem quandam ſecum affert, quod etiam huic ideæ eſt proprium; non erunt itaque inter ſe diſtinctę. Quid ad has dubitationes reſpondendum & de re propoſita ſentiendum ſit, ſequentibus poſitionibus explanabo.

Prima poſitio, pure dicere, aut ſcribere volenti neceſſaria eſt elegantia, ſiue perſpicuitas, Quoniam, cum ſæpe contingat, partim ex rei natura, partim ex conſilio Oratoris, qui amplitudini & granditati ſtudet, vt nullus puritati relinquatur locus, & obſcuritas ſit maximum in oratione uitium; ideo ad elegantiam, confugiendum eſt. Hæc enim perplexa explicat, cõfuſa diſtinguit, connexa partitur, & denique rem totam perſpicue explanat, & quaſi nudã in medium profert. Ex quibus colligeres, quam conuenienter elegantia puritati ſubiiciatur, cum ei ſit quodammodo ſubſidio.

Secunda poſitio, elegantia non eſt eadem cũ puri-

puritate. Nam puritas efficit ne quid ſit perturbatum in caſibus, in temporibus, in verborum conſecutione compoſitioneque, & in ſententiarum continuatione: at vero perſpicuitas res ipſas totamque orationem diſtinguit & ordinat; efficitque ut omnia oculis quodam modo cernantur: ac proinde intelligentiam et memoriam iuuat. Eſt itaque elegantia ueluti adiutrix & cuſtos puritatis, cum ea remoueat, quæ puritatem tollunt, & quaſi tenebras orationi offundunt; nimirum obſcuritatem, confuſionẽ & perturbationem, dum efficit, vt omnia ſint diſtincta, & ſuo ordine collocata: Propterea hunc in modum deſcribi ſolet, Elegantia ſiue perſpicuitas eſt, quę efficit vt vnumquodque pure & aperte dicatur. Huius ergo virtutis beneficio fit, ne grandis, & ampla, circumductaque oratio ſua perſpicuitate priuetur: de cuius partibus quid ſentiendum ſit, ſequentibus poſitionibus explicabo.

Tertia poſitio, elegantia, ſi proprie loqui velimus, nullas habet ſententias, quas tractet: ſiquidem tota eius uis in tractandi ratione ſita videtur: ni ſententias appellare velis, argumentationum, digreſſionum, narrationum propoſitiones, & quæ, quid dictum, quid dicendumve ſit oſtendunt orationes. Hæ nanque orationis ſententiæ vocari poſſunt, ſicut aliæ rerum ſen-

ſentiæ, ut ſunt morum gnomæ. Propoſitiones igitur, diſtinctiones, collectiones & tranſitiones, ſi per ſe cōſiderentur, orationis ſententias vocare licet; ut uero tractantur, ſunt ſchemata quędam, & ad methodum pertinent. Nullas igitur quas tractet elegantia, propoſitas habet ſententias: quo fit, ut tota eius uis atque natura conſiſtat in methodo, uel vt alij loquũtur, in artificio, & in quibuſdam ſententiarum ornamentis, quæ tractationem perſpicuam, atque apertam faciunt, quas ſtatim ſubijciemus.

Quarta poſitio, methodi Elegantiæ partes, ſiue formæ, ac modi ſunt fere iſti. Propoſitio, qua quid dicturi ſumus, breuiter oſtendimus ut fecit Cicero cum dixit, Sed antequam de accuſatione ipſa dico, de accuſatorum ſpe pauca dicam. Item, Quonam igitur pacto probari poteſt inſidias Miloni feciſſe Clodium. Praedictio, eorum quæ dicturi ſumus ordinis ſignificatio; ut, Tria ſunt de quibus me dicere oportet, &c. ſimiliter concluſio, ante argumentationem ſignificata, eam multo clariorem reddit. Enumeratio, qua, quæ in re quapiam ſunt, percenſemus: ut, hoc in loco, Ego enim ſic exiſtimo, in Imperatore quattuor has res ineſſe oportere, &c. Tranſitio, qua ab vna re ad aliam, non ſine vtriuſque commemoratione progredimur: ut, Quoniam de genere belli dixi, nunc de ma-

Pro Deio.

Pro Mil.

Pro lege Man.

Ibidem.

magnitudine pauca dicam. Diſtributio eorũ quæ dicenda ſunt; cum dicimus quid primo, quid ſecundo, quid tertio loco explicaturi ſumus: vt, Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore eligendo dicendum. Omnis itaque diſtinctio ac diuiſio, præſertim, ſi eis ſua ſubiecta fuerit expoſitio, elegantiam iuuãt: ut, Artium aliæ ſunt cogitationis, aliæ actionis. Cogitationis illæ eſſe dicuntur, quæ ſola cognitione contentæ nihil agunt: actionis vero illæ, quarum omnis perfectio in vſu & in agendo conſiſtit. Ad hæc, elegantiæ methodo inſeruit collocatio, quæ illud flagitat, ut res prius proponatur, deinde probetur, & poſtea exornetur. Poſtremo ad elegantiam retinendam conferunt repetitiones, epilogi, & epanodi: ut, Hæc, ſicuti expoſui, ita geſta ſunt: inſidiator ſuperatus, & quæ apud Tullium ſequuntur. Pro Mil. *In ſumma, ut Hermogenis doctrinam paucis explicemus, quattuor potiſſimum methodi partes hic auctor facit: breuem rei expoſitionem: digeſtionem, quæ quid primo, quid ſecundo loco dicendum ſit, proponit: rei generalis ordinationem, & naturalem diſpoſitionem. Etenim duplex eſt collocatio; altera naturalis, quæ naturæ ordinem ſequitur, cuius vſus plurimus eſt in genere demonſtratiuo: altera artificioſa, vt eſt ea, quæ a iudicio,*

& ratione pendet, & hęc in digeſtione ſeruatur. Quamobrem perſpicuitatis methodus, proponit, collocat, diuidit, & diuiſa repetit: uel, breuiter exponit, artificioſe collocat, rem numeroſam proponit, & pro rei natura ordinat. Ex his inferre licet, methodum non eſſe idem cum ſententia. Nam ſententia uno membro, uel periodo abſoluitur; methodus autem tota tractatione, quæ propoſitione, diuiſione, collocationeque fit, conſtat: methodus in toto orationis corpore ſpectatur, ſententia non ita.

Quincta poſitio, elegantiæ dictio eadem eſt cum dictione puritatis. Neque id mirum uideri debet, cum dicendi formæ ob affinitatem, & conuenientiam, quam inter ſe habeant, ſi dictione, & membris, & figuris interdum conueniant.

Sexta poſitio, elegantiæ hę inſeruiunt figuræ. Definitio rei numeroſæ, ſeu oratio notata & definita: ut, Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia & eloquentia. Pro. Qui. Pro Cluē. Meriſmos *Item, Animaduerti, iudices, omnes accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Diſcriminatio, cum oratio diſtincta eſt particulis præpoſitiuis et poſtpoſitiuis, ſiue aduerſatiuis, de quibus Grammatici præcipiunt: ut ſunt iſtę, cum tũ, quãuis tamen, ſed: tot, quot, partim,*

tam

tam, quam, eo, quo; ut ſicut, primum, & harum ſimiles: quæ particulæ, ut Ariſtoteles monuit, reddendæ ſunt, ut natura poſtulat. Quare, quę præponi debet, ea poſtponenda non eſt, & quæ deſideratur, non debet eſſe ualde remota. Hæc figura ſæpe periodum in duas partes diſtribuit, in protaſin, ſiue principium, & in apodoſin, ſeu finem. Numeroſæ rei diſtributio, ſiue in ordinem reductio, uel, ut Trapezuntius loquitur, ordinatio: quæ fit per has particulas: primum, initio, in primis, deinde, poſt, præterea, & denique. Differt hæc figura a diſtributione, cum ſit, rei numeroſæ inſtitutus ordo. Interrogatio, non quæuis, ſed illa, cui accedit ſubiectio, ſeu Oratoris reſponſio: ut, quid putem? contemptum ne me? Apud quem hæc dico? nempe apud eum, qui cum hoc ſciret, tamen me antequam uidit, reip. reſtituit. Quibus de ſeruis rogas? de P. Clodij: quis eos poſtulauit? Appius: quis produxit? Appius: unde? ab Appio. Reſumptio, ſiue repetitio, & reuocatio uerborum & ſententiarum in eadem oratione: cum ſcilicet interponitur aliquid, & ad primum reditur, ne obſcura fiat oratio: ut, Quamquam te Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idq; Athenis, abundare oportet præceptis inſtitutiſque philoſophiæ, propter ſummam & doctoris au-

Li. 3. rhet. 3.

Aparithmeſis.

Phil. 2.

Pro Mil.

Epanalepſis.

Cicero lib. 1. offi.

ctoritatem, & urbis: quorum alter te ſcientia augere poteſt, altera uero exemplis: tamen, & quæ ſequuntur. Huc etiam referres ſynonymiam: ut, Perfuſus ſanie uittas, atroque ueneno: ac etiam Traductionem: ut,

Vna ſalus uictis, nullam ſperare ſalutem.

In ſumma, omnes repetitiones claram & perſpicuam faciunt orationem.

Septima poſitio, de membris, elegantia eadem requirit mēbra, quæ in puritate neceſſaria eſſe diximus, hoc eſt, breuia & commatica.

Octaua poſitio, elegantiæ compoſitio nō eſt diuerſa à compoſitione puritatis: uerum tamen eſt, quod in elegantia aliquæ particulę adhibentur, quæ membra connectunt, a quibus ſimplex puraque dictio abſtinet. Sit igitur ordo rectus, neglecta iunctura, & articuli breues.

Nona poſitio, de clauſula & numero idem dicendum eſt, quod de puritate dictum fuit.

Decima poſitio, elegantiæ, quę, ut diximus, ordine maxime nititur, contraria eſt confuſio: quæ ſemper fugienda eſt, niſi cum animi uehementiorem commotionem oſtendere uolumus; ut bonus fecit poeta, cum cecinit,

Virgil. Aen. lib. 2

— Iuuenes fortiſsima fruſtra
Pectora, ſi uobis audētē extrema cupido
Certa ſequi, &c.

Vel cum res ipſa poſtulat, ut confuſe & perturbate

turbate dicatur: ut idem auctor facit, cum quandam tempeſtatem deſcripſit. Quando autem adhibebitur, ita confuſe dicendum erit, ut non facile in ordinem redigi queat oratio: ne temere aut ficte adhibita uideatur. Erit autem ſermo confuſus, ſi perſpicuitatis uirtutes tollantur: ut ſi tranſiectiones interſerantur, coniunctiones remoueantur, & in ſumma, ſi ſermo nõ rectus, ſed obliquus fuerit. Non eſt itaque confuſio ita orationi contraria, ut aliquando ea uti non liceat: ſicut & obſcuritate, quæ in allegorijs, ænigmatis, ſcommatis, & apoſiopeſi laudari ſolet. Et hęc ſunt quæ de hac forma erant dicenda. Lib. 1 Aen.

Quod ad argumẽtorum ſolutionem attinet, facilis eſt explicatio. Primum ex dictis ſoluitur, ubi quid per elegantiam hoc loco intelligamus, expoſuimus. De ſecundo, non eſt neceſſe ut omnes ideæ habeant omnia illa diſtincta, quę uniuerſe in eis reperiri docuimus: adde etiam quod aliquo pacto, in hac etiam forma ſententias aſſignare licet. Quid ad tertium dicendum ſit, ſatis ex ijs, quæ dicta ſunt, eſt manifeſtum.

De Amplitudine, ſeu magnitudine & dignitate. Diſp. VI.

NISI magis Hermogenis doctrinam exponere, quam quorundam circam hanc orationis formam doctrinam refellere uellemus, nō deeſſent in præſentia dubitandi rationes, & uariæ quas afferre poſſem ſententiæ: Sed quoniam in hoc de ideis libro potius, quæ citatus auctor obſcurius de ſuſcepto argumento dixit, clare, quantum in nobis erit, explanare uolumus, quā res ipſas ſubtilius diſcutere, ideo in hac diſputatione, ſicuti & in alijs, quas poſthac tractabo, quę poßent afferri dubitationes, & opiniones, ſciens & prudens prętermittam. Quidquid igitur aliqui de ſermonis ſublimitate ſcripſerint, in quorum doctrina multa reprehendi poſſent, nos de hac orationis Idea, quæ Amplitudo nominatur, primum uniuerſe, poſtea priuate agemus.

Prima poſitio, hæc idea quæ amplitudo, & magnitudo nuncupatur, merito ſequitur claritatis formam. Humi nanque ſerperet oratio, ni uerborum amplitudine ſententiarumque extolleretur dignitate. Vbi igitur fuerit ſua claritate intellecta, ne exigua, & tenuis appareat,

Megethos.

reat,

reat, ſuam debet habere magnitudinem.

Secunda poſitio, hæc idea communi uocabulo appellatur Magnitudo, Ariſtoteleo, & Socratico, Tumor, & Amplitudo, ac etiam ob inſignem ornatum & dignitatem, Axioma: quidam ſublimitatem appellare maluerunt. Longin.

Tertia poſitio, Magnitudinis idea, non habet unam ſimplicem rationem, ſed plures habet partes, quæ ſunt dignitas, aſperitas, uehementia, ſplendor, uigor, & circumductio. Etenim de re humili apta & idonea tractatio, cum placere debeat, ſublimis uocari poſſet: ſed quam uere, alij uiderint: nos ad primam magnitudinis partem explicandam accedamus.

Quarta poſitio, cur magnitudini ſex ſubijciantur partes, hæc poteſt aſſignari ratio. Nã magnitudini neceſſaria eſt grauitas, ſiue dignitas, quæ in ſententijs potiſſimum ſita eſt: grauitas, debet eſſe copioſa, & exaggerata, per circumductionem: & ne ſit mollis ac tarda, ſed concitata in interrogando, reſpondendo, uituperando, ac reprehendendo, ideo opus eſt, aſperitate: et ne aſperitas ſit quaſi opaca & tenebroſa, neceſſe eſt ut in rerum denſitate ſplendor appareat: hic autem debet eſſe iuuenilis, ac uirilis, ita ut oratio ſit neruoſa, boni ſanguinis & ſucci plena, ut quaſi florere et uigere uideatur: & quoniam uigor aures ferire mentemque ita

permo-

permouere debet, ut Tuberonis arrogantiam comprimat, Cœlium liberet, Verrem in exiliũ eijciat, ſurem in patibulum tollat, & parricidam in culeo inſuat: ideo eſt ei neceſſaria acrĩmonia, & vehementia. Quare, ſicuti claritas puritate & elegantia efficitur, ſic grande dicendi genus recenſitis formis conſurgit; & aliquãdo quidem omnibus, interdum uero paucioribus.

Quincta poſitio, prima magnitudinis forma ab Hermogene σεμνότης, nuncupatur: quod nomen a uerbo σέβομαι, quod eſt uenerari, & ad cultum Deorum pertinet, ductum eſt. Nam pulchrum illud eſt, quod eſt honore & reuerentia dignum, & ut in muliere uenuſtas dicitur, ita in uiro, grauiore uocabulo, dignitas nominatur. Vnde ſemmon ſchema, venerandus aſpectus, honeſta facies, ſemnos logos, Oratio grauis, & ſublimis, & ſemnologia, uenuſtus grauis, lepidus, ſciteque compoſitus ſermo, & ſemnologin, graui oratione uti. Et cum hoc nomen uarie traduci ſoleat, melius latine dicitur grauitas, quam ſeueritas, uenuſtas, & dignitas; & melius dignitas, quam ſeueritas & venuſtas. Nos igitur grauitatem & dignitatẽ appellemus. Etenim, oratio quę res honore dignas cum quadam auctoritate tractat, merito his nominibus dignanda eſt. Nanque Hermogenes

Euſtrat.

Bud.

genes hanc primam magnitudinis partem ędificiorum magnificentiæ comparat; vtpote exili & nudæ orationi contraria: cuius aſpectus ex eius partibus, quas deinceps explicabimus, melius cognoſcetur.

Sexta poſitio, dignitas eſt cum de rebus magnis magna & ornata conſtructione habetur oratio. Quare dignitatis ſententiæ erunt de rebus magnis & grauibus: quas ad quattuor genera reuocauit Hermogenes. In primo ea collocat, quæ ad Deum & naturam pertinent: in ſecundo quæ ad actiones naturales, uirtutes, & formas: in tertio, quæ Deo & hominibus videntur communes; ut ſapientia, iuſtitia, & amor: in quarto, ſententias de rebus ſingularibus, quæ apud homines magnę, & præclaræ exiſtimantur: ut pugnę, triumphi, ſenatus, & ſimilia. Primum igitur hęc idea habet ſubiectas ſententias de Deo, non fabuloſas & diuinitate indignas, quas profani Poetę de ſuis dijs pronuntiarunt, ſed ſeueras, pias, quę cum quadam religione affirmantur: ut ſunt illę quas Philoſophi & Theologi de Deo & natura pronuntiant. Poſſunt tamen, quæ de Dijs fabulantur Poetæ interdum ad cauſſas accommodari, ut alio dicetur loco. Neque tamen quiſpiam exiſtimet ſententias de Deo, & de natura non eſſe Oratori Lib. 1. de arte dicendi.

ſubie-

ſubiectas, cum eius materia nullis ſit circumſcripta concellis ; ut alibi late demonſtrauimus. Poteſt itaque Orator hoc ſententiarum genus aſſumere, uel ut integram conficiat orationem, uel ut aliquid huius generis ad ſuam cauſſam accommodet: cum nihil ſit tam graue, quod ab eo, qui omniũ rerum, aliquam adeptus fuerit cognitionem, & rerum humanarum non erit ignarus, populariter tractari nequeat. Huc pertinent ſentententiæ quæ a M. Tullio in libris de Finibus, in Tuſculanis quæſtionibus, de diuinatione, de ſomno Scipionis, & in quibuſdam orationibus pro re nata, tractantur.

Pro Mil. *His proximæ ſunt illæ, quæ de ui ac poteſtate naturæ agunt: ut de mundi figura, de coelorum motibus, de uentorum & fluminum ortu, de animalium plantarumque proprietatibus: de quibus ita agit Philoſphus, ut earum cauſſas & rationes reddat, Orator uero, ut exponat, & ad ſuam cauſſam accommodet: ut Tullius, præter alia loca, in tertio de Oratore ſermone fecit, ubi ex ijs quæ ſunt in natura, eloquentiſſime, ſampientiſſimeque rationem reddit, cum in oratione quædam numerorum voluptas eſſe debeat, locus ita habet, ſed ut in pleriſque rebus incredibiliter hoc eſt ipſa natura fabricata, & quæ ibi ſequuntur. In tertio genere illę collocantur ſententiæ, ex quibus lo-*

com-

communes ſumi ſolent: ut de religione, de iuſtitia, de humana felicitate, de liberalibus diſciplinis, de rep. de parricidio, de bono ciue, & Imperatore, quæ ſententiæ partim vniuerſe, per theſim, partim finite & terminate per hypotheſin tractantur. Atque hæ frequentius in uſum oratorium ueniunt, ut etiam illæ quę in quarto ponuntur ordine; præclara hominum geſta, opera, caſus, & exempla, & quę homines probare, commendare, & pro magnis habere ſolent; cum huiuſmodi res ſint populari dictioni maxime accommodatæ. In ſumma, graues ſententiæ, aliæ ſunt de Deo & natura, aliæ de moribus, aliæ de geſtis humanis: & vt ſimpliciter dicam, omnes illæ quæ uniuerſe de re aliqua ſeria pronuntiantur, graues cenſentur, quæ & ſi ad ſingula contractę nonnihil grauitatis amittant; tamen ſuauitatem acquirunt. Sed de ſententiarum natura, cauſſis, partibus, & uſu late libro quarto agetur. Pro Roſ. Pomp.

Septima poſitio, ductus, ſiue tractandi ratio in dignitate tres habet partes, ex Hermogenis ſententia: aſſeuerationem, allegoriam, & emphaſim. Eget itaque primum magnitudo, ſiue grauitas aſſeueratione; cum debeat quodammodo ſupercilium attollere; quandoquidem omnino tutum eſt de rebus dignis ſermonem habere. Sine ulla igitur dubitatione, quæ

mo-

ſtoris mentionem facimus. Quamuis ergo emphaſis dignitatem non faciat: tamen eam auget. Iuuat prҫterea dignitatis tractationem verborum apparatus per periphraſin, per ſynonymiam, & per ſenſus diductionem. Grauem ſententiam, ſed ſine uerborum dignitate protulit Publianus cum dixit,

Ingratus unus miſeris omnibus nocet:

At idem cum dignitate hoc modo efferres. Omnes enim immemores beneficij oderunt, eãque iniuriam in deterrenda liberalitate ſibi etiam fieri, eumque qui facit, communem hoſtem tenuiorum putant. Elocutio itaque multum dignitati addit, aut de ea detrahit, maxime ob uocum tenuitatem, ut in hac digna, & rebus, & tractatione, ſed tenuiter explicata ſententia.

Hor. lib. 2 odcro.

Sҫpius uentis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiore caſu,
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.

Item, prҫcurentes ſimilitudines dignitatis tractationem illuſtrant, non ita quҫ ſententiã ſubſequuntur. Siquidem præmiſſa lux honorem quendam & reuerentiam præ ſe fert: quæ uero ſequitur, quaſi in ſubſidium uenit, ad illuſtrandum id, quod obſcurum uideri poterat. Præcedentis ſimilitudinis exemplum eſt huiuſ

modi. Vt nauis gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori uictoria; ſic moderatori reip. beata ciuium uita propoſita eſt, ut opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, uirtute honeſta ſit. Vbi uerborum compoſitio dignitatem auget. Denique grauiores tropi, allegoriæ, non humiles & ſordidę ſed honeſtæ & illuſtres, ſententiarum grauiſſimarum vſus, ſi ſuis interſerantur locis, ad dignitatem conferunt. Sed de methodo hactenus.

Octaua poſitio, dignitatis dictio debet eſſe tota grauis. Requirit ergo dictiones ſiue uocabula ampla, quæ uocalibus & diphthongis, amploque literarum hiatu æſtimantur. Illæ igitur dictiones quæ ampliſſimis uocalibus, ut A, O, & E, longa conſtant, & quę in has exeunt, grauitati accommodatę ſunt: ut labor omnia vincit improbus, & duris in rebus egeſtas.

Quæ ſi in ultima ſede reperiantur, tumet atque diſtenditur prolatio: ut in his patet uocibus, Heroas, Lacedæmonas. Quod ſi robuſtis iungantur conſonantibus, quiddam maius ſonant. Quare I, & V, procul a fine abſint, cum fieri poteſt. Quare non grauiter dixit qui Italice cecinit,

Le donne i caualier l'arme gli amori.

Ariſt. lib. 3. rhet. c. 2 *Item, translata uerba, metaphorę, metony-*

mię,

miç, ſi non ſint aſperæ, & frigidæ, longe ue petitæ : Vbi maior quædam licentia, præſertim cum de rebus diuinis loquimur, dari poterit; in quibus audacem eſſe nil uetat, idque Pindari exemplo, quem ſemnon, ſiue dignum Horatius fecit. Item, dictionis antiquitas maiorem dignitatem faciet, quã noua, ſi alterutra opus ſit. Item, nomina frequentata & de verbis deflexa, uel ex nomine recenter facta, ſed rarius vſurpata orationem dignam reddunt. Vnde pro amare, amorem, pro currere, curſum dices, uel in participia ex illis aliqua conuertes: ut, in exordio Miloniano, & initio primi libri officiorum obſeruare licet. Rarior itaque uerborum uſus, & nominum continuatio dignitatem augent. Denique pronomina frequentata qnandam prę ſe dignitatem ferunt: ut, Credo ego uos iudices. &,

O Melibœe Deus nobis hęc ocia fecit. Vir. Eccl. 1.
Nanque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram.

Quare grauius quid ſonat, ſi dicas, Ipſe dixit, quam Pythagoras dixit.

Nona poſitio, dignitatis ſchemata, ſeu ſuffigurationes, ſunt eadem, quæ puri ſermonis. Sit itaque ſimplex dignitatis ſermo, ſine fuco, & affectatione: iunctura, ſua ſponte, non coacte ſequatur: ordo rectus, quia obliquitas cum

dignitate, ſicuti cum puritate pugnat. Incipiat ergo oratio a nomine & uerbo recto: quo modo ſuam orationem auſpicatus eſt ille, qui dixit, Vita breuis, ars uero longa, occaſio præceps, experimẽtum periculoſum, iudicium difficile: quamuis hæc digna ſententia, dicendi genere, nonnihil ſit extenuata. At quanto hæc, quæ ab illa non multum diſtat, melius tractata?

Hippoc.

Optima quęque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & durę rapit inclemẽtia mortis.

Vbi omnia ſunt digna, præter illud, Miſeris mortalibus, quod ad mores pertinet; ut ex ijs, quæ libro de Diſpoſitione oratoria diſputatione vigeſimaoctaua diximus cognoſcere licet. Hęc uero apud Tullium ſententia alias digniſſima, cum ſit uerbis inflexa, non parum dignitatis amittit. Principio generi animantium omni eſt a natura tributum, ut ſe, uitam, corpuſque tueatur. Sunt & alia priuata huius formæ ornamenta: & præſertim adiudicatio de qua paullo ante mentionem fecimus; cuius duo ſunt genera: alterum, cum Orator poſtremo loco ſuum iudicium interponit: alterum cũ uno, uel altero uerbo, propria aperitur ſententia; vt cum dicimus, vt arbitror, vt puto, mea

Lib. 1. off.

quidem

quidem ſententia, ut ego ſtatuo. Amat dignitas fluentem currentemque orationem; quo fit, ut interpoſitiones, hyperbata, conuerſiones, & ad id quod dicebatur reuerſiones grauitatem tollant, aut certe minuant: quare, ſi adſint faciunt dignitatem non puram: quę tunc pura cenſetur, cum interponitur nihil. In hac itaque dicendi forma vitandæ ſunt verborum declinationes, & apoſtrophæ, ſiue ad perſonas, ſiue ad interruptam fiant orationem: quippe quæ dicendi libertatem impediunt.

Decima poſitio, dignitatis membra erunt breuia, mediocria, maxime cum ſententiæ exponuntur generales, & axiomaticæ: aliàs membrorum productio honorem ac dignitatem habet. Nam ſententiæ vniuerſæ, vt quarto libro dicam, eo maiorem dignitatē retinent, quo paucioribus uerbis plura demonſtrāt. At vero oratio nō axiomatica, nec epitheta, nec participia refugit; ſed his ornata quaſi quodam cum ſupercilio, etiam in re tenui, honorifice incedit.

Vndecima poſitio, dignitatis collocatio, ſiue compoſitio, quę in vocalium coitione & pedum obſeruatione ſpectatur, non multum requirit curę; ſed maiorem in ſenſu, quam in uerbis diligentiam flagitat. Sat igitur erit, ſi exilium vocalium concurſus, & ſyllabarum

dignitate, ſicuti cum puritate pugnat. Incipiat ergo oratio a nomine & uerbo recto: quo modo ſuam orationem auſpicatus eſt ille, qui dixit,

Hippoc. *Vita breuis, ars uero longa, occaſio præceps, experimẽtum periculoſum, iudicium difficile: quamuis hæc digna ſententia, dicendi genere, nonnihil ſit extenuata. At quanto hæc, quæ ab illa non multum diſtat, melius tractata?*

Optima quęque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & durę rapit inclemẽtia mortis.

Vbi omnia ſunt digna, præter illud, Miſeris mortalibus, quod ad mores pertinet; ut ex ijs, quæ libro de Diſpoſitione oratoria diſputatione vigeſimaoctaua diximus cognoſcere licet. Hęc uero apud Tullium ſententia alias digniſ-

Lib. 1. off. *ſima, cum ſit uerbis inflexa, non parum dignitatis amittit. Principio generi animantium omni eſt a natura tributum, ut ſe, uitam, corpuſque tueatur. Sunt & alia priuata huius formæ ornamenta: & præſertim adiudicatio de qua paullo ante mentionem fecimus; cuius duo ſunt genera: alterum, cum Orator poſtremo loco ſuum iudicium interponit: alterum cũ uno, uel altero uerbo, propria aperitur ſententia; vt cum dicimus, vt arbitror, vt puto, mea*

quidem

quidem ſententia, ut ego ſtatuo. Amat dignitas fluentem currentemque orationem; quo fit, ut interpoſitiones, hyperbata, conuerſiones, & ad id quod dicebatur reuerſiones grauitatem tollant, aut certe minuant: quare, ſi adſint faciunt dignitatem non puram: quę tunc pura cenſetur, cum interponitur nihil. In hac itaque dicendi forma vitandæ ſunt verborum declinationes, & apoſtrophæ, ſiue ad perſonas, ſiue ad interruptam fiant orationem: quippe quæ dicendi libertatem impediunt.

Decima poſitio, dignitatis membra erunt breuia, mediocria, maxime cum ſententiæ exponuntur generales, & axiomaticæ: aliàs membrorum productio honorem ac dignitatem habet. Nam ſententiæ vniuerſæ, vt quarto libro dicam, eo maiorem dignitatẽ retinent, quo paucioribus uerbis plura demonſtrãt. At vero oratio nõ axiomatica, nec epitheta, nec participia refugit; ſed his ornata quaſi quodam cum ſupercilio, etiam in re tenui, honorifice incedit.

Vndecima poſitio, dignitatis collocatio, ſiue compoſitio, quę in vocalium coitione & pedum obſeruatione ſpectatur, non multum requirit curę; ſed maiorem in ſenſu, quam in uerbis diligentiam flagitat. Sat igitur erit, ſi exilium vocalium concurſus, & ſyllabarum

aſperitas mediocriter uitabuntur: quę duo non vitauit, qui dixit ,

Hora.lib. 1.ode.2. Piſcium & ſumma genus hæſit ulmo.

Et alio in loco.

Mox reficit rates quaſſas.

Quod ad pedes attinet, dignitati inſeruiunt dactylus, anapęſtus, epitritus, pæon, qui olim cultui diuino erat ſacer, & ſpõdeus, qui ob ſuã tarditatem neſcio quid auctoritatis & amplitudinis habet; vt in hoc Horatiano verſiculo cernitur:

Hora.lib. 1.ode.9. Vides ut alta ſtet niue candidum.
Soracte.

Grauis itaque pedum & uerborum tarditate redditur oratio; ut hic patet,

Aen.lib.2 Aut hoc incluſi ligno occultãtur Achiui.

Pro Sex. *Si quis antea mirabatur, iudices, quid eßet, quod pro tantis opibus, &c. Iambus etiam admittitur, quia ob longam ſyllabam in quã deſinit, quodammodo dictionem ſubſiſtere facit. Trochæum uero ob leuitatem, & ionicum atque choriambum propter mollitiem dignitas refugit.*

Duodecima poſitio, dignitatis clauſula, quę ſi ſit breuis, ſpectatur in toto membro, & maxime in poſtremo pede, debet eſſe firma conſtans, non pendula. Quare ultimus pes debet eſſe vnus ex grauibus, perfectis, & ex iis qui

plures habent ſyllabas. Spectatur etiam in clauſula literarum & ſyllabarum grauitas, in quas debet deſinere, in vocales nimirum & ſyllabas ſonoras, & longas, & potius in nomen quam in uerbum, Grauiter igitur digna oratio incedat, membris mediocribus, & pene paribus, grauiterque deſinat: ut illa,

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Quæ oratio, ſententiam continet, uniuerſe definit, honeſta habet epitheta, uerbum nullum, uocales ſonoras, iuncturam non mollem, licet ſit initio ſeuerior, pedes denique graues. Atque ex ijs patet, quid de dignitatis numero ſentiendum ſit.

Decimatertia poſitio, quod attinet ad numerum, is ex collocatione & clauſula conſurgit: & ſpeciatim ex clauſula, cuius bonitate corrigitur, ſi quid in reliqua orationis parte eſt peccatum: quo fit, ut clauſulæ maxima ſit habenda ratio; ex cuius uitio totus vitiatur rhythmus, qui ex pedum numero æſtimatur: et ita a frequentioribus nomen accipit. Sed de dignitate huc uſque.

De Aſperitate & Vehementia. Diſputatio VII.

HAC vna diſputatione ideo de duabus dignitatis partibus agemus, quia ſunt inter ſe maxima affinitate coniunctæ. Quę quoniam nonnihil difficultatis habent; propterea quaſdam dubitationes priore loco proponam.

Primum, hę duæ partes potius ad moratū quam ad amplum dicendi genus referēdæ ſunt; cum per eas aliquem increpemus, & arguamus quod ad mores pertinet. Deinde, aſperitas potius in vitijs morum & orationis collocari deberet: cum omnes bene viuendi, & dicendi artifices aſperitatem damnent. Præterea, aſperitas nullas uidetur habere ſubiectas ſententias, quæ tamen in omni forma neceßariæ cēſentur. Et ut illud etiam dixerim, cur non prius de ſplē dore, & uigore, quæ formæ maiorem cum dignitate cognationem habent, quam de aſperitate agitur?

Quod attinet ad ſententias, ſunt qui dicāt Hermogenem nullas aſperitati ſubieciſſe ſententias, ac proinde nullas ei aßignant; at vero alij maxime. Quid autem nobis veritati pro- Lul.

ximius uideatur, ſequentibus poſitionibus docebimus.

Prima poſitio, optimo iure aſperitas amplo dicendi generi & dignitati ſubijcitur. Nam, cum aſperitas atque vehementia quoddam dicendi genus elatum atque robuſtum requirant, profecto amplæ atque magnificæ dicendi formę ſubijci debuerunt.

Secunda poſitio, iure optimo aſperæ & uehementis orationis tractatio ſplendori & uigori præfertur: ſiquidem ſplendens ac uigens oratio, ex aſperitate atque vehementia conficitur.

Tertia poſitio, hæc forma dicendi aſpera, non eſt in uitijs morum, vel orationis ponenda. Etenim in utroque genere, ſępe cum uirtute aſperitas vſurpatur: ut ex ijs quæ ſtatim dicemus planum fiet.

Quarta poſitio, aſperitas eſt quoddam dicendi genus durum, acerbum, & ingratum, tum auribus ad audiendum, tum animo ad percipiendum, ob reprehenſionem erga magnas perſonas ab inferioris conditionis homine factam. Vel eſt oratio, qua ſine correctione ſuperiores perſonas increpamus: uel orationis compoſitio huiuſmodi increpationi accommodata. Trachetes.

Quincta poſitio, duæ ſunt aſperitatis formæ: una ſine correctione; altera cum correctio-

ne,

ne, per quam aſperitas lenitur: illa pura, hæc miſta nominatur aſperitas. Correctio autem, vel præmittitur, vel ſubijcitur reprehenſioni. Aſperitatis non correctæ tale eſt exemplum; An vero iudices vos ſoli ignoratis? vos hoſpites in hac vrbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures? neque in hoc peruagato rumore verſantur? correctæ tale, Hic ego *veſtram prudentiam requiro, priſcam conſuetudinem exopto, patrum veſtrum veſtigia imitanda cenſeo. Et quidem rarius* Orator *ſine correctione increpat: quæ tunc prætermitti poterit, cum ita maiores obiurgantur, vt ipſi ſe obiurgandos eſſe existimant. Vt cum in aliquid incommodi ceciderunt, aut quia noſtris conſilijs non obtemperarunt, aut omnino ſua culpa, & ea non parua, ob quam factum eſt, vt ſe dignos increpatione iudicent.*

Sexta poſitio, aſperitati aliquæ ſunt aſſignandæ ſententiæ. Quoniam, non tam uerba, quam res ipſæ hominibus duræ atque aſperæ uidẽtur: quod ſanę mentis negaret nemo. (Plato in Symp.) *Aſperæ itaq; ſententiæ illæ putantur, quæ ſunt ingratæ, moleſtæ, quę vituperant, quę periculum prędicunt, quæ dedecus indicant: iuuenilis oratio quæ monitionibus reluctatur; & id genus aliæ: quas ad illa quattuor genera proxima diſputatione recenſita, referres: in quorum primo continentur ſen-*

ſententiæ, de inferis, de æternis cruciatibus: in ſecundo, aliæ de terremotibus, tempeſtatibus, procellis, alluuionibus, venenis & ſordibus: in tertio, aliæ de miſeria, infamia, furore, dementia: in quarto, aliæ de turpiter & inhoneſte geſtis, de fuga, proditione, & de rapina.

Septima poſitio, aſperę orationis tractatio debet eſſe nuda, clara, ſimplex, ſine hæſitatione & dubitatione, ijs remotis, quæ leniunt, aut mitigant ſententias: quare quantum lenitatis acceſſerit, tantum de aſperitate detrahetur: & ut uniuerſa oratio magis ad dignitatem accedit; ita quo magis erit ad ſingula contracta, eo maiorem aſperitatem habebit. Vnde lenius dixit Cicero, Num quis igitur eſt tam demens, qui hoc P. Clodio uiuo, contingere potuiſſe arbitretur? quam ſi dixiſſet, Eſtis ergo tam dementes. Quo fit, ut nec oratio, qua æque omnes continentur, ſit tractationi aſperę omnino accommodata: ſicut nec ea quę multum erit extenſa, & dilatata.

Octaua poſitio, aſperitatis forma dictiones requirit aſperas & duras. Eſt autem aliqua dictio aſpera, uel ſuapte natura et ſono; ut ſunt illę, quę conſtant literis aſperioribus, rixantibus, male coeuntibus, & pronuntiatu difficilibus: ut, excors, carpſit, perfert, expers, extorquere, ex lex: vel ſignificatione, ut parricida,

tyran-

tyrannus: uel artificio, vt ſunt verba vel longius translata, ut ueſtræ peregrinantur aures, vel ad aſperitatem deflexa; ut hoc in loco:

——Natumque patremque
Lib. 4. Aen. Cum genere extinxem.

Denique, aſperitas potius uerba, quam nomina deſiderat, & epitheta nominum pauca, raraſq; coniunctiones: quibus ut abundat Iſocrates, ita caret Demoſthenes, qui uehemētię ſtudebat.

Nona poſitio, aſperitati hæc inſeruiūt ſchemata. Quæ cum interrogatione arguunt, allocutiones imperioſæ, minæ, indignationes, querelę, ut, Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? Sunt uera quę cernitis, an falſis imaginibus deluduntur oculi? Sapite aliquando, Quirites: & apud Virgilium, Li. 1. Aen.

Lib. 4. Maturate fugam.

Item,

Nuſquā tuta fides: eiectū litore egentem
Excepi; & regni, demens, in parte locaui.

Similiter, ironiæ ſarcaſmi, mycteriſmi, & conceſſiones ironicæ: ut,

Aen. li. 4. Neque te teneo, nec dicta refello:
I, ſequere italiam ventis, pete regna per undas.

Has igitur & harum ſimiles figuras genus dicendi aſperum expoſcit.

Decima poſitio, aſperitatis membra debent

eſſe

eſſe breuia, & commatica; ut cæſa potius, quã membra uideantur: & quo erunt breuiora, eo erunt aſperiora. Languida enim eſt oratio, quæ in obiurgando fuerit productior; ut,

Nam quid diſsimulo? aut me ad maiora
  reſeruo?

Num fletu ingemuit noſtro? num lumi-
  na flexit? Aen. li. 4.

Vndecima poſitio, huius formæ compoſitio, ſiue iunctura debet eſſe aſpera: cuiuſmodi erit, ſi eligantur uerba quæ difficilem habeant pronuntiationem: quę ita collocanda ſunt, ut pronuntiatio ſit difficilior, curſus aſperior: adſint uocalium colliſiones, & concurſus. Pedum nulla ſit obſeruatio, ſed indifferenter uſurpentur trochæi, tribrachi, geminati ſpondei, moloſſi: ita ut oratio ſonum numeroſum non habeat. Vt, cuius ego cauſſa laboro? Item, Non tu eũ patria qua caret, priuare ſed vita uis. Item, Inſidiatori uero & latroni, quę poteſt inferri indigna nex? ſint itaque pedes incompoſiti, & ſine metro, ut aſperior ſit compoſitio. Pro Lig. Pro Mil.

Diſsimulare etiam ſperaſti perfide tantũ
Poſſe nefas?

Duodecima poſitio, clauſula quæ præcipuã vim habet ad exprimendam hanc orationis formam debet eſſe impedita, moleſta; quam non raro occupet monoſyllaba, & potius uerbum,

quam

quam nomen; vbi commode contumelioſa uox reſidet, aut alia horridior; ut,

Vir. Aen. lib.4.

Nec te diua parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: ſed duris genuit te cautibus hor rens
Caucaſus; Hyrcanęque admorunt vbera tygres.

Vbi in fine membrorum eius generis notabis uoces, quas in fine requiri diximus: ac etiam membra curtiora, quæ, licet ob epitheta paulo lõgiora ſint; tamen ſua aſperitate, aſperitatis nihil tollunt: quamuis illud, Admorunt vbera, pro lactarunt, per periphraſim ſit diductum.

Decimatertia poſitio, ſi hæc forma compoſitionem & clauſulam talem habuerit, ut diximus, habebit etiam numerum ſibi congruum quare de numero nihil dicendum occurit.

Decimaquarta poſitio, aſperitati contrari eſt ſuauitas, quæ aures & animum demulcet Et hæc de aſperitate ſatis: nunc de Vehemen tia, quam alij Acrimoniam uocant, has alia poſitiones ſtatuo.

Decimaquincta poſitio, Acrimonia eſt ueh mens oratio, qua ęquales, uel inferiores aper carpimus, uel, uehemens oratio in qua nihil e lenitatis, nullus deprecationis locus, oratio i

quam

quam fortis, ſeuera, robuſta aduerſus inferiores perſonas.

Decimaſexta poſitio, quamuis aſpera & uehemens oratio inter ſe cognatæ ſint; tamen non nihil differunt. Primum, ratione perſonarum ad quas diriguntur, ut ex earum patet deſcriptionibus: cum illa adhibeatur in ſuperiores, hæc uero in æquales, & inferiores; & aliquando etiam in maiores, ſi ſint hoſtiles perſonæ. Deinde, uehementia maiores reprehenſiones & criminationes admittit, quæ ſunt fere conuicia. Differunt, denique ornamentis uarijs, quibus tractantur, ac etiam contrarijs, cum uni unum, alteri alterum opponatur. Cæterum, Vehementia nihil aliud eſſe uidetur, quam aſperior quædam Obiurgatio, & uehementior aſperitas. Nam, quod maiore cum ardore atque audacia facit Vehementia, idem mitius atque remiſſius, & cum quadam reuerentiæ ſignificatione pręſtat Aſperitas. Quæ & ſi uera ſint; tamē de huius quoque formæ partibus aliquid breuiter ſubijciemus.

Decimaſeptima poſitio, huius formæ ſententiæ debent eſſe acres, quæ contineant reprehenſionē, increpationemq; eorum, quos vituperari & exagitari ſit auditoribus iucundū: Exēpla paſſim tibi ſuppeditabūt Catilinarię, Verrinæ, Antonianæ, et ea quę eſt in Piſonē oratio.

Deci-

Decima octaua poſitio, Vehementiæ methodus eadem eſt fere quæ aſperitatis, clara, aperta, libera, ardens, ſine ulla mollitie, lenitate, et correctione: qualis eſt iſta, Non enim nos color iſte ſeruilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam mentis tacitus eſt, hic in errorem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, in errorem deduxit; pauci iſta tua lutulenta vitia noueramus.

Decimanona poſitio, uehementia eandem requirit dictionem, quam aſperitas, duram ſcilicet, ingratã, & aſperam, uel ſua natura, uel translatione; cuiuſmodi apud ſatyricos poetas eſſe ſolet. Liberiores itaque uehemens dictio requirit translationes: ut, ſemiuſtulatus, coenum, lutum, ſordes, tenebræ quibus uocibus in Piſonem utitur Cicero.

Vigeſima poſitio. Vehementia iiſdem utitur figuris, quibus aſperitas: ut apoſtrophe, ſeu appellatione, interrogatione (in rebus maxime, quibus contradici non poteſt) demonſtratione, ſiue hypotypoſi rerum turpium & triſtium: quæ demonſtratio iuuatur pro nominibus demonſtratiuis, hic, iſte: ut, iſte eſt, qui remp. euertit: huc deniq; faciunt repetitiones.

Vigeſimaprima poſitio, Vehementia requirit

it eadem membra. quæ aſperitas: curta ſcilicet: & cæſa, quæ vehementiora ſunt: ut, ego multa tacui, multa pertuli, multa conceſſi, multa quodam meo dolore, in veſtro timore ſanaui. Catil. 4.

Vltima poſitio, quod attinet ad compoſitionem, & clauſulam, & numerum, compoſitio colliſiones & hiulcos vocalium concurſus admittat: ſit ſine conſecutione & ſuauitate, & numero, ita ut ſit diſſoluta, & magis aures exaſperet: clauſula nullo certo pede, ſed nunc vno, nunc altero terminetur: vnde exorietur numerus acri & vehementi orationi accommodatus, aſper nimirum atque moleſtus. Denique, vt huic diſputationi ſit finis, Vehementiæ opponitur lenitas, remiſſa uidelicet oratio.

Quæ allata ſunt argumenta facile ſoluuntur. De primo, cum in his formis non ſit morũ deſignatio per ſe, non ad moratam, ſed ad magnam & amplam orationem ob dicendi modum referendæ ſunt. Quod attinet ad ſecundum, iam diximus, cur in uitijs poni non debeant: cum utraq; in vtroque genere cum virtute vti poſſimus. Poſtremum nihil concludere ſatis patet: quoniam, vt non ſemel dictum fuit, non eſt neceſſe vt in omni idea illę octo partes diſtinctæ reperiantur.

De ſplendore atque Vigore. Diſp. VIII.

PROPTEREA de his duabus amplitudinis formis una & eadem diſputatione agemus, quod magnam inter ſe conuenientiam habent: ad quas explicãdas, cum hic nihil dubitandum occurrat, unum, vel alterum ad notabo.

Primum, tria, ut quibuſdam placet, diſtinguenda ſunt dicendi genera: unum fuſum atque perpetuum: alterum cõciſum, interruptũ, & altercatorium: tertium quaſi medium, ac temperatum, quo qui dialogos ſcribunt, uti conſueuere; ſicuti Oratores vno, & altero: illo, cum exordiuntur, cum narrant, & deſcribunt; hoc, cum altercantur, cum teſtes exagitant, cum aduerſariorum rationes refellunt.

Deinde, tres poſſumus diſtinguere feſtiuitatis, ſeu venuſtatis & ſplendoris partes: unam affectatam, & laſciuientem, in qua quædam iuuenilis ineſt feſtiuitas: cuiuſmodi eſt oratio florida, nitida, atque ſuauis: quæ in rerum deſcriptionibus, vt montium, aliorumque locorum, ac perſonarum adhiberi ſolet. Hoc feſtiuitatis genus olim ſophiſticum

fuit

fuit appellatum, quod Gorgias Leontinus, & Iſocrates excoluere; qui ſplēdida et ſuaui oratione, potius ad populares aures, & ad concionē, quam ad forenſes cauſſas accõmodata utebantur. Altera feſtiuitatis forma eſt illa, quæ cernitur in oratione accurata, diligenterque compoſita, oratorio tamen modo; quam orationem Cicero concinnam vocat: in qua paria paribus, & contraria contrarijs redduntur, & ſimiliter cadentia deſinentiaque ponuntur: quod quidem dicendi genus eſt exile, et nullam elationem habet. Tertia, eſt illa, quę cum quadam dignitate eſt coniuncta; & ſententias dignas fiduciæ plenas, membra longa, & grauia habet. Differunt hę tres uenuſtatis formæ, ſicuti homo iuuenis, homo diligens, & homo ſplendidus. Ex his tribus formis, prima & ſecunda a ſplendore reijciuntur; iuuenilis ſcilicet, & ſophiſticus fucus, nimiſque diligens & exquiſita cõpoſitio. Etenim ſplendor requirit quoddam dicendi genus graue, luminoſum tamen, & digne ornatum; ita ut lucem quandam ac magnificentiam præ ſe ferat, & cum dignitate fulgeat. Atque his notatis, has ſtatuo poſitiones.

Epimelia.

Axiomaticon.

Prima poſitio, conuenienter poſt aſperam & vehementem orationem, agitur de ſplendido ſermone. Etenim cauendum eſt, ne oratio ob

dignitatem, aſperitatem, & vehementiam, in horridam, aridamque & obſcuram degeneret. Quare, ni aliquid terſum & illuſtre in noſtra oratione appareat, quo auditor recreari, ac refici, & quodam modo frontem exporrigere, poſſit, omnis dignitas inſuauis & horrida proculdubio fieret. Cum itaque auditoris animus orationis ſplendorem viderit, totus dilatatur, & recreatur: Non ſecus atque oculi, cum poſt obſcuram procellam ſolis radios inſpexerint. Ideo autẽ hæc forma Vigori præponitur, quia Vigor ſplendore eget.

Secunda poſitio, ſplendidum ſiue illuſtre orationis genus eſt, quod habet feſtiuitatem, ſeu uenuſtatem maturam, non iuuenilem, nec compoſitionem nimis accuratam, ſplendidam tamen. Vel illuſtris oratio ea eſt, quæ magna ...12ap. *& clara compoſitione his rebus conuenit, quibus gloriamur.*

Tertia poſitio, ſplendoris ſententiæ ſumuntur a rebus illuſtribus & pretioſis, vel natura, vel hominum æſtimatione: ut a luce, ab Lãbrotes. *auro, gemmiſque. Huc pertinet deſcriptio regiæ ſolis apud Ouidium.*

Regia ſolis erat ſublimibus alta colũnis,
Met.lib.2 Clara micante auro, flammaque imitante pyropo.
Cuius ebur nitidum, &c.

Item,

Item, a rebus, quas ſupra in diſputatione de dignitate, in quarto præſertim genere, contineri diximus: ut ſententiæ de bona ſpe & fiducia, de gloria, de rebus magnis a ſe vel ab alijs prçclare geſtis, quæ ad reip. vel multorum ſalutem pertinent; quæ tamen ſine oſtentatione cõmemorari debent. Cicero aliquando ſplendide de ſe locutus eſt, Ego conſul, cum exercitus perditorum ciuium, clandeſtino ſcelere cõflatus crudeliſſimum & luctuoſiſſimum exitiũ patriæ comparaſſet, cum ad occaſum interitũque reip. Catilina in caſtris, & quæ apud ipsũ ſequuntur. Item, ſententiæ de rebus quas auditores cum uoluptate audiunt: vt Romani de ſuorum maiorum geſtis, Veneti de ſuis, et quiuis populus de natione ſua: vt, eſt apud Ciceronem, Duris quondam temporibus reip. noſtræ, cum præpotens terra marique Carthago, nixa duabus Hiſpanijs, huic imperio immineret. & quç apud ipſum ſplendide dicta ſequũtur. Quæ igitur ex hiſtoria ſumuntur ſententiæ, illuſtrẽ ac ſplendidam orationem reddunt. Ea de cauſſa Romanus orator, Romanæ hiſtoriæ exemplis frequenter ſuas orationes illuſtrat. Huc denique pertinent ſimilitudines, comparationes, deſcriptioneſque perſonarum, atque locorum, quæ materiam amplam ad illuſtrandum præbent: vt,

Pro P. Sy.

Pro Cor. Bal.

Virg. Aen. lib. 11. Forte ſacer Cybele Chloreus, olimque ſacerdos,
Mac. Sat. lib. 5. c. 1. Inſignis lōge phrygijs fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumā ſquamis, auro cōſerta tegebat.
Ipſe peregrina ferrugine clarus & oſtro
Spicula torq̄bat Lycio Cortynia cornu.
Aureus ex humeris ſonat arcus, & aurea uati
Caſsida: tum croceam chlamydemque, ſinuſque crepantes
Carbaſeos fuluo in nodum collegerat auro.
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Sed de ſententijs hactenus: nunc de methodo.

Quarta poſitio, ſplendoris methodus, ſiue ductus, potius obliquus, quam rectus eſſe debet: cum rectus conueniat dignitati, quæ non amat ornatum, qui in ſplendore deſideratur. Inflectenda itaque erit oratio, & circunſtantijs, epithetis, quæ ſunt ſplendoris propria, veſtienda. Sit deinde oratio continuata, non impedita, quam declinationes, reuerſiones, interciſioneſque impediunt, & retardant, atque minus ſplendidam reddunt: ut, O dij immortales, Pro P. Syl. *vobis enim tribuam, quæ noſtra ſunt, nec enim*

poſſunt

poſſunt tantum ingenio dare, vt tot res, tãtas, tam varias, tam repentinas, in illa turbulentiſſima tempeſtate reip. mea ſponte diſpenſauerim, uos profecto animum meum, &c. Verũ orationis rectitudo cum obliquatione permiſta, multum ſplendoris habet. Quare, a puro ſermone, qui rectitudine conſtat, ad obliquum & interruptum procedendum eſt; ne ſi recta incederet oratio, euadat pura: quod uſuuenire poteſt, cum res puræ narrantur quod eſt ſplendori contrarium: cum ſplendor magis ad res amplificandas, quam narrandas adhibeatur. Præterea, omnis remoueatur dubitatio: cum fiduciæ ſignificatione & aſſeueratione dicatur; prudenter tamen, & non impudenter. Aſſeuerationem iuuant verborum iterationes, immorationes, adiudicationes, & iuramentum. Denique cataſtaſes & inſtaurationes, ad illuſtrandam orationem nonnihil conferunt.

Quinta poſitio, ſplendida dictio eſt eadem quæ dignitatis, ſiue grauitatis; hoc eſt, ampla, ſonora, moderate immutata. Conferunt ad ſplendide dicendum, verba immutata, ſiue coniugata, participia, & nomina ex uerbo facta variandæ orationis cauſſa; vt audacia, audax, audactor, atque etiam epitheta, quæ uim ad illuſtrandum habent præcipuam: ut in hac illuſtri patet oratione.

Cæruleos habet unda Deos, Tritona canorum,
Proteaque ambiguum, balenarumque prementem
Aegæonta, ſuis immania terga lacertis;
Doridaque & natas: quarum pars nare uidetur,
Pars in mole ſedens uirides ſiccare capillos.

Sexta poſitio, ſplendoris ſchemata, quæ ad dictionem referuntur, ſicuti methodus ad ſententias, ſunt illa, quæ ſpeciem ac magnificentiam continent; ut ſunt omnia quæ orationem diducunt, quæ augent, quæ rem demonſtrant; ut periphraſis, deſcriptio, ſuffiguratio, & aliæ generis eiuſdem.

Septima poſitio, ſplendoris membra debent eſſe longiora & continuata: cum nihil æque ſplendori aduerſetur, ut genus dicendi commaticum atque dialecticum; non paria, ſed prope æquata.

Octaua poſitio, collocatio ſiue compoſitio in ſplendore eadem erit, quę & in dignitate, aut certe mollior, non affectata; quæ ſonoribus & ſuauibus vocibus conſtet, remotis coniunctionibus: & ſi quid connectendum eſt, uſurpentur, que, & ue.

Nona poſitio, quod attinet ad clauſulam et nu-

numerum, eadem retinenda eſt in ſplendore & doctrina, quam ſupra de Dignitate agentes tradidimus. Cæterum congruenter in medio orationis choręus & trochæus adhibentur, ut oratio magis fluat: at uero clauſula numerum grauem requirit; ut dactylicum & ſpondaicum: ut, ſed trophæis, quę multis uictoriis erat iam diu, triumphiſque pacata.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Verſus eſt dactylicus, qui ſplendorem & grauitatem habet: vbi multas ſyllabas paucis accentibus comprehenſas vides: qui ſi plures fuiſſent, celerem orationem feciſſent.

Decima poſitio, oratio ſplendori contraria, eſt ieiuna & ſqualida: quæ in rerum luce & verborum ſqualore horret. Hactenus de ſplendore, ſequitur Vigor.

Vndecima poſitio, hæc forma quę ab Hermogene Acme nominatur, latine, alij vehementiam, alij ſublimitatem & magnificentiam, alij vigorem a uerbo, uigeo appellant; ut deſignent eam perfectionem, quam per hanc formã conſequitur oratio: qualem in integræ atque adultæ ętatis uiris cernimus: quem ſtatum, nos iuuentutis florem, Græci acmen vocant. Hi enim eam perfectionem, ſiue ſtatum, ad quem vnaquæque res per incrementa peruenit, acmen Iſocr.

men dicunt: quo verbo Medici ad ſummũ morbi ſtatum deſignandum, uti conſueuere.

Duodecima poſitio, huius figurę uis atque natura in eo ſita eſt, ut oratio per eam vegeta, fortis, atque robuſta appareat: ne langueſcat, & quaſi ſenili debilitate deficiat; ſed potius uigore ſuo tela in aduerſarios contorqueat & in ſe coniecta repellat.

Decimatertia poſitio, hæc dicendi forma ex alijs ſuperioribus conficitur formis, ex aſperitate, vehementia, atque ſplendore. Quare, ſi ſententijs aſperis, & ſchematis acrioribus membra & numerum ſplendoris adijcias, uigorem efficies. Verum, quamuis ex aſperitate & vehementia vigeat oratio; tamen huiuſmodi dictio magis aſpera, quam nitida, cenſenda erit. Quo fit, vt potius ex ſplendore & vigore quædam exoriatur forma, quæ vigere dicatur; quæ magis ſplendeat, quàm ardeat, quamuis ſua vehementia lacertiſque non careat. Nam, cum tota compoſitio ſit ſplendoris, & certa ſententia ſine hæſitatione in aliquam perſonam dirigatur, quod eſt ſplendoris proprium, & plura ad vigorem, quam ad aſperitatem concurrant, & nonnihil iucunditatis habeat, magis eum cum ſplendore, quam cum vehementia conuenire, & dignitate magis vigere, atque extare dicemus. Erunt itaque uigo-

vigoris ſententiæ eædem, quæ in aſperitate & vehementia. Methodus ſimiliter, qui tamen pro re ipſa variabitur, vt modo rectus, modo obliquus ſit. Idem de dictione dicas: quę potius ad ſplendorem & grauitatem accedet; cum debeat eſſe temperata: ideo durę tranſlata lenienda erunt. Vigor iÿſdem gaudet ornamentis quibus ſplendor: vt ſunt, Sentẽtiarũ diſſolutio: oratio a periodis & continuatione remota: concluſione facta, noua ſequatur propoſitio, vbi ſpiritus reſumitur, & oratio recreatur; vt poſtea neruoſius, & uirilius agat. Vt ecce, Quę res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia & eloquentia: quorum alterum C. Aquili, vereor, alteram metuo, & quæ apud Tullium ſequuntur. Fit autem ſeparatio, ſiue diſſolutio, cum particulę copulatiuę remouentur: cum periodi inter ſe ſeiunguntur, & oratio nouum quaſi principium ſumit: cum præmittitur præmunitio, quam ſequitur apoſtaſis, hoc eſt, oratio ab antecedentibus & conſequentibus ſeparata. Ornant etiam hanc formam ſphodrotetos, id eſt vehementiæ figuræ; apoſtrophe, ſiue appellatio cum redargutione, & demonſtratione, qua aliquid euincitur: & denique reprehenſionis ornamenta iteratione confirmata. Membra ſint longiora, vt in

Pro Quiſ.

ſplen-

ſplendore, cum articulis & commatibus. Denique collocatio, clauſula ac numerus eadem erunt, quę in ſplendore. In ſumma, tum uigor ſe ſe oſtendet, cum aſperitas, ſeu vehementia cum ſplendore concurret. Non autem eodem modo puritas & elegantia ad claritatis ideā conficiendam conueniunt; cum, alterutra tantum, claritas fieri poſſit. Itaque uigor, quaſi iuuenilis quædam oratio ad omnes poteſt ſe ſe accommodare partes. Tunc autem maxime vigor extat, cum increbeſcit oratio, & a minori numero, pedibuſve ad maiores gradatim aſcendit, et poſtea ad quietem tandem deſcendet: ut in hoc patet exemplo,

Geor.li.1. An Deus immenſi venias maris, ac tua nautæ
Numina ſola colant.

Act.1. In Ver. *Vt autem huius formæ vis atque natura melius perſpiciatur, hoc illuſtre ex Cicerone ſumptum ſubijcio exemplum. Putaſne te poſſe de maximis, acerbiſſimiſque rebus, cum cauſſas ſociorum, fortunaſque prouinciæ, ius populi, & grauitatem iudicij, legumque ſuſceperis, tot res, tam graues, tam uarias uoce, memoria, conſilio, ingenio ſuſtinere? Putas ne te poſſe quę C. Verres in quæſtura, quæ in legatione, quę in prętura, quæ Romę, quæ in Italia, quæ in Aſia, Pamphiliaque peccauerit, ea quemadmodum*

modum locis, temporibuſque diuiſa ſunt, ſic criminibus & oratione diſtinguere? Putas ne te poſſe id, quod in eiuſmodi reo, maxime neceſſariũ eſt facere, vt quę ille libidinoſe, quæ nefarie, que crudeliter fecerit, ea æque acerba uideãtur eſſe ijs, qui audient, atq; illis qui ſenſerunt. Huius orationis illuſtris eſt compoſitio, conuerſio acris, repetitio ſplendidiſſima: hic membra longiora, inciſiones, immorationes, expolitiones, incrementa, ſpirituſque productio.

Decimaquarta poſitio, quamuis uigor ex alijs partibus ſit conflatus: tamen cum aliæ formæ ſine vigore eſſe poſſint, ab illis diſtinguẽdus fuit: & ibi uigor eſſe dicetur, vbi aliarum formarum partes reperientur: ex quibus, oratio quaſi regia & magnifica pompa conſtruitur.

Vltima poſitio, vigori opponitur forma dicendi imbecillis, languida, atque frigida. Quod autem ad huius formę vſum attinet; hoc dicendi genere utimur in foro cauſſiſque iudicialibus, & in ijs partibus, quæ ſub iudicio continentur: cum in his, non tam ſplendide, quam neruoſe dicendum ſit.

De

De circumductione, ſiue compre- henſione. Diſp. IX.

Peribole.

MAGNITVDINIS partes hactenus explicatæ, magnam profecto orationem efficiunt: Sed ni circumductio accedat, non dũ eam magnitudinẽ habebit, quã habere poteſt, & eam, quæ magnos efficit oratores: genus nimirum dicendi, circumductum, accumulatum, & exaggeratum: de quo hac diſputatione a nobis dicendum eſt.

Prima poſitio, huius formæ cognitio eſt maxime vtilis ac neceſſaria. Primum, quia eſt valde accommodata ad magnitudinem faciendam; adeo, vt oratio ſine alijs formis magna eſſe poſſit, ſed ſine circumductione minime. Erigit itaque circumductio orationem, nec eã iacere permittit. Deinde, quia neceſſaria eſt in omni dicẽdi genere, et in omni re, etiam tenui, vbi aliquid grauitatis deſideratur: ac proinde & in publicis & in priuatis cauſſis vſui eße ſolet. Poſtremo, quoniam optimi quique Oratores hac dicendi forma maxime vſi ſunt, alij non item. Non tamen eorum ſententiam approbauerim, qui omnia per circumductionem dicenda putant, & nihil abunde & ample dici poße

ti poſſe arbitrantur; niſi fuerit circumductum.

Secunda poſitio, circumductio eſt orationis congeries, quæ multitudine rerum longius cõpoſitionem protrahit, genus nimirum dicendi accumulatum, copioſum, atque exaggeratum; vbi omnia miſte, plene, compoſite, coagmentate, multipliciterque dicuntur. Quo fit, ut non modo rerum, ſed etiam uerborum copia hoc orationis genus redundet. Trap.

Tertia poſitio, tria ſunt circumductionis genera, ſicuti & dicendi, amplum, contemperatum, & tenue. Sunt itaque aliquę circumductiones amplæ & magnificæ; vt illa initio exordij Miloniani: aliæ exiles & humiles, ut ſunt multæ in epiſtolarum initijs: alię quaſi mediæ & temperatę, ut illa apud Tullium initio primi officiorom libri.

Quarta poſitio, quamuis circumductio potiſſimum in tractatione ſpectetur, et nullam certam videatur habere ſubiectam materiam, ſiue ſententiam: tamen aliquo pacto ei quaſdam ſententias aſſignare licet. Illæ igitur ſententiæ orationem faciunt circumductam, quæ ad cumulandam exaggerandamque orationem conferunt, ut ſunt illæ, quæ aliquid aßumunt. Harum ſententiarum partes tres aſſignat Hermogenes: aliæ aſſumunt ſubſtantiam, quæ continet genera & ſpecies: vt ſi dicas, mendax & Preataleptice.

improbus

improbus: aliæ quantitatem finitam, uel infinitam, ut non ſolum vnus vel alter, ſed multi, innumeri, omnes: aliæ quantitatis partes; ut, toto corpore, & maxime oculis deformis. Illæ igitur ſententiæ, quæ aliquid deforis aſſumunt vim circumducendi habent: Vt, quod ſi eſſet aliquando futurum, vt aliquis de L. pernicie cogitaret, nunquam tamen exiſtimaui, iudices, Decium Lelium optimi viri filium, optima ipſum ſpe præditum, ſummam dignitatis eam ſuſcepturum accuſationem, &c. Itē Si vnquam reſp. conſilium, grauitatem, & prudentiam ſapientum iudicum implorauit, hoc tempore, hoc inquam tempore implorat. Item, Nulla dubitatio, & ſi patriæ omnia debemus, nos quoque ipſos ei debere: qui autem ſeipſum, debet, eum ſua non debere non ueriſimile eſt. Prolepſis itaq; vel ſuperiora, vel maiora, vel minora aſſumit. Præterea partitiones, & numerationes, quę perſpicuitati ſunt accommodatæ circumductioni etiam inſeruiunt: cum circumducta oratio debeat eſſe quoque perſpicua. Aſſumuntur præterea ad circumductionem faciendam, & ad negotij explicationem, adiuncta rerum, perſonarum, locorum, cauſſarum, occaſionum, modorum, temporum, & conſequentia: & non ſolum quæ acciderunt, ſed etiam quę accidere potuerunt. Exemplum habes

Pro Flac.

hes in Miloniano exordio in principio, & rurſus eo loco, ubi Orator, ait, Nam ſi vnquam de bonis & fortibus uiris, ſi vnquam de bonis ciuibus, &c. & initio primi officiorum libri. Itaque circumductio fit ſententijs, quibus aliquid aliunde aſſumitur, & rei qua de inſtitutus eſt ſermo, applicatur: ſententijs quę habent adiunctorum aſſumptionem & conglobationem: & ijs, quæ locis dialecticis amplificari poſſunt; item ijs quæ conſecutionem habent, ut cum id quod fieri debet, aut factum, non factũue eſt, exponitur: denique orationem obliquãt diſtinctiones, partitiones, exęquationes, ſubcõtinuationes, occupationes, & ſuppoſitiones; vt,

Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros, Vir. lib. 2. Aen.
Et breuiter Troię ſupremum audire laborem,
(Quamquam animus meminiſſe horret luctuque refugit)
Incipiam.

Quincta poſitio, potiſſima circumductionis tractandæ ratio, eſt Anaſtrophe, hoc eſt, poſt poſitio, ſeu rerum & ſententiarum inuerſus ordo, dum poſteriora priore, & priora poſteriore ponuntur loco: quod & in rebus geſtis, & in orationis collocatione fit; vt, cum con-

cluſiones rationibus, & rationes propoſitionibus anteponuntur: eſt itaque anaſtrophe, altera naturæ, altera orationis. Hæc autem inuerſio nō temere, ſed cum ratione fieri debet; vt ad amplificandum, uel ad morum ſignificationem præbendam: alias enim uitio non careret. Deinde, ſit circumductio verborum interpoſitione, ſeu parentheſi; ut patet in exemplo ex Marone paullo ante allato. Poſtea, cum abſoluta periodo aliquid adijcitur; ut videre licet in Quintiano exordio. Ad hæc tractandi ratio per commorationem eſt ad circumducendū aptiſſima: ſicuti etiam congeries, enumeratio, adiudicatio, & occupatio. Denique, huic formę grauitatis, ſplendoris, & vigoris methodus inſeruire poteſt. Verum, cum anaſtrophe priuate circumductioni ſit accommodata, ideo de ea Hermogenes potiſſimum mentionem fecit: applicatur enim ad dictiones, ad tempora, & ad omnes orationis partes: ac proinde hac tractandi ratione crebrius utemur: ita tamen, ut modus adſit.

Epiſinapſis.

Sexta poſitio, quod attinet ad dictionem, circumductio nulla habet propria uerba, cum tota eius vis poſita ſit in ſententijs, methodo, & ſchematis, ſitque circumductio omnium rerum, ſiue graues, ſiue aſperæ, ſiue vehementes & vegetę ſint: quo ſit, ut harum formarum

verba

verba in formam circumductam cadant. Ideo Hermogenes damnat eos, qui dicunt dictiones iſodynamundas, hoc eſt, æquipollentes, & idẽ ſignificantes, eſſe circumductionis proprias. Et quoniam orationis copia debet eſſe grauis, non ſuperflua non redundans; propterea eius pleonaſmi non debent eſſe otioſi, ſed aſſeuerantes & neruoſi. Itaque iſta dictionum coaceruatio magis ad methodum & figuram commorationis pertinet, quæ non rebus, ſed verborum conſecutione fit: quæ & ſi orationem circumductam reddit, id tamen efficit prout ad methodum & figuram commorationis confert, per quam ſępius eandem rem varijs verbis repetimus: vel ad aſſeuerationem, uel ad amplificationem, & perſpicuitatem. Concludamus igitur nulla eſſe propria huius figuræ verba.

Septima poſitio, circumductionis figuræ, vniuerſe loquendo, ſunt omnes illę, quæ non efficiunt ſententiam perfectam, ſed auditoris animum ſuſpenſum tenẽt; cuiuſmodi ſunt iſtę, Enumeratio, qua quæ dicenda ſunt, breuiter proponuntur: quæ non modo perſpicuitatem parit, ſed etiam rerum expectatione ſuſpendit, & circumducit, maxime cum longior erit: vt, Ego hæc duo quæro, primum qua ratione Nę uius ſuſceptum negotium non tranſegerit, Pro Quin. *hoc eſt, cur bona, quæ ex edicto poſſidebat, non*

vendiderit: deinde cur ex tot creditoribus, &c. Ordinatio, ſeu rei numeroſæ in ordinem digeſtio, quam aliqui a ſuperiore nòn diſtinguunt: in quibus adhibentur hæ particulæ, primum, principio, deinde, poſtea; vnum & alterum, duo, tria; & ſimiles: ut, Duo hęc opto, unum ut moriens P. Romanum liberum relinquam: alterum, vt cuique eueniat, vt de rep. quiſque meretur. Vbi animaduertendum eſt enumerationẽ, digeſtionemue duobus modis effici poße, vno modo ſimpliciter, cum nullæ ſententiæ interſerũtur, quo modo Dialectici numerare ſolent: altero, non ſimplici, ſed pleno & amplo, cum ſententiæ intermiſcentur, qui modus dignitatem habet, eoque Oratores vtuntur. Electio, ſiue delectus cum ita res aliquæ recenſentur ac digeruntur, vt vna alteri præferatur, & quaſi interpoſito iudicio præeligatur. Sunt enim aliquæ digeſtiones ſine ulla dignitatis ęſti-Lib. 1. de belloGal.*matione, qualis eſt iſta apud Cæſarem, Gallia eſt omnis diuiſa in partes treis: aliæ cũ æſtimatione dignitatis, cum ex ijs, quę digeruntur, aliquid præcipuum eſſe dicitur; vbi & ordo & dignitas continentur. Subcontinuatio, ſeu par*-Hypoſtas*ticularum ſubiectio, cum ſententia illis cõſtat particulis, quarum una aliam præcedit, & reſpicit; ita vt vna non ponatur ſine alia, in qua oratione & propoſitionem & redditionem notare*

tare

tare licet: vt ſunt, tam quam, is qui, vt ita, eo, quo, tantum quantum, & harum ſimiles. Aliqui diſtinguentes inter ſubcontinuationem & redditionem, illam fieri dicunt, cum particula aliqua initio orationis poſita, longior verborũ ſeries contexitur; hanc vero, particulis iam explicatis. Partitio, quæ ſi breuior ſit, ad velocitatem facit, ſi vero longior dignitatem & circumductionem creat; cum ſcilicet adeſt ſententię redditio, quæ ſpectatur in periodorum comprehenſionibus; in contrarijs partibus, & in enumerationibus: quia principio, reſpõdet finis, contrario contrarium; & qui ponit antecedens, debet ponere conſequens. Hypotheſis, hoc eſt oratio habens conditionis particulas: vt, ſi quis eſt, Iudices, &c. & eas, quæ diſtinguunt & ſeparant: vt, autem, vero, & id genus alias. Eſt autem hypotheſis duplex: altera cum expreſſe ponuntur particulæ, quæ ſententiam diſtinguunt: altera, cum huiuſmodi particulæ ſupprimuntur: ibi eſt circumductio expreſſa, hic tacita, vt initio primæ epiſtolæ primi libri familiarium apud Tullium. Inflexio, hoc eſt, cum nominum & verborum caſus inflectuntur: cui ornamento, contraria eſt rectitudo. Sententiæ incurſio, ſiue interpoſitio, & iniectio, cum inter ſententiæ ſubiectum & attributum aliquid interponitur, hoc

Pro C. Rab.

Plagiaſmos.

Epitrechon.

vendiderit:deinde cur ex tot creditoribus, &c. Ordinatio, ſeu rei numeroſæ in ordinem digeſtio, quam aliqui a ſuperiore nòn diſtinguunt: in quibus adhibentur hæ particulæ, primum, principio, deinde, poſtea; vnum & alterum, duo, tria; & ſimiles: ut, Duo hęc opto, unum ut moriens P. Romanum liberum relinquam: alterum, vt cuique eueniat, vt de rep. quiſque meretur. Vbi animaduertendum eſt enumerationē, digeſtionemue duobus modis effici poſſe, vno modo ſimpliciter, cum nullæ ſententiæ interſerūtur, quo modo Dialectici numerare ſolent: altero, non ſimplici, ſed pleno & amplo, cum ſententiæ intermiſcentur, qui modus dignitatem habet, eoque Oratores vtuntur. Electio, ſiue delectus cum ita res aliquæ recenſentur ac digeruntur, vt vna alteri præferatur, & quaſi interpoſito iudicio præeligatur. Sunt enim aliquæ digeſtiones ſine ulla dignitatis ęſtimatione, qualis eſt iſta apud Cæſarem, Gallia eſt omnis diuiſa in partes treis: aliæ cū æſtimatione dignitatis, cum ex ijs, quę digeruntur, aliquid præcipuum eſſe dicitur; vbi & ordo & dignitas continentur. Subcontinuatio, ſeu particularum ſubiectio, cum ſententia illis cōſtat particulis, quarum una aliam præcedit, & reſpicit; ita vt vna non ponatur ſine alia, in qua oratione & propoſitionem & redditionem notare

Lib. 1. de bello Gal.

Hypoſtas

tare

tare licet: vt ſunt, tam quam, is qui, vt ita, eo, quo, tantum quantum, & harum ſimiles. Aliqui diſtinguentes inter ſubcontinuationem & redditionem, illam fieri dicunt, cum particula aliqua initio orationis poſita, longior verborũ ſeries contexitur; hanc vero, particulis iam explicatis. Partitio, quæ ſi breuior ſit, ad velocitatem facit, ſi vero longior dignitatem & circumductionem creat; cum ſcilicet adeſt ſententię redditio, quæ ſpectatur in periodorum comprehenſionibus; in contrarijs partibus, & in enumerationibus: quia principio, reſpõdet finis, contrario contrarium; & qui ponit antecedens, debet ponere conſequens. Hypotheſis, hoc eſt oratio habens conditionis particulas: vt, ſi quis eſt, Iudices, &c. & eas, quæ diſtinguunt & ſeparant: vt, autem, vero, & id genus alias. Eſt autem hypotheſis duplex: altera cum expreſſe ponuntur particulæ, quæ ſententiam diſtinguunt: altera, cum huiuſmodi particulæ ſupprimuntur: ibi eſt circumductio expreßa, hic tacita, vt initio primæ epiſtolæ primi libri familiarium apud Tullium. Inflexio, hoc eſt, cum nominum & verborum caſus inflectuntur: cui ornamento, contraria eſt rectitudo. Sententiæ incurſio, ſiue interpoſitio, & iniectio, cum inter ſententiæ ſubiectum & attributum aliquid interponitur, hoc

Pro C. Rab.

Plagiaſmos.

Epitrechon.

eſt, cum propoſitio abrumpitur, interpoſitis ſententijs: vt patet in principio primi libri de officijs apud Tullium. Quæ interpoſitio interdum eſt expreſſa per ſeparationem manifeſtã, interdum tacita, quando nimirum ob continuationem, vna videtur eſſe ſimplex ſententia, quæ tamen nonnihil habet compoſitionis. Verum breues interiectiones velocitatem, longiores vero circumductionem faciunt. Ablatio inferens, ſeu copulatio per negationem, & affirmans remotio, cum vnum tollitur, et aliud infertur; vt, Non eſt iſta mea, Quirites, ſed temporum culpa. Dirimens *copulatio, ſeu affirmatio & negatio, cum duobus propoſitis, non magis vnum, quam aliud conſequi oſtenditur: vt, Non ſolum mihi calamitatem detraxeritis, ſed etiam dignitatem auxiſſe uideamini. Cõuerſio, ſiue conuolutio, cum ita uerbis componitur oratio, ut tota in ſe conuerti uideatur; ita ut nulla pars comprehendi poſſit, niſi totam abſolueris ſententiam, quodam ambitu comprehenſam: ut, ſi hoc ſtatueris, quarum laudum gloriam admiraris, quibus artibus hæ laudes comparantur, in his eſſe laborandum. ſed de figuris circumductionis hactenus.*

In Cat.

Pro red.

Octaua poſitio, Quod attinet ad membra & ad alias partes nihil priuatim dicit Hermogenes

nogenes: quia circumductio ex alijs formis eas aſſumit. Recipit itaque omnia membra, tum breuia, tum longa, omne compoſitionis genus, omnes clauſulas, & numeros omnes.

Nona poſitio, circumductioni contraria eſt puritas, quæ ſimpliciter rem exponit; circumductio vero plene & ample: illa eſt nuda, hæc varie veſtita. Differunt itaque hæ duę inter ſe orationis virtutes, non vt contrarię, ſed vt diuerſæ, ſicuti liberalitas & parſimonia.

Decima poſitio, circũducta dicẽdi forma utimur in narrationibus, in amplificationibus, in locis cõmunibus tractandis, in digreſſionibus, & in his magis, quam in narrationibus: & denique in grauioribus exordijs. Spectatur autem circumductio partim in ſingulis periodis, partim in periodorum & ſententiarum continuatione.

Ad extremum huius diſputationis addam aliquid de plena oratione, quę ad circumductionem reuocari ſolet, cum ijſdem conficiatur partibus; in quibus tamen aliquid peculiare habet. Plenitudo, ſeu plena oratio, nihil aliud eſt, quam plena circumductio, aut circum ducta rerum multitudo, aut certe, comprehenſæ circumductiones, ſeu circumducta circumductio. Cum itaque circumductio, ſeu circum ductionis ſchemata frequentantur, plena at-

Meſotes. Perittos logos.

quæ ſecunda conficitur oratio. Hic ſubcontinuationi ſubijcitur partitio, vnde plenus fit ſermo. Sed cum conſidero, quomodo mihi in vtraque re ſit elaborandum, altera pars eſt ea, quæ propria eſt iudicij noſtri, & quæ ſequuntur. Hic vero redditio, Si quantum in agro, lociſque deſertis, &c. ſimiliter rationum interpoſitio plenam efficiunt orationem: vt, Qua in re, ſi mihi eſſet vnius A. Cæcinnæ cauſſa agēda, profiterer ſatis idoneum eſſe me defenſorē; propterea quod fidem meam, &c. Quo loco illud admonuerim in circumductione, plenaque oratione diligentiam adhibendam eſſe, ne, dum orationem copioſam & plenam conficere volumus, quicquam perturbate & obſcure dicamus. Qui autem plene & clare dicere poterit, is demum eloquendi vim ſe adeptum fuiſſe demonſtrabit. Hac itaque in re ſumma collocanda erit diligentia ab eo, qui Orator numerari voluerit: tum quia eius proprium eſſe videtur copioſe, & plene, clareque dicere: tum etiam, quod nulla alia dicendi forma ita vtendum eſt, atque circunducta; qua, res abiectæ, paruæ, atque contractæ tolluntur, augentur, & dilatantur. Hæc dicendi forma quibuſcunque rebus, perſonis, locis, temporibus eſt accommodanda: cum nullis certis terminis, ſicuti & aliæ, ſit circumcluſa. Quamobrem, vt huic

Pro Clu.

Pro Cæci.

di-

diſputationi ſit finis; non minus hæc vna ſola forma, quam omnes aliæ ſimul, obſeruanda & ſtylo colenda erit.

De pulchritudine. Diſp. X.

VBI itaque oratio ſuam adeptã fuerit magnitudinem, vt laudabilis appareat, honeſta pulchritudine, non meretricio fuco debet eſſe ornata. Alia igitur opus eſt idea, quam Plato & Hermogenes, Pulchritudinẽ appellarunt: licet nõnulli magis γλαφυρὸν *nominandam putent: quod potius curam, & diligentiam in poliendo, quam decorem aliquem declaret: ita vt per hanc ideam, non tam pulchra, quam varia, ſeu compta, & ſcita eſſe videatur oratio: ſed nos communem retineamus appellationem. Vt autem quid idea pulchritudinis ſit, intelligatur, placet hoc loco breuiter exponere, quid ſit pulchritudo proprie & vniuerſe ſumpta; ad quã conficiendã tria requirebat Plato,* εὐαρμοστίαν, συμμετρίαν, & εὐταξίαν, *hoc eſt congruentiam, proportionem, & ordinis moderationem ſiue rectam conſtitutionem, atque collocationem: vel vt alij volunt, tria poſtulat pulchritudo, elegantem erectamque ſtaturam, membrorum omnium in-*

Kallos.

Timæ Locrus.

inter ſe concinnationem, ſiue ſymmetriam, & colorum ſuauitatem. Quæ ſecundum quandam ſimilitudinem reperiri debent in ea oratione, quæ pulchra ſit futura: de qua dicendĩ forma has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, oratio ſuam debet habere pulchritudinem. Quandoquidem nihil magnũ laudari poteſt, ni aliquis in eo ornatus cultuſque extrinſecus appareat. Adde etiam, quod quæ aliquam concinnitatem ſuauemque colorẽ præ ſe ferunt, maiore cũ voluptate cernuntur, diutiuſque delectant, ac delectando retinent. Quare, ſi oratio auditorem voluptate afficere, & detinere debet, præter claritatem, dignitatem, & magnitudinem, quæ virtutes ſua natura orationi inſitę eſſe videntur, ſuam pulchritudinem habeat, neceſse erit.

Secunda poſitio, Orationis pulchritudo, partim in ſingulis ideis, partim in tota oratione ſpectari poteſt. Singularum formarum pulchritudo oritur ex congruenti & apta diſpoſitione earum partium, ex quibus eas confici diximus; veluti ex ſententijs, methodo, mẽbris, & reliquis. Quæ vero in tota ſpectatur oratione, naſcitur ex omnibus formis concinne congruenterque compactis: ex quibus quoddam efficitur corpus, ſua venuſtate & honeſtate inſignitum. Vt ſicuti in pulchro homine ſin-

ſingularum partium, vt oculorum, frontis, colli, & totius corporis ſpectatur venuſtas, ita & in oratione ſpectetur.

Tertia poſitio, orationis pulchritudo hoc pacto definiri poteſt, Pulchritudo eſt conuenientia, atque concinnitas omnium formarum ac partium in oratione recte morata: dico, recte morata, quia oratio morum ſignificationem præbere debet, vt poſtea latius docebo.

Quarta poſitio, duo ſunt pulchritudinis genera: alterum quaſi natiuum, & in omni laudata oratione neceſſarium; quo quę caret oratio, ea exanguis & neglecta, nec vlla laude digna cenſetur: & hoc in tota oratione, quaſi color quidam ſpectatur: Alterum comptum, floridum, quod in inſignioribus orationis partibus, quę ſpeciatim florere, & decore eluceſcere debent, ſpectari ſolet. Atque hoc ſecundum genus, quod arte quadam orationi accedit, ad hanc ideam pertinet. Hæc poſterior pulchritudo, vel omnino extat & apparet; vt cum omnia dicendi lumina, & ornamenta vndique collucent, ita vt oratio omnino calamiſtris inuſta, & omnium colorum genere picta, & fucata ſit, qualis olim Sophiſtarum eſſe ſolebat, quam Cicero floridam uocat: vel adeſt quidem adſcita quędam per artem pulchritudo, ſed moderata, & occulta: qua ratione me-

liores

liores Oratores ſuas orationes ornare conſueuere: qui ornatum apertum, ueluti ſuſpectum, ſtudioſe uitarunt, vt Demoſthenes & M. Tullius: ſed ille, ut fuit maioris ornatus parum ſolicitus, ita neruoſior & uehementior: hic vero, dum maiorem quandam pulchritudinem conſectatur, interdum non ita vrget; quo fit, vt inter Iſocratem & Demoſthenem medius incedat, dum elumbi & Gorgiana non vtitur pulchritudine, & ſuis viribus robuſte Demoſthenico more decertat. De hac itaque pulchritudine non natiua, ſed aduentitia, & cum moderatione adhibita, loquitur Hermogenes: quæ non ſolum pulchritudo & color, ſed etiam accurata, ſiue diligens oratio, cum ſine cura fieri non poſſit, nominari ſolet.

Quincta poſitio, pulchritudo nullas propriè habet ſententias, neque methodum; cum ſolũ dicendi generè aures demulceat: poßent tamen huic ideæ acutæ, & ſplendidæ ſententiæ apteri.

Sexta poſitio, pulchritudo gaudet dictionè pura, verbis proprijs, non tranſlatis, maximè ſi maiorem habeant ſignificationem, non aſperis; hæc nanque aures offendunt; illa potius ad intelligentiam, quam ad auditum, cui potiſſimum inſeruit pulchritudo, conferunt: non peregrinis, ſed domeſticis, & quotidianis: non

lon-

longis, ſed breuibus, cum longis permiſtis.

Septima poſitio, pulchritudini hæ figuræ præcipuę inſeruiunt, Verborum ſimilitudo, ſyllabis, ſono, alijſque modis ęſtimata: quę, vel eſt omnino aperta & oſtentata, qualis in ſophiſticis orationibus cernitur: vel occulta & temperata, vt in orationibus Demoſthenis. Occultatur autem, vel intercißione, cum inter primum & poſtremum membrum, quæ ſunt inter ſe ſimilia, aliquid interſeritur: vel per tranſpoſitionem, cum membra ſimilia ponuntur in medio; vel cum paribus membris ſubijcitur aliud impar. Repetitio in initio diuerſorum membrorum: quæ figura non ſolum pulchram, ſed etiam ſplendidam, vegetam, & velocem orationem facit; præſertim ſi membris breuioribus & vno verbo comprehenſis fiat: ut, Non ad prædam aliquam auaritia, non ad voluptatem libido, non ad delectationē amoenitas, non denique vrbis nobilitas ad cognitionem deuocauit. Quod ſi addatur interrogatio, acrior reddetur ſermo. Quis enim eſt illo, aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, aut innocentia, aut vllo laudis genere pręſtantior? Multo autem maior apparebit venuſtas, ſi membra ſint abſoluta ac plena, & ſingulis ſuum addetur verbum. Illa venuſtiſſima repetitio, cum fuerit duplica-

Pariſoſis.

Epanaphora.

Pro M. Mar.

ta, ut ſi per contentionem, Nos, & Vos, Hi, & Illi, in varijs membris repetantur. Iteratio, ſeu iterata verba, quam Trapezuntius, reuerſionem vocat; cum idem verbum, aut eadem ſyllaba repetitur, aut membri maior pars: vt, Fortunatam natam, impudica impudicitia, incredibili liberalitate. Conuerſio, ſiue circulus, cum idem repetitur in principio & fine: vt,

Ambo florẽtes ętatibus, Arcades ambo.

Vir. Eclo. 7.

De nobis quos in rep. ſaluos eſſe voluiſti, quoties cogitabis, toties de tuis maximis beneficijs, toties de incredibili liberalitate toties de ſingulari ſapientia cogitabis. Gradatio, & copioſa iteratio, cuius rarior eſt apud bonos auctores uſus. Traductio, qua idem verbum, ſæpius ponitur cum quadam diſtinctione, quæ non offendit, ſed potius ſua varietate delectat. Contentio ſiue rerum contentiones, quæ particulis redditiuis fiunt, de quibus proxima diſputatione diximus. Apparentes contradictiones; vt, o quam ſcienter neſcit, & quam docte errat? Melius eſt otioſum eſſe, quam nihil agere. Verborum traiectio, quæ non impediat ſententiam, vt accidit, cum quod interponitur, ad ſententiam videtur pertinere: nam parentheſis venuſtati non congruit; vt hæ trãſ poſitiones faciunt, Italiam contra, poſtea vero

Orig. ho. de Magn.

vero quam, hiſce de rebus. Nouæ verborum conſecutiones, quod ornamentum conſtructionis figuras complectitur: ueluti, euocationem, ſyllepſin, prolepſin, et harum ſimiles: & quidquid non vulgare eſt, ſed eruditorum propriũ, & a communi loquendi ratione remotum: vt hic græciſmus, Ardua montium, lubrica vallium. Duę negationes pro vna affirmatione: vt, non ſum neſcius, non nihil poteſt. Denique polyptoton, et quę caſus diuerſos iungit, relata cõtraria, et cõmutata; ut Fallacia alia aliã trudit, homo homini, et ſtulto intelligens quid præſtat? non viuo vt edam, ſed edo vt viuam. In ſumma, omnes figuræ, de quibus libro primo diſputione pręſertim decimaoctaua ſcripſimus.

Octaua poſitio, pulchritudo requirit membra longiora, ſed mediocriter magna: ſi breuiora fuerint, perpetua cõtinuatione, & interiectione continuari poterunt: quod ſi longiora fuerint, breuibus diſtinguantur articulis. Milon. Exon. & lib. 1. offic. xor.

Nona poſitio, Venuſtatis compoſitio, quæ maxime ſplendoris vim attingit, debet eſſe lenis, non aſpera ob conſonantium, nec hiulca ob uocalium concurſum: quam mirum in modum quarundam particularum adiectiones, et remotiones, traſpoſitioneſque illuſtrant: & grata cum varietate repetitio, quæ vt multum aures delectat, ita ſi non ſit varia, ſed

inepte

inepte affectata multum offendit, & ſatiat. Venuſte itaque dicere uolenti in uarietate plurimũ diligentiæ ponere erit neceſſe. Is aũt uarie poterit ornare, qui verborum copiam, ex quorum concinna compoſitione potiſſimum venuſtas pendet, adeptus fuerit. Varia enim verba varijs caſibus, generibus, ſpeciebus, delinationibus, modis, temporibus, ſyllabarum numero, productione, exitu, aſpiratione, alijſque permutationibus uarie proferuntur.

De qua li. 4.

Decima poſitio, de clauſula, quam Hermogenes uno pede æſtimat, Cicero etiam duobus, ſit paucarum ſyllabarum, ac etiam interdum vnius: non habeat pedes ſtabiles, qui vltima, uel penultima ſyllaba æſtimantur: alter igitur breuis eſto. Itaque non ſtabilis, ſed pendula cõquiratur clauſula, qualis eſt iſta; ego ſane non poteram ſentire: nihil iucundius audit: At vero iſta, Ante iniuſta poena inquirenda ſit, quam iuſta repetenda? cum ſit, & amplioris ſpiritus, quam calamiſtrati uenuſtę orationis cincinni eſſe debent, non ita pulchre cadit; ut iſta, Quis libros parum nitidos Carbonis legat?

Vndecima poſitio, de numero, ex ijs debet cõſtare pedibus, qui dignitati conueniunt, quos ita confluere & abundare oportet, ut ad numerum ferri uideantur: atque ijs, qui cognati vocan-

vocantur; vt ſunt, qui in eodem carminis genere ponuntur. Conſtabit igitur pedibus æqualium temporum, non tamen æqualium dictionum: quod ſi fuerint ſyllabarum numero ęquales, non tamen quantitate & tono; vt, Non vultus, non color vnus, Non comptæ manſeræ comæ: Hinc atque hinc glomerantur Oreades: hic repetita aduerbia pæanes duo ſibi venuſte reſpondent. Denique, numerus potius pēdulus, quam ſtabilis eſto: & ut aſpera oratio, iambo inſultat, dignitas ſpondæo utitur, ſplendida dactylo, et anapæſto, ſic aliæ alijs.

Vltima poſitio, huic generi contrarium eſt dicendi genus diſſipatum, neglectum, ſine numero, & venuſta compoſitione compactum.

De Toruitate, ſiue velocitate, atque celeritate. Diſp. XI.

TRIA idearum genera hactenus expoſuimus; puritatem, ſeu claritatem, magnitudinem, & venuſtatem; quorum primum neceſſitatem, alterum dignitatem, tertium iucunditatem habet: nunc ſequitur alia forma, quæ Toruitas nominatur: cuius naturam non eſſe omnino cognitu facilem, ex eo non difficile intelligitur, quod varijs no-

minibus ſolet appellari nam alij toruitatem: alij celeritatem, alij contentionem, alij denſitatem, alij diligentiam, alij robur & vires, alij denique Laconiſmum uocant. Vt igitur plane res paullo obſcurior explicetur, nonnihil de nomine & natura Toruitatis prius dicemus; poſtea ſingulas partes, ſuo ordine proſequemur. Dicitur hæc orationis forma, a Græcis γοργότης *ideſt Toruitas, ſeu truculentia, & horribilitas. Eſt autem gorgotes toruus atque horribilis quidam aſpectus, qualem habuiße fabulantur tres illas Gorgonas, quæ ſolo aſpectu homines necabant: unde apud Græcos Epitheton, gorgopos. i. aſpectu truculentus terribilis, viſu celer, oculisque acer, Palladis proprium, quæ vox ab* ὀργῆ, *ideſt ab ira ducta videtur. Ideo illud orationis genus, & idolum, quod his formis atque ideis Hermogenes effingere conatur, gorgotes nominatur, quod non ſolum debeat eſſe, dilucidum & quaſi diaphanũ, atque etiam pro vſu magnum, diligenterque, ornatum, ſed etiam facile mobile, ita vt varijs membris & membrorum motibus varios geſtus faciat, & in varios corporis habitus diſpoſitiones ue ſe commutet; quibus motibus geſtibuſue ſi carebit, aut tãquã lignea imago, ſua magnitudine ſtabit quidẽ, aut potius iacebit, rigebitq;, ſed abſq; vllo aſpectu, & motu.*

Ariſtoph. (side-note, beside "cos Epitheton, gorgopos")

Neceße

Neceſſe itaque eſt, vt per Gorgoten, ſeu celeritatem & uires, hoc idolum erigatur in pedes, manus extendat, conuertat faciem, et membra omnia flectat, & pro rerum quas efficere debet varietate, varie ſe commutet: ita vt, nunc corpus erigat, nunc inclinet, nunc brachia contrahat, nunc dilatet, nunc recte, nũc torue aſpiciat: nunc hoſtem manibus comprehenſum concutiat, nunc quaſi fugientem inſequatur, aut in fugam uertat: nunc truculento aſpectu attonitum, & quaſi lapideum reddat: vt denique, non mortuum, ſed viuum, non rigidum, ſed mobile, non vnius tantum membri, ſed multorum diſtinctione, uarium eſse uideatur. Sit igitur aliorum oratio ſine hac uirtute ueluti ſtatua lapidea ſine ulla partium diſtinctione & motu: noſtra uero ſit lignea, quando vere viua eſſe non poteſt, ſed tamen eiuſmodi, quales nunc circulatores qui quotidie Venetijs cernuntur, ita fabricarunt, & uarijs articulis ita diſtinxerunt, ut pro ipſorum arbitrio, ita moueantur, ac ſi anima ſpirituque ficto corpori infuſo uterentur. Quibus ſane imaginibus gorgotis nomen haud inepte accommodares. Sed de hac appellatione hactenus: nunc cur aliqui hãc ideam Laconiſmum uocent explicemus. Laconiſmus genus dicendi eſt, contractum, paucis verbis, proprijs, ſine ullo tropo, comprehen-

ſum, ac proinde non raro obſcurum, Quoniam, licet uerbis utatur uſitatis & ex communi ſermone ſumptis; tamen multarum rerum, vel unius amplæ ſententiæ in pauca uerba comprehenſione, talis compoſitio, quæ prima fronte lucida apparet, audiẽtium animos attonitos & quodammodo ſtupidos reddit. Quę quoniam ſæpe ſolet eſſe robuſta & lacertoſa, ut quæ enthymematis, atque ſentẽtijs acrimoniæ plenis, eſt condenſata, ideo celeritatem, robur, ac toruitatem habere, & huic noſtrę ideæ perſimilis uidetur: ac proinde ambæ eodem nomine gaudere poſſunt. Sed diceret hoc loco quiſpiã, cum gorgotes uires roburque habere debeat, quæ ſublimitatis ſiue magnitudinis ſunt propria, quonam pacto, hæ formæ inter ſe diſcrepabunt? Non ſecus dicerem, ac uires in quodam abſoluto & omni ex parte perfecto corpore, & in alio non ita perfecto; & ſucci pleno, adipeo, ac lacertoſo, quod tamen ita muſculos & neruos contendit, ut uires non tam a perfecta natura profectæ, quam ab unius membri conſtitutione natæ uideri poſſint: illas in pulchro uenuſtoque milite, has in baiulo, parui et venuis corporis poneres. Et licet tam in luctatore, quam in curſore ad ſua munera exercenda requirantur vires; tamen non eſt idem in ambobus robur, non eadem membrorum conſtitu-

ſtitutio, in illo enim pectora, humeri, & brachia maiora deſiderantur, in hoc crura & tibię magis ad curſum, quam ad conſiſtendum idonea; idem de ſublimitate & gorgotete dicas. In ſublimitate ex totius corporis perfecta conſtitutione, plenoque ſucco uigor naſcitur; hic uero magis ex muſculorum, neruorumque expreſſione robur apparet. Peteret rurſus aliquis, cum Toruitas magnam cum aſperitate cognationem habeat, quo nam pacto ab ea differat: Cui reſponderē multum differre, & maxime in eo, quod Toruitas non tam iuncturam, quam membra obſeruat: aſperitas uero maiorem literarum, quam membrorum rationem habet. In ſumma, ut gorgoneum caput ex uarijs figuris erat compactum, ita & hoc dicendi genus horribile & toruoſum uarijs formis conſtat, uigore, diligentia, breuitate, atq; celeritate: Nerui, & muſculi, expreſſi, uires & robur indicabunt: articuli diſtincti diligentiam: brachia, tibiæ, pectuſque in anguſtum contractum, breuitatem: & denique conſtitutio ad curſum idonea, celeritatem. Diligentiam manifeſtabunt elaboratæ & ſubtiles methodi; uires graues ſententiæ, omneſque aſperitatis figuræ: breuitatem, emphaſis, occupatio, præciſio, metalepſis, & nominum ex uerbis contractorum & participiorum abſo-

lutorum uſus, atque iambica modulatio: unde etiam neceßario efficitur celeritas, quæ ex breui numero penditur: in quo huius figurę natura potiſſimum conſiſtere videtur, cum ſit quædam vis, quę orationẽ mobilem reddit. Atq; de hac forma hæc vniuerſe dicta ſufficiant; nunc ad poſitiones, quibus adhuc planius exponetur accedamus.

Prima poſitio, Gorgotes in dicendi genere eſt maxime neceſſaria. Quia orationis magnitudo, & uenuſtas non debet eſſe ignaua vel otioſa: & cum velocitate, non puerili, ſed virili & graui eam incedere neceſſe eſt.

Secunda poſitio, velocitas nullas proprie habet ſententias. Quoniam in ſola ſententiarum tractatione conſiſtit: & ſiquas habet, illæ ſunt, quæ acutæ, iucundæ, & ingenioſę dicuntur; vt ſunt ſimilitudines, alluſiones, & allegorię, quæ debent eßе breues.

Tertia poſitio, gorgotetis tractatio ſiue methodus debet eßе varia, ita vt membra nunc in unam, nunc in aliam partem flectantur. Quare huc pertinet ductus per apoſtrophen, qua oratio nunc ad vnum, nunc ad alium, nunc ad res & ſententias diuerſas, diuerſa ratione, & maxime contrapoſitionibus, ac frequentatione conuertitur. Quo fit, vt diſtrahat, & veluti gorgoneum caput intuentium oculos per

ſtrin-

ſtringat. Per commutationem igitur in hac forma tractandę erunt ſententiæ. Requirit præterea orationem inciſam, quę paucis conſtet membris: ſed de inciſione ſtatim latius dicetur. Habet itaque huius formæ tractatio cognationem quandam, cum tractatione acuta & acri: ad quam obiectionum, reſponſionum, occupationum, & conceſſionum breuis, & paucis uerbis comprehenſa pertinet tractatio; vt, An reditus in patriam habet aliquã offenſionem? vtrum apud populum a quo miſſus eſt? aut apud ſenatum, a quo ornatus? an dies auget, eius deſiderium? an magis obliuionem. an laurea illa magnis periculis parta, amittit longo interuallo ariditatem? Hic igitur multa interrogando breuiter, vnico ſpiritu, efferuntur membra, quibus, uel pluribus vel una reſponſione ſatisfieri poteſt, quam etiam omittere licet, ſi facile ſubintelligatur. Pro ꝓuin conſ.

Quarta poſitio, velocitatis ſchemata, vniuerſe loquendo, ſunt ea, quæ ſua ſponte ſunt velocia, & quę orationem intercidunt, & excitant. Quorum alia ſuapte natura velocitatem habent: alia, quæ licet ex ſe uelocia non ſint; tamen tarditatem, per ſuſcitationem & ſubcontinuationem, attollunt, ac proinde orationem uelocem reddunt: quæ non ſecus velocitati neceſſaria ſunt, ac puritati elegantia.

Vt enim obſcuritatem elegantia, ita ſupinatio nem iſtę figuræ auferunt. Sunt autem quædam ſchemata, quæ priuatim velocitati inſer uiunt, & maxime, Inciſio. Eſt autem Inciſio, oratio crebris interualis, crebraque reſpiratione prolata: quæ, uel pro multitudine rerum orationem diuidit, vt per partitionem, redditionẽque breuem, quę magis celeritatem, quam circumductionem efficiunt; uel, cum vnum dicit, & plura dicere videtur; cum ſcilicet ita vnum dicitur, vt aliud atque aliud inciſa oratione dici videatur: qua loquendi forma in re augenda per commorationem utimur. Et licet quæ per commorationem inciſe dicimus, velocitatẽ habeant; tamen dilatata oratio, veluti flumẽ, quod late expanditur, lentius decurrit. Inciſione itaque opus eſt, ſine maiore circuitu, vt oratio velocior appareat. Habet hæc circumducta oratio, quam interrogatio excitat, aliquid velocitatis; ut,

Quid puer Aſcanius? ſuperat ne, & veſcitur aura
Vir. lib. 1. Aen.
Aetheria, nec dum crudelibus occubat umbris?

Quam orationem augeres, ſi inciſe diceres, Quid puer Aſcanius? ſuperat ne? veſcitur aura? nec dum crudelibus occubat vmbris? Verum illa circumductio maiorem quandam

lam grauitatem habet. Quod ſi inciſæ orationi non ſolum interrogatio, ſed etiam ſubiectio addatur, multo fiet concitatior: vt, Domus tibi deerat? at habebas: pecunia ſuperabat? at egebas. Similiter breues relatorum, ſiue contrariorum occurſationes ſine interrogatione: vt, vocat, veniendum: poſcit, dandum: eijcit, abeundum: minatur, extimeſcendum. Item, articulus ſiue diſsolutio, quæ figura fit inciſis, quæ octo ſyllabas non excedunt, ac etiam ſingulis verbis; Abijt, exceſſit, euaſit, erupit: & verborum commutatione, cum ſcilicet in ſingulis verbis eſt varietas: vt ſi dicatur, Primum, deinde, poſt, denique. Remp. radicitus euertiſti: ciuitatem funditus, deieciſti, &c. ac etiam particulis redditiuis, quidem, autem: denique conduplicationibus, ſiue polyſyndetis. Item omnis breuis partitio ac diuiſio perſonæ, & negotij, maxime cum antitheſi, & frequentatione velocitatem faciunt: breuis inquam ſine comprehenſione & epithetis: vbi partium contrarietas elegantiam, frequentatio velocitatem auget. Excitant autem orationis ſupinitatem præſertim poſt rem narratam: & poſt declinationem, breuis per reditum complicatio vt, Iſte eſt igitur, & cęt. Interrogatio, ut paullo ante dicebam; & exſuſcitatio, per quā nos commoti aliquid dicere uidemur, & auditoris Hipoſtrophe.

toris

toris animum uehementer commouemus. Orationem uero, quæ occulte inciſionem continet, hæ figuræ celerem reddunt: plagiaſmos id eſt oratio facta per caſus obliquos, & abſolutos: orationis conuerſio id eſt ſententiarum circuitio atque comprehenſio, ſeu rotunda & quaſi rotata oratio: atque aliæ harum ſimiles. Vbi illud adnotauerim, uelocitatem poſſe ſpectari, uel extra periodum, ubi eſt aperta inciſio: ut, ueni, uidi, uici; uos iſthæc intro auferte, abite: uel in periodo, cum ſcilicet ab ultimo ambitu pendet oratio: & tunc oportet continuare omnia membra, eaque uno ſpiritu pronunciare. Quare extra periodum fiet oratio uelox per inciſa, intra uero uerborum comprehenſione & ambitu.

Phil. 3. in Exor.

Quincta poſitio, celeritatis membra quo erunt breuiora, eo erunt ueloiora: ſi longiora ſint, conglobentur: &, ſi plura, particulis colligentur, & condenſentur.

Sexta poſitio, quod attinet ad dictionem, celeritas omnia uerborum genera admittit, ſi ſint monoſyllaba, uel oligoſyllaba id eſt paucarum ſyllabarum: ac etiam polyſyllaba, modo multis breuibus conſtent: ut, Atque leuem ſtipulam crepitantibus urere flammis: ubi & celeritatem, & ſplēdorem agnoſceres mirum.

Septima poſitio, de compoſitione, toruitas,

biatum

biatum uocalium & concurſum odit; cum uelocitatem retardent, ſicuti et aſperarum, ac ſimilium conſonantium & ſyllabarum conſecutionem: quamuis ſimilium frequentatio aliquid concitationis uideatur habere: ut, O fortunatam natam me Conſule Romam. Sterneret æquor aquis: omnes enim concitatæ anaphoræ celeritatis nonnihil habent: ut etiam duplicata negatio.

Octaua poſitio, pedes in quibus potiſſimum ſpectatur compoſitio, ſint breues, ut ſunt trochei, pyrrhichij, & pares: vt, arma, tela, equi, viri, hoſtes, atque ciues permiſti: cauenda tamen eſt exquiſita uerborum, ſiue pedum æqualitas, ſicuti & omnis extenſio: nam ut longitudine, ita æqualium frequentatione deſidet oratio. Simile enim perpetuumque iter, longius ſemper uideri ſolet, quam ſi quadam uarietate, fuerit diſtinctum. Verum, accentus acuti frequentatio, celeritatem quandam etiã in longioribus uocibus retinet: vt,

Regia portabat Tyrijs duce lętus Achate. Aen. lib. 1

Nona poſitio, numerus ſit mobilis, non ſtabilis, ſed pendens. Siquidem ſtabilis, tentuſque numerus orationem tardam reddit, quæ veloci & concitatæ eſt contraria.

Decima poſitio, huic formæ contrarium eſt genus dicendi tardum, & remiſſum. De qua

cum

cum nihil aliud dicendum occurrat, ad aliam ſtylum conuertamus.

De morata & ſimplici oratione. Diſp. XII.

SI oratoria dictio in eum finem potiſſimum eſſet comparata, ut ſeſe, ſuamque formam, aut ſolum animi, cuius eſt interpres, ſenſa ſua claritate, magnitudine, & ſplendore, manifeſtaret; proculdubio quas hactenus expoſuimus ideæ ad bonam orationem conficiendam ſufficerent: ſed quoniam, id eſt in oratoria dictione præcipuum, vt ſit idonea & apt a ad mouendum: ideo aliæ ad eam conficiendam adhibendæ ſunt, quę hoc communi conueniunt nomine, quod Moratæ orationes appellantur. Hactenus itaque de figuris diximus, quibus ipſum orationis corpus, tanquam quid perfectum, & ſua concinnitate abſolutũ, ſeipſum demonſtrat; ſed tamen dicentis uolũtatẽ nullo modo patefacit: ad quod efficiendũ illæ ſunt inſtitutæ ideæ, de quibus poſt hac acturi ſumus. Ac primũ quidem de ipſo genere quod Morata oratio nominatur; tum de ſpeciebus ſingulis: & quod ad genus attinet, has ſtatuo poſitiones.

Prima

Prima poſitio, moratę orationis cognitio, eſt oratori maxime neceſſaria. Primum quidē, quia mirum in modum ad perſuadendum confert: in quo eloquentiæ palma collocata eſt: unde merito Ariſtoteles ſcripſit, Moratam orationem præcipuam fidem habere hoc eſt priuatam atque ſummam ad perſuadendum uim. Deinde, quoniam ſi mores ab oratione magna & ornata remouerentur, multa & maxima in ea notarentur vitia: ac potiſſimum illud, quod affectata & præmeditata cenſeretur; quod tanquam ſcopulus eſt fugiendum. Nanque oratio quę moribus caret, velocitate commota, in affectus ſine ratione prorumpit, exclamat, indignatur, exurgit, arroganter, aut abiecte ſerpit, cincinnoſque iactat, & quemadmodum pueri & fæminæ atque ruſtici aliquo affectu concitati loquuntur, ſic moribus expers oratio ſine vlla moderatione, & animi bene compoſiti ſignificatione erumpit. Deniq;, quoniam allatæ figurę ſolum corpus ipſum orationis conficereac formare uidentur; at uero morata dictio, ei quaſi animam ac uitam tribuit; cum ſermo ſine moribus, oratio appellari non queat. Hinc eſt, cur Philonicus dialecticus Iſocratis orationes, in quibus concinnitatis eſt multum, pathetici nihil, ſine anima eſſe dixerit: Et Plato merito eos damnauerit Rhetores, Lib. 1. Rhet.

qui

qui de moribus nihil cognoſcendum putarunt: de quibus legere poteris diſputationem vigeſimamoctauam, libro de Oratoria Diſpoſitione.

Secunda poſitio, moratæ orationis duo ſunt genera: alterum quod morum imitationem habet; quo potiſſimum utuntur Comici, qui ſingulis perſonis ſuos diſtribuunt mores: & hiſtorici, dialogorumque ſcriptores, qui perſonas congrue loquentes faciunt: ut fecit Tullius in libro de ſenectutem, ubi Catonem ſenem ſenectutis cauſsam prudenter ſapienterque defendentem introduxit. Vtimur itaque hoc morato dicendi genere, cum miles glorioſus ſe iactat, agricola tempeſtates, pauper exactorẽ timet; adoleſcens amat, ſenex denique acquiſitis parcit. Quod dicendi genus exprimitur per illam proſopopœiæ ſpeciem, quę ethopeia nominatur, qua cuique perſonæ apta tribuitur oratio. Oratores quoque, interdum perſonas loquentes introducunt, eiſque, vt Comici faciunt moratam orationem tribuunt. Alterum quod habet ſignificationes morum eius qui dicit, & eorum pro quibus ſeu contra quos dicit: & de hoc morato dicendi genere hoc loco a nobis habendus eſt ſermo. ſuperioris autem generis præcepta ſumi poſſunt ex ijs, quæ de apta grauitate poſtea dicentur.

Cic. in Quint. Pro M. Coel.

Tertia poſitio, Moratũ dicẽdi genus nihil aliud

aliud eſt quã ſignificatio morũ amabiliũ homi nis ſimplicis, ueri, ſuauis, nõ tamẽ omnino lenis. Moratæ itaq; dictionis formæ eo ſpectãt, ut diſcamus ita loqui, vt magis ſuapte natura enuntiata, quam aliqua arte compoſita, ac maditata noſtra oratio videatur: & ut ea fingere & ſimulare poſſimus, quæ alioqui ab imperitis, & artis ignaris hominibus, magis ex animi impetu, quam ratione effutiuntur.

Quarta poſitio, Moratum dicendi genus de quo hic loquimur, duplex eſt; alterum laudabile, quo iudicum & auditorum conciliamus animos: alterum odioſum, quo aduerſarijs, eos vituperando, odium conflamus. Solet autem hoc genus adhiberi, vel ſeorſim, ut cum Orator ſuorum morum ſignificationem dare conatur: uel coniunctim, quando ſcilicet cum alijs formis miſcetur; ueluti cum aſperitate, uehementia, ſplendore, & alijs. De hac orationis idea hæc illuſtriſſima verba pronuntiauit Antonius, Horum igitur exprimere mores oratione, iuſtos, integros, religioſos, timidos, perferentes iniuriarum, mirum quiddam ualet: & hoc uel in principijs, uel in re narranda, uel in peroranda tantam habet uim, ſi eſt ſuauiter & cum ſenſu tractatum, ut ſæpe plus, quam cauſſa ualeat. Tantum autem efficitur ſenſu quodam ac ratione dicendi, ut quaſi mores oratoris

Cic. in Quin.

Li. 1. ora.

ris

Digitized by Google

ris effingat oratio. Genere enim quodam ſententiarum, & genere verborum, adhibita etiam actione leni facultateque ſignificandi, efficitur, ut probi, ut bene morati, ut boni uiri eſſe uideamur.

Quincta poſitio, hæc dicendi idea has ſub ſe habet partes, ſiue ſpecies, ſimplicitatem, ſuauitatem, acumen, modeſtiam et acrimoniã, ſiue grauitatem, ex quibus poſtrema exoritur ueritas. Oportet enim mores eſſe ſimplices, ab omni calliditate alienos: ita tamen ut iſta ſimplicitas, ſit iucunda & ſuauis: quæ ſuauitas nõ debet carere acumine, ne horrida & inculta ſit, ac proinde ingrata: & ne ob mores Orator ſibi nimium tribuat, moderationem accedere neceſſe eſt, cum opportuna tamẽ grauitate coniunctã: ex quibus vera facile apparet oratio. Vel hoc pacto huius numeri rationem redderes Mores partim ex habitu, partim ex diſpoſitione, ſeu affectione definiuntur. In habitu tres ſunt generales qualitates, ſimplicitas, cui contraria eſt calliditas, ſiue acumen; inter quas media eſt epijcia, ingenuitas nimirum, & animi candor. Ex affectione, unde oratio pathetica emanat, aliquis naſcitur motus, vel ob dolorem, a quo proficiſcitur barytes, hoc eſt, grauis quidam ſermo; uel ob uoluptatem, unde ſuauitas, & deliciæ fiunt. Et quoniam

per

per moratam dictionem fit, vt is qui loquitur ex animo, non ficte loqui videatur, ideo oratio veriſimilis apparet: vnde veritatis idea conſurgit. Atque de morata oratione hæc vniuerſe, nunc ſpeciatim de ſimplicitate, quam alij tenuitatem vocant.

Aphelia.

Sexta poſitio, ſimplicitas eſt tenuis quidam ac minutus ſermo, qualis eſt puerorum, ruſticorum, & hominum minime malorum. Facit itaque aphelia, orationem plane ſimplicem & ingenuam, minime fallacem, a fuco & ab arte alienam. Exempla ſuppeditant Theocriti, & Virgilij bucolica, quamuis hic aliquanto ſublimius, quam ille, quem imitandum ſibi propoſuit, interdum loquatur.

Theocrit.

Septima poſitio, ſimplicitatis ſententiæ ſunt puræ, quę autem dicantur puræ ſupra explicuimus. Sumuntur autem ex rebus ſimplicibus & humilibus: quibus tamen is, qui loquitur ſtudet: vt ſi paſtor loquatur de ouibus, agricola de arboribus, puer de nucibus, & mulier de ſupellectile: quæ non ſolum humiles ſunt, quia de rebus ſunt humilibus, ſed etiam moratę, quoniam ex animo & ex habitu dicuntur. Quocirca, ſimplices ſententiæ, primum ſpectantur in rebus ipſis, quæ ſua natura contemptæ & humiles ſunt: quas ſpeciatim bucolici ſcriptores tractandas ſuſcipiunt.

Propterea bonus bucolicorum ſcriptor, aliquando grauiores ſententias tractaturus, quaſi veniam facultatemve peteret, cecinit;

Vir. ecl.4. Sicelides muſę, paullo maiora canamus.
Non omnes arbuſta iuuant, humileſque myricæ.

Deinde, aliæ magis ex perſona dicentis, quam ex re ipſa ſimplices cēſentur: vt ſunt illæ quas pueri, ruſtici, mulierculæ, & homines minime mali vſurpant. Præterea illæ dicuntur ſimplices, quæ ex argumentis & concluſionibus, ſiue pronuntiatis quibuſdam ſumuntur generalibus: argumenta enim vulgarium rerum ſimplicis ingenij ſignificationem habent. Quo fit, vt communes ſententiæ, argumenta, & ſpeciatim ſimilitudines hominum ſtudia haud obſcure demonſtrent: cum quiſque ijs de rebus loquatur, quibus delectatur. Ideo, ruſtici ab animalibus & agris, milites ab armis, mercatores a mercibus, medicus a morbis & pharmacis, & alij artifices omnes a ſuis artibus & inſtrumētis ſimilitudines & ſententias ſumunt: & in his ſolent eſſe copioſiores; quibus quo magis vtuntur, eo magis ſimplicitas apparet.

Vir. ecl.4. Torua Leęna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem cytiſum ſequitur laſciua capella:

Te

Te Corydon o Alexi.

Item,

—— Thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cygnis, hedera formoſior
ipſa:

Vbi ſimplicitatem cum plenitudine affectauit Poeta. Denique, ſimplices ſententiæ ſpectantur in iuramento, quo aliquid magis, quam per rationem confirmatur: ſimiliter inuitationes, & deprecationes affirmationis cauſſa vſurparæ. Simplices enim magis iuramento, quam rationibus niti videntur: ac proinde non ſine animi ſignificatione eo vtuntur. Non tamen affirmamus iuramentum in rebus grauibus adhiberi & alijs quoque formis accommodari non poſſe: & tunc grauiter affirmabit, cum in finem argumentationis incidet, vt illud, Vos enim o Albani tumuli, &c. In ſumma, omnis obteſtatio quæ per Deum, ſiue ad iudices, ſiue ad aduerſarios fit, ſimplicitatis ſignificationem præbet: ut Pro Mil.

—— Per ego has lacrymas, dextramque
tuam te,
(Quando aliud mihi iam miſeræ nihil
ipſa reliqui)
Per connubia noſtra, per inceptos hymenæos.

Huc etiam pertinent ſimplices confirmationes

a brutis per comparationem & ſimilitudinem ſumptæ: vt,

Sic canibus catulos, ſimiles ſic matribus hædos
Norã, ſic paruis cõponere magna ſolebã.

Et,

Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, &c.

Cum itaque ſimplices ſententiæ ſint uariæ, earum aliæ omnino Oratori conueniunt, aliæ minus conueniunt; aliæ omnino non conueniunt. Illæ conueniunt, quæ magis natura, quam perſona cenſentur ſimplices: vt metus & ſuſpiciones in rebus paruis, & quæ foro ſunt accommodatæ, & has aßumet. Quę muliercularum & rudium hominum ſunt, minus conueniunt; quas non aßumet, niſi cum moratam deſcribit perſonam. Lyricorum autem, & Satyrorum, improborumque ſententias, cum omnino non conueniant, a concione reÿciendę erunt: quas tamen, ſi mores imitetur, interdum vſurpare poterit; ut regius fecit vates, Pſal. 13. *cum cecinit, Dixit inſipiens in corde ſuo, & non uno in loco eius filius in ſua de rerum vanitate concione Salomon.*

Octaua poſitio, ſimplicitatis methodus & tractandi ratio eadem eſt, quę puritatis, & ingenui-

tenuitatis: ut in hoc patet exemplo.

Incipe, ſi quid habes, & me fecere poetā Vir. Ecl. 9
Pierides: ſunt & mihi carmina, me quoque dicunt
Vatem paſtores: ſed non ego credulus illis.

Quæ omnia tenuiſſime, & maxima cum ingenuitate dicuntur. Commoratio etiam in rebus ſimplicibus & tenuibus explicandis, ut patet in exēplis ſupra allatis ſimplicitatem arguūt. Item, ſimplex ductus eſt, cum quis ea narrat, quæ ne quiſquam rogat, nec omnino neceſſaria videntur: quo modo multa in dialogorum ſcriptione dicuntur. Item, ſi quis ad minutiora deſcendat, & in illis magis commoretur, quam res poſtulat: ſed poetæ, ne oratio fiat ſupina, cum in tenuibus commorantur, cum ſimplicitate amplitudinem coniungunt. Quare, quod uno verbo dici potuiſſet,

——Non omnis fert omnia tellus, Vir. lib. 1. Geor.

Ad particularia, vt plene diceret, prius bonus poeta deſcendit.

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uuæ.
Arborei foetus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina, &c.

Immoratio ergo in leuioribus rebus, ibi potiſſime eſt adhibenda, vbi ſimplices videri

ri volumus: alibi non item, vt ſæpe ſine laude Ouidius facit. Item, ſubita rerum explicatio, & quaſi ex improuiſo ad dicta prolata reſponſio, ſimplicem tractationem faciũt: quæ ſæpe Comici vtuntur, ut ſimplicitatem diſſimulent. Vbi illud admonuerim, quod ſicuti duo ſunt puritatis genera, apertum vnum, ut, Vos iſthæc intro auferte, circumductum alterũ, Gaudeo, ſi tibi quid feci, aut facio, quod placeat Simo: ita duæ ſunt ſimplicitatis formæ, altera vere ſimplex, vt hæc,

Ter. in Andr.

Vir. Eclo. Quo te, Moeri, pedes? an quo uia ducit in urbem?

Simplicis ſane animi ſententia, cum ille iã ab urbe non longe abeſſet: Altera ſpecie quidem ſimplex, ſed re uera acuta; cum quid acute a ſimplici homine pronuntiatur; ut illud,

Virg. Ecl. 3. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui.

Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

Cęterũ, ſi tractationem ſpectemus, res alias grauis, ſi plane & leuiter explicetur, ſimplex videri poteſt: ut, Nonne uides, croceos ut Tmolus odores India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi? Et quæ apud Virgilium ſequuntur: ubi res de qua alias grauis poſſet eſſe diſputatio ſimpliciter eſt enunciata. Simili quoque ratione,

Virg. lib. 1. Georg.

te,res alioqui ſupina tractationis genere erigitur, & amplior redditur.

Nona poſitio, ſimplicitas puritatis amat dictionem, non affectate ſonoram: gaudet itaque natiuis,quotidianis,vſitatis,proprijs verbis, ac ſimpliciter modificatis, ut cum propria non ſuppetunt, quod hominibus ſimplicibus non raro accidit;qui etiam ad catachreſes confugiunt, ut,

Sępe ſiniſtra caua prędixit ab ilice cornix. Virg. Ecl. 1.& 7.

Item, Nunc omnis parturit arbos. Cornix enim non loquitur, nec arbores pariunt, quæ per catachreſin dicuntur, ſicut & illud, Imperat aruis. Similiter uerbis nouis, ſed ſimpliciter factis, quæ tamen ſint perſonis accommodata: ut,mellitule,blandule,corculum:ac etiã interdum acutis, de quibus poſtea dicetur; ut ſi canem philanthropon, id eſt hominum amatorem uocares. Item dictio recta, ſine aduerbiorum & epithetorum adiunctione,quæ tamẽ interdum animi ſenſum declarant. Heteroſis enim ſiue allœoſis,nonnihil artis habet. Item, pronominis primæ & ſecundæ perſonæ in quouis caſu,ut etiam vocatiuorum uſus, quandam ſimplicitatem preſe fert.

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet Aen. 4.

ri volumus: alibi non item, vt ſæpe ſine laude Ouidius facit. Item, ſubita rerum explicatio, & quaſi ex improuiſo ad dicta prolata reſponſio, ſimplicem tractationem faciũt: quæ ſæpe Comici vtuntur, ut ſimplicitatem diſſimulent. Vbi illud admonuerim, quod ſicuti duo ſunt puritatis genera, apertum vnum, ut, Vos iſthæc intro auferte, circumductum alterũ, Ter. in Andr. *Gaudeo, ſi tibi quid feci, aut facio, quod placeat Simo: ita duæ ſunt ſimplicitatis formæ, altera vere ſimplex, vt hæc,*

Vir. Eclo. Quo te, Moeri, pedes? an quo uia ducit in urbem?

Simplicis ſane animi ſententia, cum ille iã ab urbe non longe abeſſet: Altera ſpecie quidem ſimplex, ſed re uera acuta; cum quid acute a ſimplici homine pronuntiatur; ut illud,

Virg. Ecl. 3. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui.

Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

Ceterũ, ſi tractationem ſpectemus, res alias grauis, ſi plane & leuiter explicetur, ſimplex videri poteſt: ut, Nonne uides, croceos ut Tmolus odores. India mittit ebur. molles ſua thura Sabæi? Et quæ apud Virgilium ſequuntur: ubi res de qua alias grauis poſſet eſſe diſputatio ſimpliciter eſt enunciata. Simili quoque ratione, Virg. lib. 1. Georg.

ne, res alioqui ſupina tractationis genere erigitur, & amplior redditur.

Nona poſitio, ſimplicitas puritatis amat dictionem, non affectate ſonoram: gaudet itaque natiuis, quotidianis, vſitatis, proprijs verbis, ac ſimpliciter modificatis, ut cum propria non ſuppetunt, quod hominibus ſimplicibus non raro accidit; qui etiam ad catachreſes confugiunt, ut,

Sępe ſiniſtra caua prędixit ab ilice cornix. Virg. Ecl. 1. & 7.

Item, Nunc omnis parturit arbos. Cornix enim non loquitur, nec arbores pariunt, quæ per catachreſin dicuntur, ſicut & illud, Imperat aruis. Similiter uerbis nouis, ſed ſimpliciter factis, quæ tamen ſint perſonis accommodata: ut, mellitule, blandule, corculum: ac etiã interdum acutis, de quibus poſtea dicetur; ut ſi canem philanthropon, id eſt hominum amatorem uocares. Item dictio recta, ſine aduerbiorum & epithetorum adiunctione, quæ tamẽ interdum animi ſenſum declarant. Heteroſis enim ſiue allęoſis, nonnihil artis habet. Item, pronominis primæ & ſecundæ perſonæ in quouis caſu, ut etiam vocatiuorum uſus, quandam ſimplicitatem preſe fert.

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet Aen. 4.

Ante fugam ſoboles: ſi quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas, qui te tãtũ ore referret:
Non eqdẽ oĩno capta, aut deſerta viderer

Declarant enim hæc animi affectum, ac proinde mores. Item potius ſingulares & definitas voces, quam communes & indefinitas, quæ ſunt dignitati accommodatæ, admittit tenuis ſermo, qui demonſtratione gaudet; vt,

Vir. Ecl. 1 Hic tamen hac mecum poteras requieſcere nocte.

Item,

—Ipſe te Tityre pinus,
Ipſi te fontes, ipſa hęc arbuſta uocabant.

Vbi a communibus vocibus ad demonſtratas deſcendit. Denique ſimplex dictio ea cenſetur, quæ ſolet cuique eſſe vſitata; & ea qua pueri & ſimplices, qui non res vniuerſas, ſed ſingulas percipiunt, & qui minime fucate loquitur, utuntur: qua, Redemptor noſter, non ſine ſumma ſapientia, ut qui paruulos & ſimplices docebat, vſus eſt.

Decima poſitio, ſimplicitatis ſchemata, ſunt eadem, quæ & puritatis. Simplices pathopoeię, ſimplices commorationes, ſimplices tranſlationes, & catachreſes, percontationes, & dialogiſmi, & etiam uerborum repetitiones & geminationes; ut,

Ah

Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cępit? Vir. Ecl. 2

Vbi artificioſiſſimi poetæ ingenium admirari plane licet: qui cum ſimplicem amoris affectum in perſona ſimplici explicaret, vna ſimplici ſuipſius correctione ad ſanam mentem reuocat: at aliter grauem amoris affectum, in perſona graui, Didonis tractauit: quam tandem ad ſuiipſius necem perduxit.

Vndecima poſitio, de membris, nihil priuatim a ſcriptoribus in hac forma pręcipitur, cũ eadem amare videatur membra, quæ puritas deſiderat.

Duodecima poſitio, Compoſitio ſit ſimplex, pura, & prorſus idiotica, non affectata: ubi uitia quædam ſimplicitatem arguunt; ut apud Comicos metaplaſmi coniunctiones, quæ ſenſum ſuſpendunt, & ab alio pendere faciunt, et circumductam reddunt orationem, non admittit ſimplicitas: ſimiliter nec rationales: ſed magis copulatiuis, quam alias, & magis polyſyndeto, quam aſyndeto utitur.

Decimatertia poſitio, de clauſula & numero idem dicendum, quod in puritate diximus: Cęterum Hermogenes hic clauſulam firmam & conſtantem requirit: atqui, vtcunque non quæſita ceciderit, illa conueniet.

Vltima poſitio, ſimplici dicendi generi, oppoſita

poſita eſt dicendi forma callida, acuminata, & acuta. Et hæc ſunt, quæ de morata & ſimplici oratione dicere habuimus.

De ſuauitate. Diſp. XIII.

QVAMQVAM, vt poſtrema ſuperioris diſputationis poſitione diximus, acumen, ſiue callida oratio ſimplicitati ſit contraria, quæ ſimul apte tractari & explicari ſolent: tamen ab uno extremo ad aliud per aliquid interiectum progrediendum duxi. Agam igitur prius de ſuauitate, quam de acumine, cum inter hęc duo, quaſi media, poſita videatur: attollit enim iucunditas ſimplicitatem, & acuminis non nihil habet. Quãuis, re vera, prius agi potuiſſet de acumine, & poſtea de modeſtia, quæ acumen temperat; & poſtremo loco de duabus ideis, quæ patheticæ orationi inſeruiunt, ut ſunt ſuauitas & grauitas. Verum, modo omnia clare explicentur, non erimus de ordine multum ſine neceſſitate ſoliciti. Rem igitur aggrediendo, has de ſuauitate ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, duo ſunt affectæ orationis genera, unum lęti, alterum triſtis & mærentis animi. Lætantis animi oratio eſt tota iu-

iunda, mollis, formoſa, lepida, atque ſuauiſſi mœrentis uero, moleſta, triſtis, & languens. Hic de priore genere acturi ſumus, quod ob iucunditatem & feſtiuitatem, qua eſt aſperſum & temperatum, ſuaue vocatur. Hæc itaque orationis idea ob ſuauitatem γλυκύτης ob mollitiem ἁβρότης et ob amoenitatem ὡραῖος id eſt feſtiuitas, & formoſitas, & interdum ἡδονὴ id eſt voluptas & delitiæ vocatur.

Secunda poſitio, ſuauitas duplex eſt, altera perpetua in tota oratione fuſa; ut cum attentio, beneuolentia, & docilitas in tota oratione retinentur: altera interpoſita, quæ certis in locis manifeſte adhibetur: ſicuti color in humano corpore, qui magis in genis, quam alibi extat. Quamuis ergo tota oratoria dictio ſuauitate aſperſa eſſe debeat: tamen quibuſdam in partibus eam magis extare neceſſe eſt; & de hac ſuauitate præcepta tradit Hermogenes.

Tertia poſitio, ſuauitatis ſententiæ, primum uniuerſe loquendo, ſunt illę, quæ res auditu iucundas, & aſpectu gratas continent, & quæ hominibus iucunditatem afferre ſolent, ut ſunt corporis & fortunæ bona: item lepidæ narrationes, blandæ allocutiones, & amores: & denique illæ, quę ſolum continent iucunditatem: in quibus non utilitatis, non ueritatis, non neceſſitatis vlla ſpectatur ratio, ſed ſolum

iucunditas

iucunditas & delitiæ. Vt cibi illi, qui non ob neceſſitatem, aut vtilitatem ſumuntur, ſed ſolius voluptatis cauſa. Deinde, ſpeciatim nonnulla recenſentur iucundarum ſententiarũ genera. quæ ſunt fere iſta. Primum fabuloſum, cum ſententiæ ex fabulis ſumuntur: cuiuſmodi ex libris Metamorphoſeon Ouidij ſumere licet: ut illud apud Tullium, Quid enim eſt aliud Gigantum more bellare cum Dijs, niſi naturæ repugnare? Orator itaque interdum exempla & ſimilitudines ſumit ex fabulis, dum aliquem locum tractat: non facit tamen totam orationem fabuloſam. Cauenda eſt itaque hic ſimplicitas & leuitas, atque mollities: quare huiuſmodi ſententiæ cum moderatione, correctione, & grauitate adhibendæ ſunt. Secundum genus continet narrationes fabulis affines, ab hominum memoria, & a fide remotas; vt illa apud Liuium de Romulo & Remo a lupa nutritis: & apud eos quos Romanzos nunc appellant. Tertium, miſtũ, quod aliquid veri, & falſi continet; vt antiquorum Grçcorũ hiſtoriæ. Huius generis ſunt multa apud Ciceronẽ in libro de diuinatione. Quartum, complectitur ſententias rerum, quæ ſenſus afficiunt; vt ſunt res naturales: quarum aliæ ſunt honeſtæ; vt montium, vallium, fontium, ſyluarũ, ciuitatumque deſcriptiones; vt,

In Cac. Mac.

Pro S. Roſ. & L. Mur.

Et

Et ſi quid ceſſare potes, requieſce ſub um bra. Vir.Ecl.4

Hic uirides tenera prætexit arundine ripas

Mincius, eque ſacra reſonant examina quercu.

A quibus ſententijs Plato, & Tullius ſuos ſolent exordiri dialogos. Aliæ ſunt rerum turpium, quæ honeſte nominari non poſſunt: cuiuſmodi multa apud Catullum, Martialem, Plautum, & Ouidium leguntur: quæ ſi quo pacto occultentur, ſuam habent ſuauitatem. Vt fecit ille, qui cum omnes pulcherrimæ fœminæ partes, quæ ſub aſpectum cadunt, elegantiſſime deſcripſiſſet, de alijs omnibus cum honeſtate per præteritionem dixit,

Ben ſi puó giudicar che corriſponde, Lud.Ario.

A quel che fuor apar quel, che s'aſconde.

Occultantur itaque res turpes, aut præteritione, aut occultatione per allegoriam, metaphoram, adiuncta, aut per aliquam ambiguam dictionem. Quinctum genus, earum quæ laudes prędicationes, & encomia continent: vt laus Cæſaris in oratione pro M. Marcello: patrię, ſuorum, & ſuæ laudes: cum, vt aiebat Socrates, nihil ſit iucundius, quam ſuas prędicatas laudes audire.

—Si quis tamen hęc quoque, ſi quis Vir.Ecl.6.

Ca-

Captus amore leget, te noſtræ, Vare, mýricę,
Te nemus omne canet: nec Phoebo gratior ulla eſt,
Quam ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen.

Sextum continet perſonarum fictiones, vt cum brutis, vel rebus anima carentibus, ſenſum deliberationemve tribuimus; vt.

Ipſi lætitia voces ad ſidera iactant
Vir. Ecl. 5. Intonſi montes: ipſæ iam carmina rupes;
Ipſa ſonant arbuſta, Deus, Deus ille Menalca.

Similiter, Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite iuuenci: et, Vos o coryliteſtes: Age dic latinum barbite carmen: & apud Propertium,

Hor. Ianua, uel domina penitus crudelior ipſa,
Quid mihi tã duris clauſa taces foribus?

Huc pertinent apoſtrophes ad res inanimes, exclamationeſque ex ſimplici affectu prolatæ. Denique, omnes illæ ſententiæ cenſentur iucundæ, quæ de ijs rebus ſunt, quas homines vel uniuerſe, vel priuate libenter vſurpant, aut audiunt, repetuntve: quo fit, vt aliı̨ alijs ſint iucundæ: vt viris honeſtis honeſtæ, impuris impuræ: libenter pueri ludicras audiunt: cum voluptate ſenes & milites geſta ſua repetũt,

&

& præteritorum laborum recordantur. His adderes ſententias, in quibus adeſt beneuolentiæ & amoris ſignificatio. Et quoniam ſuauitas non ſolum ex ipſis rebus naſcitur, ſed etiam ex genere tractationis, compoſitionis, verborumque, propterea de his quoque aliquid dicemus.

Quarta poſitio, methodus ſuauitatis eadē eſt, quæ puritatis & ſimplicitatis; cum ſuauitas, nihil aliud ſit, quam quædam exornata & compta ſimplicitas, & vt quidam loquitur, maior, quam pro natura ſimplicitas. Erit itaque huius ideæ tractatio ſimplex, ut quo magis procul ab arte diſtare videbitur, eo magis arte quæſita cenſeatur: cui ſi aliquid ſplendoris cum mollitudine adiungetur, fiet omnino oratio feſtiua & uernans: qualis eſt illa: Lul.

Huc ades o Galatea, quis eſt nam ludus in undis? Vir. Ecl. 9
Huc uer purpureum, uarios hic flumina circum
Fundit humus flores, hic candida populus antro
Imminet, & lētæ texūt umbracula vites.

Similiter, ſi ſimilitudines ex rebus iucundis & ijs quibus delectamur, cum ſimplicitate aſſumantur; ut,

Tale tuum carmen nobis diuine peta Vir. Ecl. 5.

Quale ſopor feſsis in gramine, quale per æſtum

Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo.

Quincta poſitio, dictio ſit pura, ſimplex, natiua, hominum moribus accommodata: itaut ruſticus ruſticis utatur uerbis, antiqua perſona antiquis, & ſic de alijs Mataphoræ ſint quotidianę & notæ; non longius ſumptæ, cuiuſmodi ſuut illæ quę ab imitatione ſumuntur; ut, pipillare, immurmurare. Et cum poetica dictio ad delectandum ſit comparata, nulli formæ magis ccngruet, quam huic de qua agimus; ſi tamen poetica verba cum modo adhibeantur, ut, Cedo, amabo, ſodes, dicier, da iungere dextram, & alia horum ſimilia. Neque ſolum verba, ſed & integræ ſententiæ a poetis ſumptæ ſi ſuis locis ponantur, ſuam ſecum afferunt ſuauitatem. Suaues ſunt uerſus, ſi tanquam teſtimonia & confirmationes noſtræ ſententiæ introducantur; maxime ſi unum cum ſoluta oratione efficient corpus. Etenim, ſi poeticæ ſententiæ ſeorſim tanquam teſtimonia apponantur, faciunt orationem politicam, & magis ſunt didacticę, quam ſuaues. Carmina extempore facta ſuauitatis nonnihil habent: vnde etiam noſtris uti poſſumus, quæ alijs attribuimos. Suauiſſime Cicero in catone ma-

iore a verſibus Ennianis exorſus eſt,

O Tite, ſi quid ego adiuto, curamue le
vaſſo,
Quæ nunc te coquit, & uerſat ſub pecto-
re fixa,
Et qua deprimeris, & quid erit pretij?

Et Perpinianus vir religione & eloquentia ſingulari præditus in oratione de arte Rhetorica diſcenda a verſibus Horatianis luculenter exordium ſumpſit,

Spectatũ ſatis, & donatũ iã rude quæris
Mæcenas iterum antiquo me includere
ludo:
Non eadem eſt ętas.

Faciunt etiam ad ſuauitatem adiuncta, ſiue epitheta, vel vno verbo facta; vt Fidus Achates, vel pluribus: diminutiua, aduerbia, & verborum traductio, & denique maiorem deſideratiua, ſeu optatiua oratio ſuauitatem habet, quam indicatiua. Poſtremo, hæc forma nõ refugit aliqua uerba acria, ut ſolent eſſe epitheta quædam, quæ acrorem habent: Vitanda tamen ſunt quæ aſperitatem & męſtitiam quã dam afferunt; ut durus, aſper, difficilis, rigidus: mollis, facilis, lenis. Ocioſa vero, longe petita & inepta adiuncta, ex Ariſtotelis & L. Craſſi ſententia reijcienda ſunt: ne frigida fiat oratio: quam mollem & delica- Lib.3.c.2. Cic.lib.3. orat.

tam congruentia redeunt epitheta: vt,

Nuda ſimplicitas, purpureuſque pudor.

Sexta poſitio, ſuauitati ea potiſſimum inſeruiunt ſchemata, quæ puritati, ſimplicitati, & pulchritudini ſunt accommodata. Sint igitur ſchemata pulchra, tenuia & pura: ut ſunt, comparia, ſimiliter cadentia, deſinentia, agnominationes, peruerſiones, traductiones, caſuũ varietas, & aliæ ſimiles, quæ in uerbis aliquem iocum & titillationem habent. Ironiæ autem, præocupationes, & interrogationes, vt a ſimplicitate ſunt remotæ, ita etiam non ſunt ſuauitati accommodatę: mollis tamen interrogatio, cum amoris ſignificatione, & ſimplex exclamatio nihil de ſuauitate detrahunt.

Septima poſitio, ſuauitas, non puritatis, ſed ſimplicitatis, & pulchritudinis collocationem amat; quæ non ſit aſpera, neque hiulca. Frequententur igitur vocales molles, ut eſt E, maxime, ſi I, accedat; vt,

Paſſer delitiæ meæ puellæ,
Qui cum ludere, quem in ſinu tenere,
Cui primum digitum dare appetenti.

Similiter omnes exiles vocales, quę mollitudinem habent: quarum amantiſſimus fuit Ouidius, ſicuti a latioribus abſtinentiſſimus. Similiter ex conſonantibus mutis molliores ſunt, quæ mediæ uocantur. Vnde in hac oratione

tione aſperitas de ſuauitate non nihil detraxit,
Sunt & iuniperi & caſtaneæ hirſutæ — Vir. Ecl. 7.
Strata iacent paſsim ſua quæque ſub arbore poma.

At vero in oratione non ſuaui, maximas delicias mollis iunctura facit; ut,
Aret ager, uitio moriens, ſitit aeris herba — Ecl. 4.
Liber pāpineas inuidit collibus umbas.

Octaua poſitio, clauſula non ſit omnino mollis, ſed etiam ſimul ſplendida, & digna, cuius ſolida & firma ſit baſis, vt hoc in loco,
Et ſuperiecto pauidæ natarunt,
Aequore damæ.

Ideo ſuauitas eoſdem amat pedes, quos dignitas & pulchritudo, non ſolum formoſos & delicatos, ſed etiam ſeueros, ut dactylum, anapæſtum, pæonem, apitritum, choriambum, & trochæum, quos mollis ſequitur compoſitio, qualis eſt illa, in qua a longis in breues decumbit rhythmus; ut,
Et qui cęruleū dirimebat Nerea delphin.

Atque ex his qualis debeat eſſe numerus perſpicuum eſt. Quantum autem ſyllabarum & vocalium qualitas ad ſuauitatem, uel aſperitatem conficiendam conferat, ex eo intelligitur, quod cum alias ijdem ſint pedes; tamen vna aſpera, ut
Inde thoro pater Aeneas.

Alia ſuauis, & formoſa erit oratio; ut Temperet a lachrymis.

Nona poſitio, hoc dicendi genus, cum moderatione adhibendum eſt, faſtidij tollendi gratia, quod ſecum affert, fidemque oratori adimit, ſi ſæpius, aut diutius uſurpetur.

De acumine, ſiue ſubtilitate. Diſp. XIIII.

NE igitur compta atque uernans oratio, uel faſtidium generet, aut fidem minuat; ad acrē acutamq; orationem confugiendum erit; quam aliqui, verbo quidem alias male ſonanti, ſed ſatis ad rem deſignandam accommodato, calliditatem uocant: quæ, non cum dolo & fraude, ut in ſubdolis & veteratoribus, ſed cum uirtute, ut in cordatis & cautis hominibus, ſit coniuncta. Eſt enim acumen, ſiue ſubtilitas ſimplicitati oppoſita: & ut hęc ingenuitatem quandam præ ſe fert, ita ſubtilitas præſentem animum deſignat; nō aſtutum, & verſutum, ſed qui caute & prudenter omnia videat, ſubtiliterque & accurate enuntiet. Huius ideæ tractationem Hermogenes inſcripſit, de acri, acuta, venuſta, & ſimul læta oratione; quæ in dicendo ſuauitatem parit. Acrimonia

monia eſt genus dicendi mordicans et uellicãs, alijs moleſtum, iudicibns uero gratum. Acuta oratio ſubtilitatis & eruditionis ſignificationem habet: Venuſtas uero orationis, eſt ſuauis acrimonia: Delitiæ ſunt ipſa concinnitas & ornatus orationis acutæ: & ubi iſta reperiuntur, inuenitur etiam uoluptas. Sed iam propoſitę ideæ uim explicare aggrediamur. Drimytes Hoxytes. Hora. Abrotes. Hedone.

Prima poſitio, acutum dicendi genus eſt Oratori maxime neceßarium. Nam, cum morata oratio, cuius partes hic explicamus, comparata ſit ad auditorum animos conciliandos, non ſolum ſimplicitatis ſuauitatiſque ſpeciem habere debet, ſed etiam acrimoniæ, quæ ſuauitatem & mollitiem temperet, & ſeueritatem uirilem cum iucunditate coniungat: ut in ironijs, metaphoris, & allegorijs fieri debet.

Secunda poſitio, acutæ orationis ſententiæ ſunt ſimplicitati contrariæ: et ita huc pertinẽt ſententię graues, profundæ, quæ aliud uerbis, aliud re compleɛti uidentur, non falſæ, non fabuloſæ: ſententię, inquam de rebus difficilibus, paradoxis, quas Orator ſe demonſtrare poße confidit; ut patet apud Ciceronem in ſuis paradoxis. Item callidæ omnes & difficiliores coniecturæ; ut apud Terentium, Enimuero Daue, nihil loci eſt ſegnitię, neque ſocordiæ, &c. Item omnes philoſophicæ definitiones, diuiſio-

nes, demonſtrationeſque acutę & ſubtiles cenſentur. Huc ergo pertinent reconditæ ſententiæ, quæ tamen aperte, hoc eſt, cum expoſitione proponendæ ſunt; ut ſunt ſales, ioci, & alluſiones, quæ tectam ſignificationem habent, & a paucis intelliguntur: Vt, oculis nubere: melius eſſe otiari, quam nihil agere, ac proinde explicatione egent: &, vniuerſe, omnes acutæ & graues ſententiæ. Vbi notandum eſt, calliditatem, ſiue ſubtilitatē eſſe duplicem: unā apparentem, cum rē aliquam ita proponimus, ac ſi eßet maxime difficilis, profunda atque acuta, quæ tamen non ita eſt; aut ſi eſt, non ita exiſtimamus: alteram veram, quę verum continet acumen; & ut in re alias facili poteſt aliquis eſſe acutus, cum accurate & ſubtiliter tractatur, ita in re difficili & graui, ob tractationis formam, non uere acuti eſſe poßumus. Quo fit, ut hæc idea potiſſimum a tractationis, ſiue ductus ratione pendeat. Neque ſolum in rerum, ſed etiam in verborum genere acris cernitur ſententia: ut ſi mulierem philandron appellares. Philandron eum hominem ſignificat, qui rebus fortiter geſtis maxime delectatur, & philandria, rerum magnarum ſuſceptionē. At vero vox illa mulieri applicata ſubtiliter per ironiam fœminam libidinoſam deſignat. Sunt autem quattuor uerborum genera, quibus ſen-

*tentiæ fiunt acutæ Primum, cum per homony-
miam & catachreſin habent acumen: ut ſi ſcor
tum uocares philandron, orationem beneuolā,
& mortem pallidam. Qua in re acute ſe geſſit
Perſius, qui metaphoras, allegorias, & trāſum
ptiones acutas ſæpe fecit. Vbi cauenda erit fri
giditas, ut Ariſtoteles monet. Secundum, con-* Lib. 3. rhe. c. 2.
tinet verba ſono ſimilia, ſed ſignificatione dif- Lib. 3. c. 15.
*ferentia, de quo genere aliquando meminit Ari
ſtoteles; nec improbat: Antonius vero, apud Ci* Lib. 2. de orat.
ceronem, etiam commendat. Vt ſi dicas, incę- Cic. lib. 7.
ptio haud amantium; ſed amentium: in hac epiſt. pen.
*fama, tanquam flamma. Tertium, quod fit ex
paranomaſia, quando idem uerbum bis terue
repetitur in ſignificatione diuerſa. Quartum,
quod fit coniunctione duarum translationum,
quarum altera ſit durior. Quo circa, in acri ora
tione prius uſitatæ metaphorę, poſterius minus
vſitatæ ponuntur: contra in puritate.*

*Tertia poſitio, acuminis methodus debet eſ
ſe maxime figuratus; qualis eſt ductus obli-
quus, qui fuit Socrati multum familiaris: in-
troductio ſermonis per ironiam, & emphaſim;
vt, Nouum crimen C. Cæſar, & ante hunc* Pro Ligar.
*diem inauditum, & quæ ſequuntur. Et quam-
uis narratio debeat eſſe dilucida, cui repugna-
re uidetur callida ac ſubtilis expoſitio: tamen,
vir acutus ita argute omnia diſtinguet, ut etiā*

clare narret, & ſuſpiciones & argumentorum ſemina ſpargat, quod eſt ſubtilitatis maxime proprium. Huc etiam pertinet ingreſſus per occupationem, & prolepſin, ſiue refellas & aduerſarium eludas, ſiue rei difficultatem occupando demonſtres: ut, In qua tandem ciuitate Pro Mil. *hoc homines ſtultiſſimi diſputant? Video, ubi ſe iactaturus ſit Hortenſius. Quare etiam reſponſiones breues & acutæ, ſubtiles ſunt. Sicuti & parodes, hoc eſt declinationes a propoſito prudenter factæ: ac etiam diſſimulationes, & reticentiæ. Communicatio quoque, qua ipſum alloquimur aduerſarium multum habet acuminis: ut, Te uti in hac re magiſtro uolo, quæro, ſit ne aliqua huius actio, an nulla? maxime cum in aliquem errorem inducit eum, quocum loquimur. Similiter tractatio per commorationem: cum in una & eadem re commorari, non ſit ſimplicitatis, ſed hominis eruditi atque ſagacis: atque idem de Ethologia affirmare licet: cum nemo poſſit aliorum perſequi mores, qui mente utatur ſimplici.*

Quarta poſitio, Acuminis dictio, qualis eſſe debeat, primum patet ex illis quattuor generibus verborum, quibus ſententiam acutam fieri poſſe docuimus. Amat itaque hoc orationis genus paranomaſias, metalepſes, tropos, allegorias, & onomatopoeias ſubtiliter factas,

quæ

quę rerum vſum, ingenij vim declarent; vt, Domi, talpa foris Argus: Gloria crocodilus. Exēpla multa Perſij ſcripta ſuppeditant, quem duriores tropi obſcuriorem fecerunt. Item dictio obliqua, allęoſes, cum ſint variæ, et in ſumma circumducta locutio ſubtilitatem arguit: quia exquiſitam & excogitatam ſententiam continet.

Quincta poſitio, quæ ſint huic ideæ accommodata ſchemata ſatis ex iam allata doctrina patet; illa nimirum quæ præmeditationem & ingenij acumen oſtendunt: ironiæ, agnominationes, interrogationes, iterationes, gradationes, complicationes, & verborum innouationes.

Sexta poſitio, Huius formæ membra nulla ſunt: verum ſi quid artis demonſtrent, vt membra longiora, pulchra, ambitus, & ſubtiles articulationes, ſubtilitatis nonnihil indicabunt: vt ex initio Quintianæ orationis colligere licet.

Septima poſitio, Quod attinet ad iuncturā, nihil præcipiēdum priuate occurrit; niſi quod, ubi maior apparebit induſtria, & diligentia, quæ mores poſſit indicare, ibi maius dabitur ſubtilitatis indicium.

Octaua poſitio, de clauſula pedibuſque, & numero huius formæ, illud vniuerſe dixerim,

ple-

plenam modulationem, & accuratam concinnitatem, commenſuratoſque numeros ſubtilitatem & venuſtatem arguere, quamuis iſta minus in ſubtilitate deſiderentur. Quo loco illud adnotauerim, eſſe quoſdā, qui ſubtilitatē arte, acumen natura, calliditatē aſtu verſutiaq; & cōſilio definiunt: eſſeq; huius ideæ propriū ſentētias ſenſuſque profundiores ſimplici ſermone, & contra, exponere: ſiue id callide, ſiue argute & ſubtiliter, ſiue acute & cum celeri mentis agitatione fiat. Cuius exemplum apud Platonem habetur in oratione Pauſaniæ; quę definitionibus, diuiſionibus, diſtinctionibus, confutationibus, interpretationibuſque eſt referta. Sed de hac forma hactenus.

De modeſtia, ſeu moderatione. Diſp. XV.

INTER ſimplicem ſiue ingenuam & ſubtilem argutam ve dicendi rationem, eſt alia quaſi media, quā Græci epyciān, nos modeſtiam, moderationem, & mitigationem, quamuis non ita proprie, nominamus: quam minus bene aliqui bonitatem vocant: de qua breuiter acturus, has ſtatuo Ant. Bōſ. *poſitiones.*

Pri-

Prima poſitio, hæc loquendi forma ortum habere videtur ab humanitate, quam Græci philanthropiam vocant: ac proinde ab Ariſtotele, philia, hoc eſt beneuolentia fuit appellata: cum beneuoli eſſe nequeant, qui vel ſibi multum arrogant, vel alijs dicendo detrhaunt, quod eſt huic virtuti, quam explicandam ſuſcepimus, omnino contrarium.

Secunda poſitio, huius ideæ vis in eo ſita eſt, vt oratio non ſit ita ſimplex, quaſi nihil præſentiat, neque ita cauta & ſubtilis, vt ſit, cum Platone loquar, cachypoptos, ſuſpicioſa, & malorum præſcia: ea itaque ſolum quæ notari & argui poſſunt videt, & quaſi media & recta via incedens, alienis erroribus conniuet, neque omnino dilatat, aut negligit; dum moderate de illis ſermonem habet, & de iure ſuo aliquid alijs concedit. Eo itaque hæc figura ſpectat, vt magis alijs cedere, quam ſe preferre velle dicendo videatur. Quocirca, Orator per hanc ideam aliquantulum ſe demittit, et quaſi eſſet de numero vulgi, ſe cum vulgo comparat, dum modeſte, verecundeque de ſe ſentit. Quæ virtus videtur eſſe contraria ſplendori, cum tamen ſolum ſit ab eo diuerſa. In ſplendore enim magnifice loquitur Orator, cum ait, O fortunatam natam, me conſule, Romam: Cedant arma; togæ, hic vero ſe deprimit, quaſi deteriores

par-

partes habeat in cauſa : quod accuſare cogatur : quod priore loco ei ſententiam dicere ſit Pro Quī. 5. Roſc. *neceſſe. Atque ex his facile erit intelligere, quam ſit hoc dicendi genus Oratori neceſſarium, & quę ei conueniant ſententię.*

Tertia poſitio, ſententiarum huic ideæ ſubiectarum quattuor ſunt genera. Primum, cū de iure ſuo aliquid ſe remittere is qui dicit demonſtrat; quaſi partes minus bonas habeat in cauſſa: Quæ ſententię plurimum poſſunt in exordijs eius cauſæ, quæ accuſationem continet: in defenſione vero vim indignationis habent. Secundum, cum Orator ita de ſe loquitur, ac ſi eſſet vnus de vulgo, cum ſe extenuat, & alios commendat: vt, Si quid eſt in me ingenij, iudices, quod ſcio, quam ſit exiguum. Itē, Quæ quidem ſi potentia eſt appellanda potius, quam propter magna in rep. merita mediocris in bonis cauſſis auctoritas, & quæ ſequuntur. Pro S. Ro. *Et alio loco, ſe modeſtus Orator multis adoleſcentibus ex inferiore ordine æquat. Primum genus in re, hoc in perſona cernitur. Tertiū, cum oſtendit ſe aduerſarij importunitate coactum in iudicijs verſari, aut accuſationem inuito ſuſcipere: voluiſſeque potius rem per ar-* Pro Quī. *bitros definiri. Quartum, cum orator ait ſe eſſe dicendi imperitum, & ſe ob aduerſarij improbitatem ad dicendum acceſſiſſe: Vt, Cogor*

di-

dicere contra hominem diſertiſſimum, &c.

Quarta poſitio, modeſtię tres tractandi rationes aſſignat Hermogenes: per imminutionē, ſeu extenuationem, per prętèritionem, & per ſimplicem rerum expoſitionem. Vbi illud ante earum declarationem admonuerim, quod licet in aliqua idea eadem ſint ſententiarum, & methodi nomina: tamen adhuc inter ſe iſta diſtinguuntur: quoniam aliud eſt ſententia ipſa, aliud vero, hęc vel illa explicandæ ſententię forma. Tractantur igitur moderatæ ſententię per diminutionem, cum bona & commoda noſtra, aut aduerſarij uitia extenuamus. Quod non videtur ſeruaſſe Virgilius, cum Aeneam nimiū de ſe ſentientem fecit, qui cum ſplendore moderationē admiſcere potuiſſet. Maxime autem placet extenuatio, ſi abſque extenuationis ſignificatione fiat: minus ſiqua præcedat indicatio. Neque enim in laudibus proprijs extenuandis inquirenda eſt manifeſta ironia: cum hæc figura non congruat humanitati, a qua hæc idea, vt dicebamus, pendet: quare potius moleſtam quam modeſtam orationē, & contra aduerſarium vehementem reddit: ut, ſed ſtulti ſumus, qui Druſum qui Africanum, Pompeium noſmetipſos cum P. Clodio conferre audeamus. Et, exhibe quæſo, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum veſtrarum, quod

In Ver. Pro Quí.

Pro Mil.

te aiunt eripuiſſe e domo, & ex medijs armis, tubaque nocturna, tanquam Palladium, &c. Tractatio per præteritionem ſit, cum omnino prętermittimus ea quæ de nobis bene, aut quę de aduerſario male dicere poſſumus. Quæ præteritio, vel ſit cum commemoratione eorũ quæ prætermittuntur, vel omnino tacite: & hic modus magis verecundam orationem facit. Siquidem cum res quæ dici poterant numerantur, ſit præteritio nomine tantum. Tractatio per ſimplicem expoſitionem pertinet ad ſententias ſimplicitatis & puritatis: qui enim modeſte loqui vult, rem ſimpliciter attingit. Permiſſio quoque, qua aliquid conceditur, & communicatio cum iudice, cum auditoribus, & aduerſario modeſtiæ methodo inſeruiunt; vt,

Tu maior, tibi me eſt æquum parere Menalca.

Et denique exordia per adiudicationes, & dubitationes ſumpta, & quæ beneuolentiam habent coniunctam methodum facient modeſtã. Si quis veſtrum, iudices, aut eorum qui adſunt, forte miratur, me qui tot annos in cauſſis, &c. Diu. in Ver.
Et ſi vereor, iudices, &c.

Quincta poſitio, modeſtiæ verba debent eſſe pura, mediocria, quę rem non ſatis pro dignitate exponere videantur, aut rem minorem efficacius exprimere, cum aliena laudamus: item

item, verba moderata, vt mea quidem ſententia, vt mihi videtur; & verba affirmata aduerbijs iurandi, equidem, profecto. Pura itaque & minime affectata dictione utitur modeſtia, modice tamen obliqua.

Sexta poſitio, modeſtiæ ſchemata ſunt quæ aliquam moderationis ſignificationē præbent; vt correctio eorum quæ de ſe bene, aut quæ de alijs male dicuntur: occupatio ſine pręmunitione, ac etiam prętermiſſio.

Septima poſitio, quod attinet ad membra, collocationem, clauſulam, & numerum, nihil præcipit Hermogenes, cum eadem ſint quæ in puritate. Cęterum, compoſitio non erit a circuitione aliena, præſertim in exordijs, vbi maxime moderatione & beneuolentia opus eſt. Ex quibus colligere licet, huius ideæ vim totā fere in ſententijs & in tractandi ratione poſitam eſſe: vt de propria humilitate aperte & ſine hæſitatione vlla, ſed tamen cum moderatione loquamur: de gloria vero cum dubitatione, vel extenuatione: contra de aliena gloria aperte & emphatice; de vitio autem cum extenuatione & dubitatione. Atque de modeſtia hęc dicta ſufficiant. Pro Plāc.

De

De graui, ſiue atroci oratione. Diſp. XVI.

HANC, quam nunc explicaturi ſumus ideam, Hermogenes Baryteten appellat: aliqui latine grauitatem, alij obiurgationem, alij grauedinem, alij denique atrocitatem vertunt. Vt autem quid per grauitatem hoc loco intelligendum ſit planè explicemus, animaduertendum eſt, tres eſſe orationis formas, quas vno grauitatis verbo Latini appellare ſolent: quę apud Græcos varia habent nomina. Prima, quę græce ſemnotes, ideſt dignitas, ſeu grauitas, quę ex rerum natura æſtimatur: cuiuſmodi ſunt ſententiæ de Deo, de natura, & de rep. Secunda dinote, grauitas, ſiue decorum ab Oratore in perſonis, locis, & temporibus obſeruandū, de quo poſtea latius dicetur. Tertia barytes ideſt grauitas ob audientis moleſtiam, et obiurgantis auctoritatem: atque de hoc grauitatis genere hoc loco diſputaturi ſumus: de quo ſit ſtatuo. Ant. Boſ.

Prima poſitio, hæc idea græce communi voce barytes vocatur, & interdum, embrithe, phorticon, & auſteron, hoc eſt, grauitas, vel

ſermo

ſermo grauis, importunus, moroſus, difficilis atque acerbus: moroſa inquam, atque cum tædio iuncta oratio.

Secunda poſitio, grauitas eſt ſermo durus, aſper, & importunus, ex affectione, dolore excitata, erumpens; ſiue oratio, quæ obiurgationem & expoſtulationem continet; cum ſcilicet meritis noſtris non reſpondetur: cum multo aliter, atque par eſt, de nobis iudicatur: & cum in opinione de noſtris amicis fallimur.

Tertia poſitio, grauitatis duo ſunt genera: alterũ moroſum quod ſemper iunctũ eſt cũ tædio, quod nihil continet benignum, nihil iucundum, atque illuſtre: ſed ſemper odium, moerorem, acerbitatem, contumaciam, & pertinaciam iunctam habet: quod genus moroſis ſenibus, agreſtibus barbariſq; hominibus eſt accõmodatum; vt apud Terentium facile obſeruares, dum quoſdam ſenes loquentes facit: qui queruli, ſuſpicioſi, et alienæ vitæ cẽſores acerbi eſſe conſueuere: ſicuti barbari homines, milites paucorum verborum, peruicaces in ſententia, & aliorum contemptores, ſuarumque rerum putidi prædicatores: quorum oratio ſolet eſſe ſimplex, aperta, libera, atque conciſa: vt, Cic. in fine exor. Milon.

O præſtans animi iuuenis, quantum ipſe feroci Vir. li. 12.

Virtute exuperas; tanto me impenſius
æquum eſt
Conſulere.

Hoc orationis genere, breui ſcilicet atque conciſo, in re militari conſcribenda vſus eſt Vegetius. Alia eſt modeſtior atque remiſſior, cum indignatio non tam ex præmeditatione, quam ex repentina perturbatione ex dolore exorta naſcitur; cum ſcilicet ſine contumacia, & aſperitate, cum quadam modeſtia, ex abrupto, in exclamationes, & querelas prorumpimus: quam formam, quidam humilitatem, grœce tapinoteta, vocant; vt,

Veget.

Vir. lib. 2. Aen.

Heu quę nunc tellus, inquit, quę me ęquora poſſunt
Accipere? aut quid iam miſero mihi denique reſtat?
Cui neque apud Danaos vſquam locus: inſuper ipſi
Dardanidæ infenſi poenas cum ſanguine poſcunt.

Quarta poſitio, huius formæ ſententię ſunt onediſticæ, hoc eſt, exprobratorię, quæ exprobrationes continent, vt illa apud Terẽtiũ, ego poſtquam te emi a paruulo, ſcis vt ſemper tibi apud me iuſta & clemens fuerit ſeruitus; feci e ſeruo vt eſſes libertus mihi; cum ſcilicet aliquis ſua in quempiam merita oſtentat, & nihil,

In Andr. act. 1. ſce. 1.

hil, aut parum ab eo ſe accepiſſe commemorat, vel aliquid graue pro meritis ſe accepiße, dicit: vt,

Nuſquam tuta fides, eiectum litore egentem Vir. lib. 4. Aen.
Excepi, & regni, demens, in parte locaui,
Amiſſam claſſem, ſocioſque a morte reduxi.
Nunc Lyciæ ſortes, &c.

Itaque, vt ſummatim dicam, querelæ, increpationes, exprobationes, contumeliæ, minæ, ac ſimiles parum benignæ ſententię huc pertinent; ſententiæ inquam triſtes, aliquando cum dignitate, aliquando cum importuna repetitione prolatæ, maxime in primo grauitatis genere: in altero nanque, ex miſericordia, ſeu ex grauitate modeſtiore naſcuntur: ubi abſque præmeditatione in exclamationes prorumpit oratio: ſimiliter ſententiæ ironice tractatæ: adiudicationes dubiæ in rebus certis atque confeſſis graues & oneroſæ putantur. Sed quoniam maxima vis huius ideę in tractatione conſiſtit, iam de methodo dicamus.

Quincta poſitio, ſententiæ quæ exprobrationem continent quattuor fere modis efferuntur. Primum, cum habent rerum ſycriſin, hoc eſt comparationem: vt, pro multis & ma-

Virtute exuperas; tanto me impenſius
æquum eſt
Conſulere.

Hoc orationis genere, breui ſcilicet atque conciſo, in re militari conſcribenda vſus eſt Vegetius. Veget. *Alia eſt modeſtior atque remiſſior, cum indignatio non tam ex præmeditatione, quam ex repentina perturbatione ex dolore exorta naſcitur; cum ſcilicet ſine contumacia, & aſperitate, cum quadam modeſtia, ex abrupto, in exclamationes, & querelas prorumpimus: quam formam, quidam humilitatem, grçce tapinoteta, vocant; vt,*

Vir. lib. 2. Aen. Heu quę nunc tellus, inquit, quę me ęquora poſſunt
Accipere? aut quid iam miſero mihi denique reſtat?
Cui neque apud Danaos vſquam locus: inſuper ipſi
Dardanidæ infenſi poenas cum ſanguine poſcunt.

Quarta poſitio, huius formæ ſententię ſunt onediſticæ, hoc eſt, exprobratorię, quæ exprobrationes continent, vt illa apud Terētiū, ego poſtquam te emi a paruulo, ſcis vt ſemper tibi apud me iuſta & clemens fuerit ſeruitus; feci e ſeruo vt eſſes libertus mihi; cum ſcilicet aliquis ſua in quempiam merita oſtentat, & nihil, In Andr. act. 1. ſce. 1.

hil, aut parum ab eo ſe accepiſſe commemorat, vel aliquid graue pro meritis ſe accepiße, dicit: vt,

Nuſquam tuta fides, eiectum litore egentem

Excepi, & regni, demens, in parte locaui,

Amiſſam claſſem, ſocioſque a morte reduxi.

Nunc Lyciæ ſortes, &c.

Vir. lib. 4. Aen.

Itaque, vt ſummatim dicam, querelæ, increpationes, ex probationes, contumeliæ, minæ, ac ſimiles parum benignæ ſententię huc pertinent; ſententiæ inquam triſtes, aliquando cum dignitate, aliquando cum importuna repetitione prolatæ, maxime in primo grauitatis genere: in altero nanque, ex miſericordia, ſeu ex grauitate modeſtiore naſcuntur: ubi abſque præmeditatione in exclamationes prorumpit oratio: ſimiliter ſententiæ ironice tractatæ: adiudicationes dubiæ in rebus certis atque confeſſis graues & oneroſæ putantur. Sed quoniam maxima vis huius ideę in tractatione conſiſtit, iam de methodo dicamus.

Quincta poſitio, ſententiæ quæ exprobrationem continent quattuor fere modis efferuntur. Primum, cum habent rerum ſycriſin, hoc eſt comparationem: vt, pro multis & ma-

gnis beneficijs nullum accepi : pro maximis minima ; uel pro multis unum. Deinde, cum rerum & perſonarum ſit comparatio ; ut, nos multa pro rep. feliciter geſſimus, & nihil accepimus ; alij pauca, & multa acceperunt, & ſic de alijs modis, cum eadem ſit perſonarum quæ eſt rerum comparatio. Quod attinet ad ſententias modeſtiæ, hę fient tractatione graues, ſi Orator, permutatione utetur; ut ſi exempli gratia, vellet aliquẽ reprehendere, & eũ virum bonũ appellaret: et ſi ſeipſum cõmendãdo ſuum ſtudium ac diligentiam furorem nominaret: ita ut dicat contrarium orationis propoſitæ, non tamen id quod eſt contrarium ueritati: vt cum diſſimulat ſe non ægre ferre, & tamen ægræ fert. Quamuis autem hæ ſententiæ ad modeſtiam ex ſe pertineant; tamen, quia ironice, & per diſſimulationem tractantur, ad genus grauitatis referendæ ſunt: vt, Videlicet me latronem, me ſicarium abiecti homines & perditi deridebant. Præterea, ut ſupra innuimus, ſententiæ fiunt tractatione graues, ſi per dubitationem tractentur; ut, ſi quæ ſunt certa atque confeßa per dubitationem in dubium reuocentur: vt, Ego autem puto virum fortem non debere fugere: eſt ironia cum dubitatione, quæ nec riſum, nec beneuolẽtiam, gratiamue habet, ſed oneroſum sẽſum. Poſtremo,

no, cum accedit adiudicatio, hoc eſt, cum Orator ait ſe aliquid iudicare eſſe neceſſarium, quod tamen nolit haberi pro neceſſario. Et ut breuiter concludam, tractantur grauitatis ſententiæ, vel per comparatam extenuationem, vel per dubitationem, uel per iudicium, uel per ironiam: quo referres omnem hoſtilem, atque acerbam irriſionem, & exprobationem, cum contumacia, aut pertinacia, libertate ue prolatam; & denique omnes reprehenſiones, redargutiones, probationes, exclamationes, & epiphonemata, quæ cũ quadam importunitate, & contumacia, ſeueritateque tractantur, grauitatem quandam ex ductu ſuſcipiunt: Vt, res loquitur, iudices, ipſa quæ ſemper ualet plurimum: Vbi nunc ſenatus, quem ſecuti ſumus? ubi equites Romani? Ego propter me illam decipimiſeram ſinam?

Quem fugis, ha demens? habitarunt Dij quoque ſyluas. Vir. Ecl. 2

Pro Iupiter? dirumpor: hæccine flagitia. Et in ſacris literis, Cum exarſerit breui ira eius, beati qui ſperant in eo: Delicta quis intelliget? Pſal. 2. & 18.

Sexta poſitio, Grauitatis dictio ſit aſpera; translationes ex rebus vulgaribus, ac etiam ex tempore factę, & recens fictæ ſint; ut, furcifer, carnifex, o Solon, Solon, vos Græci ſem-

per pueri, nec tempore unquam caneſcitis. Sed hæc omnia ſimplici, aſpera, & aperta enunciatione, atque demonſtratione, quaſi res ipſa cerneretur, enuntianda ſunt.

Septima poſitio, quæ ſint huius figuræ ſchemata, iam patet ex ijs, quæ de tractatione diximus. Siquidem ad hoc genus tractandum aſſumuntur ironiæ, & omnes acerbiores ironiæ modi, præteritiones, dubitationes, adiudicationes, repetitiones, exclamationes, reticentiæ, abſciſiones, correctiones, iuſiurandum, interrogationes, & epiphonematicæ concluſiones; vt,

Vir. Aen. lib. 3.

——Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Octaua poſitio, membra ſint breuiora, atq; conciſa. Siquidem ſermones contracti, & quaſi in ſpiram flexi, magis feriunt: & magis pugnax eſt breuitas, quam longitudo: quod etiam belluæ pugnaturæ oſtendunt, dum ſeſe per antiperiſtaſin paullulum contrahunt.

Nona poſitio, quod attinet ad cõpoſitionẽ, ordo ſit rectus, iunctura biulca; cõiunctionum frequentatio; non tamen diuerſarum: quia id curam ſtudiumque deſignat; quod a ſeueritate abhorret. Quare, quæ ad vehementem celeremque

que ſtructuram faciunt, hic etiam deſiderãtur. Quo fit, ut ſubita & expedita eſſe debeat ad obiecta ſine cataſtaſi reſponſio: ut eſt apud Tullium in Miloniana peroratione, At qua in cauſſa non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus. A quibus non potuiſſe? ab ijs qui maxime P. Clodij morte acquieuerunt. Quo deprecante? me. Quodnam concepi tantum ſcelus, aut quod nã in me admiſſi tantum facinus, Iudices? omnes in me meoſque redundant ex illo fonte dolores. Verum hic maior membrorum diligentiæ, harmoniæque cura, & maxime numerus ille in ultimo membro heroicus, de ſeueritate multum detrahit: quod in miſericordia non aſperitate, ſed ſuauitate potius opus ſit. Quare, cum precibus, cum miſericordia utendum eſt, uerba erunt molliora, longiora, compoſitio ſuauior, & potius extenſa, quam periodica. Sunt enim, Homero auctore, preces claudæ rugoſæque, cuiuſmodi ſenes eſſe ſolent, nimirum ob corporis imbecillitatem, prolixi, circumducti, & in narrando multi: ut obſeruare licet in Sinonis querela apud Virgilium, cum de ſua aduerſa cõqueritur fortuna. Ex quibus colligeres, duas eſſe grauis orationis rationes, ſiue ſtylos, auſterum & oneroſum unum, tapinon, ſiue humilem alterum.

Decima poſitio, quod attinet ad alias huius

ideę partes, nihil pręcipi ſolet, ſed habet eas cum alijs formis communes, & maxime cum ſimplicitate, modeſtia, affectaque oratione.

Vndecima poſitio, quamuis hæc idea mentionem faciat meritorum noſtrorum in remp. & alios, quę ſententiæ ſplēdoris ſunt propriæ, reprehenſionem caſtigationemque continere videtur, ſicuti aſperitas & vehementiæ: tamē ab omnibus differt. Nam in ſplendore ſententiæ illæ ſumuntur ad maiorem demonſtrandam fiduciæ ſignificationem; hic vero ad exprobrādum: in aſperitate & uehementia ſuperiores, vel inferiores perſonę reprehenduntur; hic per beneficiorum exprobrationem obiurgantur: ac etiam interdum ſeipſum Orator reprehendit, quod beneficia in alios contulerit: hic eſt figurata, ibi aperta reprehenſio. Sed quoniam ex ijs quæ diximus huius ideæ uim plane explicatam eſſe arbitramur, ſit huic diſputationi finis.

Deveritate, ſeu probabilitate. Diſp. XVII.

VT in ſuperioris formæ explicatione, ita in hac exponenda non nihil inter ſe idearum ſcriptores diſcrepant. Alij nanque grauitatē in ſola obiurgatione et exprobratione verſari exiſtimant, & non in oratione

pathetica,

pathetica, quæ exclamationes, commiſerationes, & ſcheteliaſmos .i. abruptas & impræmeditatas affecti animi per orationem ſermones continet: alij vero in his quoque poſitam eſſe putant. Similiter quod ad ueritatem attinet, quidam totam in affectuum expreſſione uerſari arbitrantur, itaut per eam Orator non ſolum morum, ſed etiam affectionum ſignificationem præbeat, & ita dicat, ut id quod dicit, re vera, ſe ſentire demonſtret. Alij vero ueritatē in veriſimili dictione, & probabilitate, atque ſuadela, quā Græci pitanoteta uocāt, ſitam eſſe arbitrantur. Sed priorum ſcriptorum opinionē Hermogenis doctrinæ magis conſentaneam eſſe arbitramur. Nos, quoniam quæ ab utriſque ſcribuntur, & ad rem pertinent, ut in grauitate nonnihil de pathetica oratione diximus; ita in præſentia, ubi de ea ſpeciatim dicturi ſumus, de probabili oratione aliquid, & quidem primo loco, de aliorum ſententia, dicemus: & quæ illi latius diſputant, in pauca conferemus. Dicunt itaque primo, veriſimilem dictionem tribus fieri rebus, claritate, moribus, & probabilitate; quam Græci pithanoteta, Ennius ſuadam, & Horatius ſuadelam nominauit: qua, quæ conſtat oratio, pragmatica id eſt actuoſa & negocioſa, ac etiam epicheremática, hoc eſt, argumentoſa uocatur. Deinde

duabus

duabus partibus conſtare affirmant; quarum alteram in elementorum & literarum accommodatione atque conuenientia, & ueluti conſonantia inter ſe ponunt; ita ut iſta conuenientia rebus & perſonis ſit accommodata, quam aliqui negotioſum characterem uocarunt; ut cum dicitur, Pauliſper ſe uxor, ut fit, comparat, commoratus eſt: vbi vocum exiguarum cumulo, mulieris moram bonus Orator expreſ-
Pro Mil. *ſit. Hic uero artificioſiſſimus Poeta tarditatem, dum omnes longas ſyllabas quas adhibere licuit, adhibuit,*

Olli ſedato reſpondit corde Latinus.

Aen. 12. *Item, alio loco,*

——uolantque hęc litora circum;
Aen. 6. Tum demum admiſsi ſtagna exoptata reuiſunt.

Hæc igitur apta verborum compoſitio ita rẽ exprimit, ut oculis cerni, ſenſuque percipi videatur. Alteram uero in ſermone moribus perſonæ idoneis collocant: ut temere loquatur puer ſolicite mater, homo aliquo dolore commotus exclamet?

Vir. lib. 2. Aen. Heu quæ me tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
ra poſſunt
Accipere?

Verum hæc omnia potius ad decorum pertinere aliquis diceret, cui cõtraria eſt ineptitu-

do.

do. Rebus itaque & perſonis, quæ pro rerũ va rietate varie loquuntur accommodatus ſermo, probabilem primum orationem efficit. Preterea, pertinet ad veritatem vt quæ dicuntur circumſtantiarum frenquentatione atque argumentorum denſatione dicantur; ita, vt nullus diſſentiendi, aut dubitandi, immo nec cogitandi aliud quippiam relinquatur locus: quod fiet, ſi circunſtantiæ omnes attingentur, ſi nihil hominum opinioni, nihil hiſtoriæ, nihil naturæ repugnans dicetur: ita vt omnia ſint con ſentanea & credibilia. Iuuant hanc probabilitatem perſonarum mores, præparationes, & occupationes. Ideo artificioſiſſimus Poeta, cuius artem pauci ſunt qui intelligant, prius latentem receſſum in inſula Tenedo deſcripſit, vt conſentaneum videri poſſet, quod poſtea erat dicturus, Græcos ibi latuiſſe: & vt Sinoni magis fides haberetur, præparationem adhibuit: Fando aliquid, ſi forte tuas peruenit ad aures. Circumſtantias frequentauit, in vnamque ſententiam coniecit. Aen. lib. 2

Illi me comitem & conſanguinitate propinquum

Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis.

Cernis hic perſonas, perſonarum attributiones, negotium, modum, cauſſam, ſiue occaſio-

nem,

nem, finem, locum, ac tempus. Pater pauper me, miſit, comitem, conſanguinitate, arma, huc, a primis annis. Rurſus præparationis loco, eſt confeſſio, Nec me Argolica de gente negabo. Meditatio, Mirabile dictu. Promiſſio, Cuncta equidem tibi Rex fuerint quæcunque fatebor, vera. Confirmatio, per relationem, Ita digerit omnia Calchas. Epicriſis, ſiue adiudicatio, Haud ignota loquor. Addit deinde cauſſam effectricem, finem, & denique ne in oratione artificij plena explicanda commorer, commorationem. Atque ex his patere affirmant probabilis orationis ductum: qui, ſi eſt figuratus, apparere non debet: ſi ſimplex, ex animo proficiſcatur. Figuræ, ſint prolepſis, commoratio: dictiones naturales: expoſitio ſimplex, membra breuia & recta, numerus diſſolutus: quia omnis maior cura probabilitatem minuit. Docent poſtremo hoc dicendi genus in narrationibus atque probationibus potiſſimũ deſiderari. Atque hunc in modum iſti de veritate diſputant: alij vero ad Hermogenis ſententiam magis accommodate, hoc pacto.

Prima poſitio, huius ideæ vis in eo ſita eſt, vt oratio minime ficta videatur: veritati enim contraria eſt ſimulatio. Vera itaque oratio non dicitur hoc loco oratio demonſtratiua, ſed ea quæ non ſolum morum, ſed etiam affection um

&

& perturbationum animi ſignificationem præbet. Et ideo, non ſolum endiathetos, id eſt in animo ſitus dicitur, ſed etiam empſychos logos, id eſt animatus & viuus ſermo, quod ex animo proficiſcatur; vnde, & hominem ex animo loqui dicimus. Cæterum, non modo ueritatem, demonſtrabit, ſed etiam mouebit, cũ & morata & pathetica fuerit oratio. Alij uero dicunt veritatem eſſe, qua cõficitur, ut quod auditori perſuadere coneris, id tibi prius perſuaſum eſſe oſtendas: quod non modo pronuntiationis genere, ſed etiam dicendi forma fit.

Secunda poſitio, quamuis veritatis ideã nullas proprie habeat ſententias, ſed ab alijs formis eas accipiat, ſiue graues, ſiue ſplendidæ, ſiue ſeueræ ſint, cum omnes tanquam veræ ex animo erumpere debeant: tamen, ei ſpeciatim aptari poſſunt, ſimplicitatis ſententię; ueritatis enim ſimplex eſt oratio; & quæ modeſtiam præ ſe ferunt, & denique priuata quadã ratione, ſententiæ ſchetliaſticę, id eſt quærentes, aut indignantes, & ex affectibus maioribus irę, & indignationis proficiſcentes; vt, O dij immortales, non intelligunt homines quã magnum uectigal ſit parſimonia: O terram illã beatam, quæ hunc virum exceperit. Hiccine vir patriæ natus, vſquam niſi in patria morietur? Quid iam reſtat? Quid habeo? Quid In Parad. Pro Mil.

di-

dicam? quid faciam pro tuis meritis?

Tertia poſitio, quod attinet ad methodum, quæ in hoc genere præcipuum locum obtinet, ita variari poteſt, ut modi non facile numerari queant; cum, vt rerum natura petit, ita orationem flectere oporteat: tamẽ, illud catholicũ præceptum tradidit Hermogenes, animi affectionem non eſſe præſignificandam, ſed ſine vlla præmunitione in affectum eſſe prorumpendum: cum nihil magis ex animo aliquid dici oſtendat, quam ſine vlla præparatione rem aggredi: vt potius oratio erumpere, quam venire, & ipſam naturam ſequi videatur. Natura nanque ita comparatum eſt, ut ſi admiramur, ſi iraſcimur, ſi optamus, ſi gaudemus, ſi denique quouis alio modo afficimur, prius in affectum erumpamus, quam cur afficiamur eſtendamus. Hinc eſt, ut etiam ſi interrogemur, non facile, cur moti ſimus aperiamus. Quo fit, vt oratio ad alios relata, aut cõuerſa, qua hortamur, deprecamur, incitamus, interrogamus, refellimus, occurrimus, conſolamur, & mitigamus, ab eo ipſo ſtatim incipiat, in quod affectu incitamur, aut incitari fingimus. Huc facit illud artificioſe a Virgilio dictum,

Vir. lib. 2. Aen.

Ille nihil: nec me q̃rentẽ vana moratur.
Sed grauiter gemitus imo de pectore, ducens,

Heu

Heu fuge nate Dea, teque his eripe flammis.

Et alio loco, ſtatim in patheticam orationem errumpit,

——Per ſidera teſtor, Aen. li. 4.

Per ſuperos, atque hoc cęli ſpirabile lumen.

Poterit tamen adhiberi præmunitio, ſiue præſignificatio, ſi pręter expectationem id fiat. Itaque ſi quis prædicat ſe nolle iurare, aut admirari magis affectam & ſenſus plenam orationem facit: uerum ſi nulla præcedat præmunitio magis ſermcnem ex animo naſci exiſtimari poterit. In Miloniano exordio affecta eſt oratio, ſed adhuc magis eſſet affecta, ni metus præſignificatio adhibita fuiſſet. Præterea, reſponſiones ad obiecteones ſine vlla pręparatione, aut obiectionum propoſitione, ita ut ex ipſa reſponſione quid obijci poſſit intelligatur, aut ſi proponuntur, ironice id fiat, affectam faciunt orationem; quę loquendi forma, ut celeritatem oſtendit, ita & ueritatem; ut, At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriæ punitor doloris fuit: quid ſi hæc, non dico maiora, fuerunt in Clodio, quam in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis plura? Et per ironiam apud Virgilium,

Nunc

—Nunc augur Apollo,

Aen. li. 4. Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Ioue miſſus ab ipſo

Interpres diuum, &c.

Præterea affecta redditur oratio, cum conſecutionis ordo uariatur, filumque orationis abrumpitur, ut accidit, cum apoſtrophe utimur, vel ad Iudices, vel ad aduerſarios, vel ad noſipſos, quaſi nouum principium capiat ſermo: vt illa pathetica Didonis obiurgatio et querela: Nec te diua parens: Nam quid diſſimulo? Num fletu ingemuit noſtro? Quæ quibus anteferam? Nuſquam tuta fides, Eiectũ liltore egentem: Neu furijs incenſa feror. Nũc augur Apollo. Neque te teneo. Iam vero, perturbatus orationis ordo affectum maxime irati animi plane oſtendit: ſed tamen pro rerũ natura oratio varie componenda erit. Huc referres obliuionem, cum alicuius rei nos oblitos eſſe oſtendimus; quaſi rei præteritę magnitudo ad ſe nos reuocauerit. Huc etiam pertinet, cũ ex abrupto rem ipſam aggredimur: cum lõgius, aliquid dixiſſe nos pęnitere, rei tamen magnitudine impulſos, nos id feciſſe demonſtramus. In ſumma, dicti emendatio, poenitentia, ſuique admonitio ducti veritatis ſunt accommodata.

Quarta poſitio, de dictione & verbis, pro

motuum

motuum & rerum ratione hæc varie adhibenda ſunt: Nam alia motus irę, alia odij, alia miſericordiæ verba requirit. Ira aſperā amat dictionē, miſericordia vero, & deprecatio ſuauem, vt ſupra ſcripſimus.

Quincta poſitio, ea ſchemata huic figuræ conueniunt, quę rem ex animo dici aliquo modo demonſtrant: Vt quæ fidentiam Oratoris *oſtendunt, cuiuſmodi ſunt repetitiones, & conduplicationes, vt, Vos vos appello fortiſſimi uiri, &c. Demonſtratio, & indicatio, vt.* Pro Mil.

—En ipſe capellas.
Protenus æger ago, hanc etiam vix Tityre duco.

Apoſtrophæ & declinationes in aduerſarium per circumductionem, ſeu epiphoram, & interrogationem: vt,

Non ego te uidi Damonis, peſsime, caprum Vir. Ecl.3.
Excipere inſidijs, multum latrante lyciſca?
Et cum clamarem, &c.

Vbi animaduertere licet quandam ſignorum frequentationem ad rem demonſtrandam artificioſe adhibitam. Item, dubitatio, Ego quo nomine appellem, neſcio. Ver.6. *Item, apoſiopeſis, cum id reticemus, quod graue, aut turpe uidetur. Item, epicriſis, id eſt Oratoris iudicium*

de facto, aut de natura & qualitate rei. Fit autem vel per ſimplicem affirmationem, vel per negationem, vel per exclamationem, interrogationem, & diſſimulationem; vt, Nouum crimen C. Cæſar, &c. vel deniq; per dubitationē, aut ſine, ſed tunc minorem affectum habet. Item, correctione; vt, facinus indignum, immo indigniſſimum: Fornicationem dixi, immo ſtuprum: cum iſtius mulieris viro, fratre volui dicere. Denique diſtributio non abſoluta affectum non obſcure indicat: quoniam qui abſoluta diſtinctione vtitur, præmeditatam orationē videtur: afferre: idem de diſſoluta diſtinctione dicas; cum prætermittuntur particulæ aduerſatiuæ & redditiuæ: quas Cicero initio epiſtolæ primæ primi libri omiſit.

Pro Liga.

Pro M. Coel.

Sexta poſitio, membra in affecta oratione breuiora eſſe debent, ne oratio longitudine languescat: vbi tamen miſericordiæ affectus exprimitur, poterunt eſſe longiora.

Septima poſitio, verborum collocatio, atq; iunctura in affecta oratione, ſicuti & dictio, debet eſſe varia: In deprecatione ſit ſuauior, in ira aſperior: vt,

—Num lumina flexit?
Num lacrymas uictus dedit, aut miſertus amantem eſt?

Vniuerſe autem, vt aliquid præcipiatur, ad vehe-

vehementiam & aſperitatem accedat, nimiãque iucunditatem fugiat. Nam membra compta, præmeditata videntur, & neruorum habent minus: quo ſit, vt vel animum ficte loquẽtem, aut cauſſæ infirmitatem oſtendat. Deniq; de clauſula numeroque nihil præter ea quæ in vehementia diximus, dicendum occurit. Illud tamen admonuerim, in miſericordia & lugubri dictione, ſimplicis orationis partes conſulendas eſſe.

De apta dicendi figura, ſiue de decoro, grauitate ve. Diſp. XVIII.

VT difficile ſemper fuit in omni re decorum ſeruare, ita eius naturam exponere facile fuit nũquã: quippe quæ a paucis videri ac ſpectari queat. Id autem vel ex eo intelligi licet, quod varie de orationis decoro auctores ſenſerunt. Quidam enim exiſtimarunt eſſe quandam dicendi formam ab alijs diſtinctam, in quibus diligens idearum Hermogenis explicator Trapezuntius; cuius ſententiam non pigebit hoc loco breuiter explanare. Lib. 5. *Primum ſic grauitatem deſcribit, Grauitas eſt congrua omnibus circumſtantijs oratio, vel quædam orationis elatio. Deinde, duas facit*

grauitatis partes: unam vere grauem, cum oratoris iudicio rebus, perſonis, lociſque & temporibus oratio accommodatur: qua grauitate qui eſt præditus, is demum Orator dicitur perfectus. Alteram verbo tantum grauem, quæ ſententijs, verbis, cæteriſque rebus conficitur, quæ vulgo habentur graues: & hanc ait eſſe quandam dicendi formam: quam triplicem eſſe arbitratur. Vnam, quæ re vera eſt grauis, ſed non videtur: alteram quæ vel verborum genere, vel methodo videtur grauis, ſed non eſt: tertiam, quæ videtur & eſt. Huius formæ ſententię ſunt eædem quæ grandis orationis, ſubtiles, altæ, acutæ, & quę a paucis excogitari poſſint. Verba noua, grandia, vehementia, durius translata, minus uſitata; non tamen omnino inſolentia. Membra, ſchemata, collocatio, numerus, maiora & ampliora, quę dignitati, ſplendori, uigori & circumductioni conueniunt. Illa uero grauitas quæ in ſolo artificio continetur, in eo ſitam eſſe ait, ſi uehementiora, & acriora, ſiue altiora & ſubtiliora, ita dicentur, ut tenuia quædam, remiſſa, & ſupina uideantur: ita tamē, ut in huiuſmodi oratione maior quædam lateat uis, qua id, quod Orator intendit, perficiatur. Quod genus dicendi cum ſit uarium, præceptis contineri non poteſt. Hac grauitatis forma apud Gręcos

cos Lyſias & Demoſthenes, apud Latinos Tullius delectatus eſt. At vero tertiam illam grauitatis partem, cum oratio grauis non eſt, ſed apparet, a bono Oratore alienam facit: quæ ſententijs non veris, vel non idoneis utitur: cuius methodus obſcura, uerba inepta, inuſitata, & denique reliqua omnia tumida & inflata ſunt; ita ut oratio grauitatis fucata ſpecie fallat. Hæc ex Trapezuntio. Alij vero non diſtinguunt grauitatem ab alijs formis. Priores quãdam grauitatem in dicendo ponunt; poſteriores ſolum in recto omnium formarum uſu grauitatem, ſiue decorum poſitum eſſe exiſtimant. Quid autem in hac magni momenti difficultate dicendum ſit, quibuſdam poſitionibus explanare conabimur.

Prima poſitio, hoc dicendi genus, quod hic explicandum proponimus, a Græcis dinotes nominatur, cui uocabulo apud Latinos nulla eſt ſimplex uox, quæ omni ex parte reſpondeat. Nam, ſi decorum dixeris, non totam huius uerbi uim expreſſeris: cum dinotes omnes rerũ & perſonarum circumſtantias cõprehendat, atq; uim quandam, qua, ut conuenit, quiſpiam oratione uti poteſt. Latine hanc uirtutem L. Craſſus genus dicendi aptum uocauit. Quoniam qui eſt hac uirtute præditus, omnibus ideis, & omnium idearum partibus decore & apte uti Lib. 2. de orat.

 poterit.

poterit. Dinotes igitur, dicatur apta grauitas; & dinos Orator, qui omnibus dicendi generibus idonee uti queat: quemadmodum in rebus gerendis, is dinos uocatur, qui in omnibus ſe poteſt prębere accommodatum. Verum, ut ſupra etiam ſcripſimus, Dinos interdum terribilem, magnum, atque robuſtum deſignat, eſtque Imperatorum ac ſtrenuorum ducum epitheton, & eorum qui in aliqua re excellunt: unde ad Oratores etiam deriuatur: ut ij dicantur dini, qui ſententiarum & uerborum magnitudine, ductuſque ſublimitate, & dictionis magnificētia ſunt populo admirabiles. Quo fit, ut iſta vox cum adiectione uſurpari ſoleat; ut cum dicitur dinos fortitudine, dinos ſermone id eſt qui uiribus, qui oratione pollet, ualet.

Secunda poſitio, uox iſta Δεινότης *apud Gręcos eſt cōpoſita ex* δεῖ, *id eſt oportet, et* Δυνάμις, *id eſt uis, facultas, & poteſtas: quaſi idem ualeat, quod utendi, ut oportet, facultas.*

Tertia poſitio, ut Latini non habēt uerbum proprium, quo hanc uirtutem ſignificent; ita Græci carent una dictione, qua uitium huic virtuti oppoſitum exprimant, quod tamen Latina lingua habet. Ita docet M. Tullius, in ſecundo de Oratore ſermone. Latini enim genus dicendi decoro, uel dinoteti contrarium, Ineptum appellant: quo modo Græci ineptum di-

cant

tant non reperies. Is autem ineptus dicitur, qui nullam modi, aut dignitatis rationem habet, qui in dicendo inconcinnus ac multus eſt; ut poſtea planius explicabitur.

Quarta poſitio, Dinotes eſt forma orationis, quę uim habet dicendi, quemadmodum decet, ἡ ἰδέα δύναμιν ἔχουσα τοῦ λέγειν ὡς δεῖ. *Vel recteus & aptus uſus omnium dicendi formarum: Vel ut alij uolunt, congrua rei, quæ exponitur dicendi figura. Quo circa aptus Orator,* δεινὸς ῥήτωρ, *qui poteſt dicere, ut oportet* δυνάμενος λέγειν ὡς δεῖ.

Quincta poſitio, dinotes duo requirere uidetur, congruentem aptitudinem, & uim efficaciamque ad perſuadẽdum; id quod ſolus Orator præſtare poteſt: quamuis non ſemper id efficiat. Quare, & ſi interdum Orator non perſuadeat, modo apte & appoſite ſuo fungatur officio, ſemper dinos, id eſt aptus dicetur. Nam Homerus vbique Vlyſſi dinotetẽ tribuit: & tamen non ſemper dicendo perſuaſit. Sit itaque dinotes aptitudo efficax ad perſuadendum, quæ, ut congruenter & cum decoro omnibus de rebus dicamus, efficit: ſeu facultas explicandi unamquamque rem, ut oportet.

Sexta poſitio, dinotes non eſt ſolum poſita in hoc, ut quis dicẽdo rem aliquam amplificet, & amplificando moueat, ut aliqui Rhetores

voluere, ſed in recto omnium idearum uſu. At que hæc melior eſt ſcriptorum ſententia, & hanc, ueram grauitatem Trapezuntius appellat; quam tanquam diuinam uerbis explicari non poſſe ait. Vnde Vlyſſes apud Homerum ſemper vocatur dinos, dum uarijs utitur dicendi formis, licet alto, & magnifico, exaggeratoque dicendi genere non ſemper utatur, ut is, qui tanquam totius Græciæ Legatus, uaria orationis forma, pro loco & perſonis uti debebat.

Non formoſus erat, ſed erat facundu s Vlyſſes.

Theocritus quoq;, eum poetam dinon appellat, qui apte omnibus dicendi formis uti poſſit; ſiquidem eadem eſt Poetarum & Oratorum uarietas. Ex his intelligi licet, hoc loco nos non differere de illo decoro, de quo ſcriptores de officijs, uel uniuerſe hominum munera, ut Cicero & diuus Ambroſius, uel priuatim, vt Baſilius, Chryſoſtomus, & Carthuſianus deſcribentes, agunt: ſed de decoro, ſiue officio in oratione ſeruando: cuius uis omnis, non tãtum in Rhetorũ præceptionibus, quæ uirtutes ſequendas, & prauitates in dicendo fugiendas demonſtrant, poſita eſt; ſed ad eorum pręcepta, præſtantem naturam, bonarum artium cognitionem, rerũ humanarum vſum, præcipuamque prudentiã, ac etiam aliquid maius a Deo uotis petitum

accedat

accedat, neceſſe eſt; ut quod in dicendo ratione rerum, perſonarum, locorum, temporumque præſtari ſine errore debet, habeatur, perfecta nimirum dinotes. Hæc quæ diximus, ſi qui dicendi artem profiteri uolunt, intelligerent; non ita facile in medium ad dicendum proſilirent, & diutius ac diligentius in eam artem incumberent, quæ omnia quæ dicta ſunt, pene ſumma & diuturna exercitatione expolita & confirmata requirit. Neque in præſentiarum iſta omnia quæ in apto Oratore deſiderantur, explicanda ſuſcepimus, nec ab aliqua una arte explicari, tradi ue poſſunt. Solum itaque docere volumus, quo pacto cuique ſubiectæ rei cõgrua dictio, iuxta ea quæ ſupra de ideis docuimus, aptari & accommodari debeat: cum vnaquæque res ſuo dicendi genere apte explicanda ſit. Hæc igitur eſt uera grauitas, in omni re propoſita, ſcire uti omnibus dicendi formis, quando, vbi, ad quos, & quomodo oportet: nec ſolum εἰδέναι, id eſt ſcire, ſed & δύνασθαι, id eſt poſſe facere. Huc pertinet id, quod M. Tullius, cum de partibus orationis doctrinam tradidiſſet, in Oratore perfecto, ſcriptũ nobis reliquit, Has partes quemadmodum tractet ſingulas, difficile dictu eſt hoc loco: nec enim ſemper tractantur uno modo. Illud ergo in hac de ideis tractatione explicandum reſtat, quamuis id nõ

ita

ita fieri queat, ut nihil prudentis oratoris iudicio ſit relinquendum, quo pacto in ſingulis orationum generibus, & in ſingularum orationũ partibus ideæ adhibendæ ſint. Nec tamen quiſpiam negaret, quodcunque problema, ſiue poſitionem ſuas habere ſententias, quæ ſuo modo tractandæ ſunt, & inuentas ſententias ſuis locis eſſe collocandas; ut quę conciliant in exordio, quę docent in narratione, & quæ mouent in contentione; ſed nunc id non agimus. eſſe igitur debet Orator in magna oratione grauis, & in parua ſubtilis, & ſic de alijs.

Septima poſitio, ſi grauitas ſumatur, ut dicit quandam orationis qualitatem & magnitudinem, quæ rerum, uerborum, & tractationis genere cernitur, quattuor poſſumus aſſignare genera orationis. Nam quædam ſunt orationes vere graues, & apparent graues: quædam ſunt, ſed non apparent, ut cum genus dicendi non uidetur graue, quædam quæ apparent ob dictionem graues, ſed nullam habent rerum grauitatem. quædam quæ nec ſunt, nec apparent. Primo generi conueniunt ſententiæ uere graues, profundæ, obſcuræ, acutæ quæ aduerſarios premunt, acriter feriunt, & dicta retorquent. Idque methodo grauitatis, aſperitatis, atque uehementię, ac denique uigoris, & circumductionis; & ornamentis quibus

iam

iam explicatæ ideę utuntur: & priuatim circumductionibus, hoc eſt periodis dicolis, tricolis & tetracolis; quæ magnam uim tribuunt grauitati: nam ſi plura adijciantur membra, in ſpiritum abeunt. Tunc autem oratio eſt grauis, ſed non apparet, quod non ex ſententijs, ſed ex earum tractatione accidit, quando puritatem, perſpicuitatem & ſimplicitatem ſapit. Vt cum Orator res magnas extenuat, obſcuras illuſtrat, humileſque extollit: quod eſt Oratoris apte dicentis. Tunc uero videtur, grauis, ſed non eſt, cum verba ſunt elata, pomposa, ſed in ſententijs & rebus nulla eſt grauitas: qualis eſt ſophiſtarum oratio: qui omnia ad pompam & oſtentationem dicunt. Similiter is apparet & non eſt grauis, qui intempeſtiue aliquid exaggerat, uel generibus ideiſque non ut oportet, utitur; quod, ut ait Hermogenes, eſt μεγάλης, κὶ τελεωτάτης ἐπισιμης, *id eſt magnæ & perfectæ ſcientiæ; nimirũ uti tẽporibus in quo: uera grauitatis & decori ratio eſt collocata. Huc facit, quod Tullius de Socrate refert: qui cum ei ſcriptam orationem diſertiſſimus orator Lyſias attuliſſet, quam, ſi ei videretur, ediſceret, vt ea pro ſe in iudicio vteretur; non inuitus legit, & commode ſcriptam eſſe dixit, ſed inquit, vt ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non vterer, quamuis eßent habi-* Lib. 1. orã

les,

les, & apti ad pedem, quia non eſſent viriles: ſic illam orationem diſertam ſibi, & oratoriā videri; fortem & virilem non videri.

Octaua poſitio, qui voluerit cum decoro dicere, is primo cauſſæ quæſtioniſque ſtatum ſibi proponat, et quid quæratur, diligenter animaduertat. Deinde locos accurate excutiat; qui ad id quod perſuadere contendit ſint maxime accommodati. Prçterea ſingulas orationis partes diſtribuat, & quæ inuenit ſuis in locis accurate collocet. Poſtea, ſelectis & aptis uerbis exornet, copioſeque dilatet. Denique, vbi hæc omnia fecerit, quç memoria bene complexus fuerit, quadam totius corporis elegantia vociſque ſuauitate pronuntiet: & hçc omnia pro omnium circumſtantiarum ratione efficiet; qua in re, tota vis decori poſita eſſe cenſetur.

Nona poſitio, quod attinet ad decorum in ſingulis orationis partibus ſeruādum, hæc quæ breuiter perſtringam, animaduertenda ſunt. Exordio maxime conuenit circumductio, morata oratio, claritas, iucunditas, non acerſita, ſed quæ ſua ſponte veniat, vehementia & acrimonia abſint, & denique eiuſmodi eſſe debet exordium, vt ſit toti cauſſç accommodatum. Narratio puritatem amat, cum membrorum dignitate, & numerum pro rerum conditione, nunc ſplendidum & luculentum, nunc aſperū

& durum, rarius iucundum. Grauitatem non reſpuit, veritatem amat, plenitudinem ex circumſtantijs ſumptam, cum non ſolum docere, quod eſt puræ hiſtoriæ, ſed etiam commouere debeat, deſiderat; & affectus non tam rebus, quam genere dicendi excitari ab oratore debeant: non itaque ieiuna, non nuda, non ſicca ſit narratio. Accuſator vehementius & acrius narrabit: defenſor vero lenius & remiſſius, ea attenuando quæ contra dicta ſunt. De propoſitione, puritatem, ac perſpicuitatem propoſitio deſiderat. Contentio, pro rerum & argumentorum natura, varias requirit formas, & nullam excludit. Prudentiæ igitur oratoris relinquitur, vt pro argumentorum genere hanc, vel illam ideam adhibeat. Sunt tamen aliquæ formæ & formarum partes, quę magis frequentantur; aſperitas ſeu vehementia, vigor, toruitas, celeritasve, & grauitas ſiue atrocitas: & ſchemata illa quæ vim maiorem continent, vt iterationes, interrogationes, apoſtrophæ, incrementa, & omnes illę quæ magis affectum excitant. Denique peroratio, ſi indignationem & conqueſtionem contineat, genus dicendi requirit vehemens, exaggeratum, mobile, varium, circumductum, numero & mēbris varium: at vero ſi commiſerationem habeat, dicendi forma ſit leuis, remiſſa, ſplēdidior,

dior, tardior: quo ſit vt commorationem, & varietatem amet, cum doloris ſignificationem dare debeat. Qualis eſt illa in peroratione Miloniana. Qui plura de partium orationis decoro cognoſcere voluerit, integrum librū de Oratoria diſpoſitione legat.

Decima poſitio, ei qui in alienis orationibus exponendis decorum obſeruare, illudque imitari voluerit, multa ſunt neceſſaria; quæ autem iſta ſint, non eſt noſtrum hoc loco latius docere: illud vniuerſe dixerim, raros eſſe præceptores, & auctorum interpretes, qui hac in parte recte ſuo fungantur munere. Vt autem planius quę de decoro ſeruando & obſeruando vniuerſe dictum eſt, exponantur, varia orationis genera, quibus ideæ accommodandæ ſunt, diſtinguere eſt neceße.

Vndecima poſitio, varia ſunt orationis genera, in quibus varie decorum eſt ſeruandum, ideiſue vtendum. Sunt autem hæc, politicum, ſiue oratorium & populare, hiſtoricum, poeticum, & philoſophicum, ſiue didacticum, id eſt ad docendum accommodatum: de quibus omnibus deinceps ſingulis diſputationibus nobis, breuiter tamen, agendum eſt. Et primum quidē de politico, quippe quod eſt magis neceſſarium, & ad vſum humanum magis accommodatum & ad rem quam agimus, maxime pertinet.

De ciuili, ſeu populari decoro. Diſputatio XIX.

DE ciuili itaque dicendi genere ſiue decoro, quod Hermogenes Demoſthenicum appellat, quia in eo excelluit Demoſthenes acturus, prius vniuerſe agam, demonſtrã do ex quibus ideis comparetur: tum ſpeciatim, de ſingulis cauſſarum generibus, quæ ſunt veluti tres huius generis partes. Quæ autem dicenda occurrunt, his poſitionibus cõplectar.

Prima poſitio, hæc prima decori ſiue dicendi forma, dicitur politica, ideſt ciuilis & popularis, non quia ad plebis, ſiue populi ſtudium captandum, gratiamque ineundam ſit comparata, qualis factioſorum hominum eſſe conſueuit; vel quia a vulgari & communi loquendi ratione non ſit remota, ſed quia ad populi captum eſt accommodata, cum non habeat ſententias valde abſtruſas & altas, ſed populares, populariterve tractatas: ſitque ornata & varia, ut eſſe debet ea, quæ populo ſit placitura. Quo fit, vt etiam Attica nominetur; cum ex omni Græcia Atticorum dictio, eſſet in primis varia atque ornata, qualem politicam orationem eſſe oportet.

Secunda poſitio, politica oratio, non eſt dicendi forma à ſuperioribus iam expoſitis diuerſa, ſed ex illis omnibus, vel pluribus conflata & temperata, varia, terſa, elegans, & auditoribus, quorum varij ſunt ſenſus & ſtudia, rebuſque accommodata. In hanc vnam itaque formam omnes conueniunt formæ; ita tamen, vt nullam per ſe ſolam agnoſcas formam, ſed vnam ex pluribus miſtam, qualis eſt ex varijs coloribus picta tabula. Ac commodata inquam perſonis rebus, locis & tēporibus, quod efficere eſt Oratorum propriū, qua vna re, Plato Sophiſtas, qui minutis & conciſis diſputatiunculis priuatim & viciſſim altercando diſſerere ſolent, ab Oratoribus, qui ſine altercatione varie, fuſe, & accommodate apud populum dicunt, diſcernit. Ea igitur ueſte hæc dicendi forma debet eſſe inducta, quæ decorum pro circumſtantiarum ratione ſeruat.

Cic. *Indecorum eſt, ait Tullius de ſtillicidijs, cum apud vnum iudicem dicis ampliſſimis verbis, & locis vti communibus: de maieſtate vero populi Romani ſummiſſe & ſubtiliter. Quare, ſi ſedandi ſunt auditores, lenitas dominabitur: ſi increpandi, aſperitas: ſi impellendi, & excitandi vehementia: in rebus exponendis non humilitas ſed uerborum ſplendor & magnificentia adhibenda ſunt: in fingendis perſonis, ſui*

cuique

cuique tribuendi ſunt mores, ſuus ſermo; & pro temporum uarietate, uel modeſtia, uel hilaritas, aut ſeueritas. Quod qui præſtabit, iam non uulgarem & idioticam, ſed ciuilem faciet orationem: quæ tum a materia, tum a tractandi ratione hanc ſortita eſt appellationem.

Tertia poſitio, ciuilis orationis partes ſunt tres, demonſtratio, deliberatio, & iudicium: prima potiſſimum in concione ad populum, altera in foro ad iudices, tertia in ſenatu, apud ſenatores utimur: unde alia eſt forma uulgaris, alia forenſis, alia ſenatoria. Item, alia ſumma, alia tenuis, alia temperata, iuxta illa tria genera dicendi, graue, tenue, & temperatum.

Quarta poſitio, genus dicendi politicum vniuerſe conſideratum, ex his conficitur partibus, perſpicuitate, modeſtia, ſiue moribus, ueritate, uelocitate, circumductione, ſplendore, pulchritudine, & denique ex apta grauitate. Tres primæ partes initio orat[illegible]onis præcipue adhibendæ ſunt, ad docendum e[illegible] conciliandum: tertia tamen ab illis ſeparari p[illegible]eſt. Circumductio, ideo eſt neceſſaria, quia [illegible]rator, tum in foro, tũ in ſenatu, non ſingula, [illegible] coniuncta tela emittere debet. Velocitas & [illegible]auitas ideo requiruntur, quod interdum co[illegible]mouere, ſedareque populum ſit neceſſe: Spl[illegible]or neceſſarius eſt ob rerum magnitudinem qui tamen in hoc gene-

te intercidendus & impediendus erit: cum ſplẽdida oratio ad delectationem ſit compoſita, & magis legenti, quam audienti inſeruiat. Quare, cum Orator *ſerio agat, metuatque ne auditorem offendat, rarius vtitur hac dicendi forma: miſcenda tamen eſt cum uehementia iucunditas. Quod attinet ad aptam grauitatem, tres ſunt grauitatis partes, una apparens, alia occulta, alia fucata, ſeu florida: prima rariſſime utendum, ſecunda frequenter, tertia nunquam, niſi uigor & ſplendor admiſceantur. Atque idem de pulchritudine dicas; quæ uel extat, vel eſt occulta, vel eſt ſophiſtica, qualis in Roſciana, & Quinctiana cernitur: in quibus multa ſunt floridæ orationis exempla, ut in orationibus ab homine iuniore, & adhuc laſciuiente factis. Et cum duo ſint orationis genera, unum perpetuum, alterum interciſum, in quo ſunt altercationes, interrogationes, reſponſiones, & dialogiſmi, hic frequentiores eſſe debent uenuſtatis numeri, & collocationes, atque clauſulæ; vt interciſæ orationis aſperitas tollatur. Similiter, ſi oratio in res humiles, & ſententias exiles incidat, ne genus dicendi ſit exangue, diffluens, atque diſſolutum, ornamentis uenuſtatis, numeris, verborum collocatione, & clauſulis ſuſtentandum erit. In ſumma, in politica oratione, primum requiritur perſpicuitas,*

morata

morata forma, & ueritas: deinde celeritas, cui aſperitas & vehementia accedunt: poſtea circumductio, grauitas, ac ſplendor, inſuper apta grauitas, & ad extremum uenuſtas, ſed non oſtentata. Atque hæc vniuerſe de oratione ciuili dicta ſufficiant: nunc de ſingulis partibus dicendum reſtat: ac primum de genere deliberatiuo.

Quincta poſitio, in deliberationibus, præter ea quę uniuerſe in politico genere deſiderari diximus, principem locum tenet magnitudo, & morata oratio: ſiquidem in publicis negocijs res magnę aguntur: ac proinde non parum auctoritatis ac ponderis præ ſe ferre debet deliberatiua oratio. Magnitudo ea ſit, quæ faciat aptam grauitatem, tum apparentem, tum occultam. Modeſtiam etiam, ſiue moderationem in hoc genere mediocrem eſſe oportet: excepta tamen obiurgatione graui, & vehementia, quæ per diſſimulationem adhibenda ſunt. In ſumma, quæ in iudicijs tegere neceſſe eſt, hic extare poterunt: &, vt ibi meditationis ſuſpicio obeſſe poteſt, hic contra, curæ ſignificatio, iuuare ſolet. Itaque hoc genus dignitatem, elegantiam, probabilitatem, & pro perſonę moribus grauitatem & modeſtiam requirit.

Sexta poſitio, in genere iudiciali, ea dicendi forma approbatur, quam genus deliberatiuum

deſiderat, ſcilicet magna & morata: & maxime quando cauſsa eſſet publica, quæ totã remp. attingeret; ut ſi de præſtantiſſimis & magnis viris ageretur; tunc enim genere dicendi ſubliniore atque altiore utendum eſset. In his itaq; cauſſis primum locum obtineret magnitudo, alterum morata oratio. Quando uero cauſſa eſset priuata, duæ moratæ orationis formæ potiorem locum obtinere debent, modeſtia ſiue moderatio, & ſimplicitas, ſeu veritas minime fallax. Quoniam honeſtum eſt innocentes defendere, & nocentes accuſare; atque aliquid de ſuo iure diminuere: quæ omnia aperte & ſimpliciter fieri debent. Defenſio autem plus habebit modeſtiæ, quam baritetis, id eſt acrimoniæ: niſi criminis manifeſte falſi facti fuerimus rei: minorem etiam curam uelocitatis habebit, contra accuſatio. Et ut breui concludam, cum magnitudo plures formas habeat, uidẽdum eſt, quæ magis huic generi conueniat. Hic enim nõ eſt opus ſemnotetis; quia adhibere oportet ſententias notas atque vulgares: neque iudex obiurgandus eſt, vnde abſit trachitetos. Reſtant igitur duę, circumductio & ſphedrotes: illa propter argumentationes, hæc propter aduerſarij reprehenſiones. In initio autem tam defenſor, quam accuſator clientem morate cõmendat. Quare exordia erunt morata, &

Epicia. Aphelia.

circumducta: narratio veriſimilis & argumentoſa, ſiue præparatoria: aprobationes conuolutæ & denſæ, egreſſiones ſplendidæ, affectus graues & ueriſimiles, epilogus breuis & ſolutus.

Septima poſitio, genus laudatiuum, ſiue demonſtratiuum, triplex eſt, ex Hermogenis doctrina; λογογραφικον, quale eſt genus dicendi Platonis in Phædro, ubi de pulchritudine diſputat, quod otij, & ſcriptioni conuenit. Ἀγωνιστικον, forenſe & politicũ; ut ſunt Demoſthenis orationes: et ποιητικὸν id eſt poeticũ, quod Homericum appellat, ut ſecundum Demoſthenicum, & primum Platonicum. Verum ad rem noſtram accommodatius, dicamus demoſtratiuum uel eſſe purum a cauſa iudiciali & deliberatiua remotum, uel cum his coniunctũ. Primum omnes amplitudinis formas requirit, dempta aſperitate & vehementia; etenim demonſtratio non habet aduerſarium, neque ſtatum, ut quidam uolunt, de qua re alias. Neque reſpuit ſimplicitatem, eam ſcilicet, quæ manſuetudini non aduerſatur: cum Oratorijs ſit de rebus tenuibus ample copioſeque dicere. Similiter, nec puritatem, nec ſuauitatem; cum celebres conuentus lætitiam requirant. Deſideratur etiam in hoc genere apta grauitas, quæ tractandi modo efficitur, & quæ minus extat. At vero aliud grauitatis genus apertum, non ita,

niſi intercedat imitatio; ut patet in Socrate apud Platonẽ, qui dũ Sophiſtas inſectatur, eorũ floſculis & ornamentis interdum utitur. Celeritate hic non eſt opus, niſi in laudationibus alternatis, ubi contrarię quodammodo laudes & perſonę introducuntur: ut patet in Phędro Platonis, & in tertia Ecloga apud Virgilium.

Panegyr.

Amabæos *At uero laus illa, quæ uel in iudicijs, uel in deliberationibus adhibetur, aliquid eius generis cui permiſcetur retineat, & ad cauſſam accommodetur, ut in Maniliana fecit Tullius: qui tamẽ in Archiana propemodũ a ſuo genere receſſit. In ſumma forẽſis et politica laudatio, eadẽ fere habet cum deliberatione præcepta. Et vt huic diſputationi finẽ faciamus, politicum dicẽdi genus populare atque ſimplex, quod a communi & Demoſthenico diſtinxit Hermogenes, quattuor potiſſimum æſtimatur formis, perſpicuitate, ęquitate, ſimplicitate, ac veritate. Placet hoc loco ad maiorem declarationem eorum quæ de ideis hactenus diximus in vnica periodo ex Tullio ſumpta, omnes idearum ſpecies breuiter indicare, vt inde manifeſtum fiat, an multo magis in integris orationibus, & orationum partibus ideæ notari, & quid ſit cũ decoro dicere intelligi poſſit. Sumo igitur ex Miloniana, quam aliqui non male omnium orationum ideam eſſe arbitrantur, hanc periodũ.*

Quid

Quid enim nobis duobus laborioſius iudices? Quid magis ſolicitum atque exercitum dici aut fingi poteſt? qui ſpe ampliſſimorum prę-miorum ad remp. adducti, metu crudeliſſimorũ exitiorum carere non poſſumus. Hic cernitur claritas & perſpicuitas, in illa diſtinctione; Nobis duobus, & in ſententiæ facilitate. Hic amplitudo, & dignitas, cum eadem ſententia uniuerſe prolata ſit, ac ſi dixiſſet, nihil eſt laborioſius. Hic aſperitas, ob iteratam interrogationem & ob illa verba, Crudeliſſimorum exitiorum. Hic ſplendor, in illa ſententia, qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad remp. adducti. Hic uigor, in iiſdem, & ſequentibus uerbis, & in illa verborum repetitione. Hic circũductio manifeſta in tota periodo, & in uerborum obliquitate. Hic pulchritudo quædam moderata & natiua in immembrorum ſymetria, & ſimili caſu, & in illis verbis, Dici aut fingi poteſt. Hic toruitas ſiue contentio & celeritas, in apoſtrophe, incremento, interrogationis repetitione, & breuitate conciſa. Hic ſimplicitas, & mores, Nobis duobus, bene affectis erga remp ſed metu perterritis; hic dicentis, hic aduerſariorum mores aperte ſignificantur: eſtque pathetica, ac proinde morata oratio. Hic ſuauitas maxima in literis, in membris, in iunctura, & numero. Hic acumen, ſi-

ue ſubtilitas, in illa correctione, Dici, aut fingi, in illa repetitione, laborioſius, magis ſolicitum, atque exercitum: & in illa inquiſitione, an ſit aliquid magis laborioſum. Hic modeſtia, quia ob acceptam iniuriam nihil conuici a tur: neminem priuatim criminatur. Hic graui tas & atrocitas, propter liberam querelam, & ob affectum in quem prorumpit, & uerberationem non leuem. Hic ueritas, quia audacter dicit, quis, &c. quia cum fiducia interrogat, & libere pronuntiat, filumque orationis abrumpit. En igitur vt in unica breuique oratione omnes expreſſe licet agnoſcere ideas.

De decoro hiſtorico, ſeu de recta ſcribendæ hiſtoriæ methodo. Diſputatio XX.

Rob. Fol. Viper. Bud.

CVM ſuſcepti operis ratio a nobis minime requirat, ut ſcribēdæ hiſtoriæ formam latius explicemus, quod argumentum iã a multis diligenter tractatum fuiſſe nos minime lateat; propterea ea ſolum attingemus, quę ad noſtrum inſtitutum proxime pertinere uidentur: atque ut ſolemus, facilitatis gratia, ad quaſdam poſitiones ea reuocabimus.

Pri-

Prima poſitio; Hiſtoria eſt rerum geſtarum diligens expoſitio : uel oratorie, Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magiſtra uitæ, nuncia uetuſtatis, antiquitatis cuſtos, exemplorum denique, artium, diſciplinarum, prudentiæque theſaurus locupletiſſimus. Cic. 2. orat. Lege Iſid. lib. 1.

Secunda poſitio, hiſtoriç ſcriptio, ſi hiſtoria uniuerſe ſumatur, harum rerum ſcriptionem continent: annalium, ſeu rerum, quç ſingulis annis, in aliqua ciuitate uel regione fiunt: locorum atque regionum rerum naturalium, ueluti animalium, plantarum, & metallorum. Atq; in his partibus tractandis uarij fuerunt occupati ſcriptores. Theophraſtus plantarũ, Ariſtoteles animalium, Plinius latius rerum naturalium hoſtoriam ſcripſit: ut Strabo & Põponius Mela terrarum orbem: Annales uero olim apud Græcos Pherecides, Hellanicus, & Acuſilas; apud Romanos Cato, Pictor, & Piſo: quorum hiſtoria nihil erat aliud, niſi annalium confectio: qui qua ratione ſcribi ſoleant, in altero de Oratore ſermone docet Tullius. Et quamuis hiſtoria hominum geſta ſpeciatim explicanda ſuſcipiat; tamen omnes iam enumeratas partes attingere conſueuit; nimirum geſtorum, locorum, temporum, rerumque deſcriptionem: in quo ab Annalium ſcriptione Cic. 2. orat.

ne

ne differt; in quibus, veluti in diarijs, alicuius populi acta, pro tempore, uti contigere, nullo rerum ordine, aut perſonarum ſeruato, breuī ſermone & puro, abſque ſcribentis moribus, ſeparatisve narrationibus ſine ullis ornamentis literis mandantur.

Tertia poſitio, in hiſtoria ſcribenda hæc fere ſeruatur methodus. Primum, deſcribendī ſunt populi, ſiue perſonæ, demonſtrando quales ſint; præſertim ſi alicuius priuatæ nationis hiſtoria ſcriberetur: deinde qualia fuerint eorum geſta demonſtrandum erit. In populorum, aut ciuitatum deſcriptione hæc capita attingenda erunt: quæ origo & antiquitas, quibus virtutibus, quibus auxilijs, rebuſque gens aucta ſit: quę leges, inſtituta, ac mores: quarū rerum expoſitio, ſine maiore explicatione ſatis erit hiſtorico ſcriptori. Et hæc quidem prior pars ad populi, ciuitatiſque encomium erit cō-parata. Quod uero ad rerum geſtarum deſcriptionem attinet, ubi hiſtoriographus meminerit ſuum munus eſſe circumſtantias, cauſsas, perſonas, tempus, locum, auxilia, modum, euentuſque uarios exponere, hunc poterit ordinem ſeruare. Primum rerum geſtarum cauſſas explicabit: ut ſi eſset ſcripturus bellum, cur ſuſceptum fuerit, priore loco aperiet; demonſtrando quæ iuſta, uel iniuſta cauſſa extiterit, quę

odia

odia, quæ ultro citroque miſsæ legationes, quę belli indictio, & denique quæ fuerint partium conſilia. Deinde, in belli ſuſceptione qui fuerit populi ſtatus, quæ facultates, quę copiæ, ac etiam uulgi uarius ſenſus, motuſue. Poſtea Ducis electio: ubi eius genus, ingenium, educatio, & res ante geſtæ, aliaque adiuncta, quæ ad hiſtoriæ ueritatem conferant, attingenda erunt. Sic Liuius Annibalis mores, Salluſtius Iugurthę perſonam deſcripſere. Pręterea ad apparatus, tum terreſtres, tum maritimos, & ad auxilia deſcribenda accedendum erit: Vbi locus dabitur narrandi uota, ſupplicationes, auguria, et ſuſcepta itinera. Hic etiam temporum, locorum, regionum, fluuiorũ, pręſidiorumque deſcribẽdorum dabitur occaſio. In hũc locum ducũ militumq; conſilia, prudentia, res, vel conſulto, vel temere ſuſceptæ uenire poſsũt: eorundẽ cõmoda, & incõmoda, affectuſq; uarij: quid Dux erga milites, quid milites erga Ducẽ gegerint. Iamuero, cũ ad factũ ipſum narrandũ uentũ erit, hæc ſeruari poterit in deſcribendo ratio. Primum, ante congreſſum aciei ordo, & inſtructio, atque progreſſio attingenda eſt: qui militum affectus, vt lætitia, moeror, quæ Ducis hortationes, excurſiones, & curæ. Deinde, conflictus ipſe ac pugna ita exponenda eſt, ut potius res videri, quam legi uideatur:

tur: qui in greſſus, qui progreſus, quæ contentio. Vbi, ſi quid a quopiam inſigniter factũ fuerit, non erit prætermittendum: quid illuſtriores homines fortiter aut effœminate egerint. Denique, quod attinet ad euentum, quæ cauſſa fuerit victoriæ, & qualis & quanta victoria: hic fuga, præda, direptiones, ſeruitutes, & in ſumma quæ conſecuta ſunt omnia, ſcitu digna, narranda erunt. Hic ſcriptori dabitur locus ad iudicium ſuum interponendum, ad laudandum, vituperandumque ad humanas res deplorandas, aut contemnendas, aut etiam irridendas; & tanquam iuſtus iudex, de re, de perſonis, de cauſſis ſententiam feret: ita tamen, ut neminem, vel aliter narrando, vel aliquid prætereundo offendat: & ubi poteſt, potius excuſet, quam accuſet; non immemor quantum in rebus humanis ſit incertitudinis: & eas non ſolum a fortuna, ſed etiam a diſpoſitione pendere diuina. His hunc in modum de methodo ſcribendæ hiſtoriæ adnotatis, quaſdam admonitiones ad ordinem rationemque ſcribendi pertinentes ſubijciam.

Quarta poſitio, in ſcribenda hiſtoria hæ admonitiones tenendæ ſunt. Prima, non ingrata eſt, nec paruam legendi cupiditatem creat rerũ dicendarum præoccupatio, ſeu antequam latius aliquid narretur, breuis rei narrandæ propoſitio;

poſitio; quæ ad animum in lectione retinendum plurimum ualet: quę tamen paucioribus facienda eſt verbis: tunc autem poterit eſſe longior, cum non ſolum nude proponetur, ſed etiam vel laude, aut vituperatione dignam eſſe prǫmonſtrabitur, & maxime ſi comparatio cum alia re intercedet. Secunda, cum perpetua eiuſdem rei narratio, ni varietatem aliquam habuerit, ſatietatem legendi afferre ſoleat, quærenda erit aliqua excurſio; quæ fieri poterit, tũ in alicuius loci communis breui, apta, & ad rem pertinenti tractatione: tum alicuius rei memoria dignæ, quæ eodem tempore acciderit deſcriptione. Vt enim eſt prudentis hiſtoriographi res leuiculas ab hiſtoria reſecare, ita etiam res maioris mementi & ſcitu dignas interſerere: Vbi modus tenendus eſt, ne maior ſit excurſio, quã recta ſuſceptæ rei narratio. Quare, ſi quæ res explicanda erit, quæ interſeri & breuiter attingi non poſſit, expreſſa fiet cum ſuo reditu digreſſio. Tertia, ad hiſtorici prudentiam, quæ ſane debet eſſe maxima pertinebit, animaduertere quas res pluribus uerbis debeat explicare, & quas breuiter, leuiterque attingere: quæ aũt lõgius, quæ breuius dicenda ſit, ex rei cõſideratione facile intelligi poterit. Quarta, cum rerũ diuerſarum texturam hiſtoria requirat, ita res rei connectenda erit, ut non diſſoluta, ſed con-

tinuata

tinuata uideatur. Quare, ineptæ & non neceſſariæ excurſiones, fugiendæ erunt; cum ut ait Iſocrates, τὸ ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρὸν, id eſt intempeſtiuum ubique triſte. Nihil igitur in hiſtoria ſuperuacaneum, nihil ſuo non loco, nihil confuſe & diſſipate dicatur. Poſtrema, cum hiſtoria ſit veluti vitæ humanæ magiſtra, vera & probabilia ac ad uſum accommodata proſequatur: quod qui non faciunt hoſtorici, tanquam indigni qui legantur, reijciuntur, & turpiſſima illa nota notantur, quod ſint mendaces, uel mendaciſſimi, quam notam, Tacito uiri grauiſſimi inurunt; ut etiam omnibus Græcis antiquioribus. Huc pertinet rerum uarietas, quæ non tantum in breuibus excurſionibus, ſed etiam in eiuſdem rei uaria circumſtantiarum omnium & maximarum tractatione ſpectatur. Quibus tanquam condimentum uerborum accedet ornatus, dictioniſque ſuauitas quædam; cum non ſolum narratione, ſimplicique expoſitione, ſit contenta hiſtoria, ſed etiam ornatum quendam, quo alliciat, detineat, ac etiam moueat, ſuo quaſi iure poſcat. Rerum itaque uerarum & utilium cognitione doceat, diuerſarum & magnarum varietate detineat, & dictionis genere delectet. Et hęc admonuiſſe ſufficiat: nunc de idearum uſu, ſiue decoro pauca dicamus.

Quincta

Quincta poſitio, Hiſtoriæ uirtutes, ſiue ideæ ſunt hæ. Cum hiſtoriæ potiſſimum ſubiectæ ſint res magnæ, uel quæ pro magnis habentur, magnitudinis ideam requirit, & huius has præcipue partes, dignitatem, ſplendorem, atque circumductionem, & maxime duas poſteriores. Eſt opus circumductione, quia hiſtorico multa breuiter atque connexe dicenda ſunt: idque quodam orationis pondere, quod circumductio ſecum affert. Verum, cum res geſtæ ſunt magnæ, & ſeipſis quodammodo orationem efferant, tunc minor cura in circumductione ponenda erit: ſicuti cum res leuiores exponendæ ſunt: ubi circunductionis, ne oratio deprimatur, & ornatus, ne deſpecta uideatur, maior cura habenda eſt: nullibi tamen claritatis lux deſideretur, ſed circumductioni quaſi color quidam infundatur. Meminerit itaq; hiſtoricus puritatis atque claritatis, quæ ad rem plane exponendam plurimum conferunt, ſicut obſcuritas plurimum obeſt. Eſt etiam opus ſplendore, cum tota fere in præclare geſtis narrandis uerſetur: quarum tanta eſt dignitas, tantuſque ſplendor, quanta fuerit eius qui ſcribit eloquentia & orationis præſtantia. Alias enim quæ multum ſplendoris & dignitatis habent, leuia atque obſcura dicendi ſtylo uideri poterunt. De uehementia atque

aſperitate

aſperitate, cum iſta orationi æquabiliter fluenti, cuiuſmodi debet eſſe hiſtorica, repugnant, et duros moleſtoſque aculeos requirant, ab hoc dicendi genere abſint. Cum dignitatem requiro, non eam intelligo, quæ in ſententiarum aculeis, & quaſi punctis ſita eſt, quę continuationem comminuit. De celeritate, illud dixerim, cauendum eſſe ne quaſi ſomniculoſa et dormiẽs incedat narratio: quę celeritas quibuſdam in locis, cum ſcilicet multa paucis complectenda ſunt, adhibenda erit. Et ut hiſtoria non debet eſſe omnino compta, & calamiſtris iniuſta, ita non erit pulchritudinis expers. Neque enim nunc ſatis eſſe putatur, vt olim apud Græcos & Romanos putabatur, rem vere & ſimpliciter ſine ullis ornamentis narrare: quare, non ſolum uerus ac breuis narrator, ſed etiã aptus exornator bonus eſto hiſtoricus. Dolanda igitur, & colore aliquo aſpergenda erit hiſtoria: quæ tamen lepores, & ſuauitates, feſtiuitateſque quibus deici poteſt, omnino recuſat. Deniqne, quod attinet ad mores, moratę orationis, cum loquentes perſonas facit meminerit: ubi cordatus ſcriptor, quæ ſapienter, quę conſtanter, quæ grauiter, quę caute, quæ libenter, & contra facta aut dicta fuere, dicendi genere et ad ueritatem accommodate exponat. Vbi affectus potius ipſarum rerum genere, & ſim-

pliciore

pliciore tractatione, quam maiore artificio mouendi ſunt; niſi excurſio, vel rei natura, maiorem requirat hac in parte diligentiam. Atque ex his quæ diximus de idearum in hiſtoria deſcribenda vſu, patet, quid de dictione, membris, compoſitione, numeroque hiſtorico dicendum ſit: cum hęc omnia ab illis ideis ſumere liceat. Illud tamen vniuerſe dixerim, hiſtoricò verborum fingendorum maiorem, quam oratori dari licentiam, atque etiam ampliorem figurarum vſum, & numerum quendam maiorem eidem ſequi licere. In ſumma hiſtorica compoſitio ſit fuſa, lenis, non conciſa, non aſpera, non ieiuna, nec tamen elaborata. Aequabiliter itaque per mollem iuncturam, & continuate fluat: ita vt rerum humilitate non demittatur, neque magnitudine ulterius quam oportet efferatur, multitudineque confundatur: ſed veluti in orbe concluſa oratio una cum ſtyli perpetuitate, multos ſimul ſenſus, clare perſpicueque complectatur. Sed de his hactenus: quæ omnia exemplis ab ipſis auctoribus ſumptis illuſtrare potuiſſem: quod non feci, tum quia paſſim occurrunt, & præſertim ijs, qui idearum doctrinam norunt: tum etiam quod exempla in idearum explicatione poſita, hic etiam uſui eſſe poßunt.

Et quoniam nolo hoc in loco latius de

Hiſtoriographorum vario ſtylo aliquid vel in laudem, vel in vituperationem ſcribere, illud vniuerſe dixerim, ex communi ſententia unũ Liuium cæteris præferendum eſſe: in quo tamen maiorem interdum puritatem lucemque aliqui deſiderant, minuſque elaboratam orationem. Illud etiam obiter addiderim, contra quorundam parui iudicij homines, qui Ciceronem ineptum ad hiſtoriam ſcribendam fuiſſe putarunt: quod ignorãter ab iſtis dici multis rationibus demonſtrari facile poſſet: ſed hæc firmiſſima & breuiter concluſa, ſit inſtar omniũ ratio. Ad hiſtoriam ſcribendam is aptiſſimus cenſeri debet, quem multarum rerum præſertim humanarum cognitio non fugit, qui non ſolum res quæ dicit narrare, ſed etiam apte ornare queat, qui dicendi ideas teneat, eiſdẽq; cum uoluerit apte, vti ſoleat, quę omnia in alio Latino ſcriptore maiora, quam in Cicerone hactenus fuiſſe prudens diceret nemo. Valeat igitur iſta inepta, ineptiſſimorum hominum, contra dinotaton hominem ſententia. Sed iam de poetico decoro dicere aggrediamur.

De

De poeticæ orationis decoro. Diſputatio XXI.

VT non fuit a noſtro inſtituto alienum de decoro in hiſtoria ſcribenda ſeruando, cum hiſtoriam apte ſcribere ſit hominis bene dicendi præceptis arteque oratoria non mediocriter ornati; ita non debebit præter rem a quopiam exiſtimari, ſi de decoro poetico, dum de oratoria Elucutione ſcribimus, aliquid dixerimus: quando hac de re nō nihil Hermogenes ſcripſit, & M. Tullius non vno in loco poetam Oratori finitimum atque cognatum eſſe affirmauit. Vt autem quæ nobis in hac diſputatione breuiter explicanda ſunt, facilius intelligantur, de more, propoſitionibus quibuſdam rem omnem complectemur. Cic. 2. orat. Li. 1. & 3. orat.

Prima poſitio, poetis, latine imitatio, & fictio ad hunc modum a quibuſdā deſcribitur, Poetica eſt fictæ, veræque narrationis, congruēti rhythmo, vel pede compoſita metrica ſtructura, ad vtilitatem voluptatemque accommodata. Quæ tamen definitio, multo abſolutior eſſe poſſet. Diom. lib. 3. c. 1.

Secunda poſitio, poeticæ imitationis tria ſunt genera: vnum actionis, ſiue ſaltationis,

Hiſtoriographorum vario ſtylo aliquid vel in laudem, vel in vituperationem ſcribere, illud vniuerſe dixerim, ex communi ſententia unũ Liuium cæteris præferendum eſſe: in quo tamen maiorem interdum puritatem lucemque aliqui deſiderant, minuſque elaboratam orationem. Illud etiam obiter addiderim, contra quorundam parui iudicij homines, qui Ciceronem ineptum ad hiſtoriam ſcribendam fuiſſe putarunt: quod ignorãter ab iſtis dici multis rationibus demonſtrari facile poſſet: ſed hæc firmiſſima & breuiter concluſa, ſit inſtar omniũ ratio. Ad hiſtoriam ſcribendam is aptiſſimus cenſeri debet, quem multarum rerum præſertim humanarum cognitio non fugit, qui non ſolum res quæ dicit narrare, ſed etiam apte ornare queat, qui dicendi ideas teneat, eiſdẽq; cum uoluerit apte, vti ſoleat, quę omnia in alio Latino ſcriptore maiora, quam in Cicerone hactenus fuiſſe prudens diceret nemo. Valeat igitur iſta inepta, ineptiſſimorum hominum, contra dinotaton hominem ſententia. Sed iam de poetico decoro dicere aggrediamur.

De

De poeticæ orationis decoro. Diſputatio XXI.

VT non fuit a noſtro inſtituto alienum de decoro in hiſtoria ſcribenda ſeruando, cum hiſtoriam apte ſcribere ſit hominis bene dicendi præceptis arteque oratoria non mediocriter ornati; ita non debebit præter rem a quopiam exiſtimari, ſi de decoro poetico, dum de oratoria Elucutione ſcribimus, aliquid dixerimus: quando hac de re nõ nihil Hermogenes ſcripſit, & M. Tullius non vno in loco poetam Oratori finitimum atque cognatum eſſe affirmauit. Vt autem quæ nobis in hac diſputatione breuiter explicanda ſunt, facilius intelligantur, de more, propoſitionibus quibuſdam rem omnem complectemur.

Cic. 2. orat.

Li. 1. & 3. orat.

Prima poſitio, poetis, latine imitatio, & fictio ad hunc modum a quibuſdã deſcribitur, Poetica eſt fictæ, veræque narrationis, congruẽti rhythmo, vel pede compoſita metrica ſtructura, ad vtilitatem voluptatemque accommodata. Quæ tamen definitio, multo abſolutior eſſe poſſet.

Diom.lib. 3.c. 1.

Secunda poſitio, poeticæ imitationis tria ſunt genera: vnum actionis, ſiue ſaltationis,

quo motu corporis & geſticulationis ad numerum, hominum mores, affectioneſque imitando exprimuntur. Alterum ſermonis, quo oratione certis numeris constricta, certaque verborũ harmonia ac modo res aliqua per imitationem exponitur. Tertium quo harmonia vociſque modulatione idem efficitur. Imitationis per ſaltationem duo ſunt genera: vnum maius, & magis expreßum, variumque, quo omnes corporis habitus, eo modo quo ſtrenui milites pugnando efficere ſolent, exprimuntur, quod genus Pyrrhechẽ appellarunt Græci: Alterum ſedatum pacificum, & voluptatis honeſtæ plenum, quod Emmeliam ijdem vocant. Ratio huius enumerationis ea eſt, quia his tribus modis alicuius mores imitari effingereque poſſumus, geſtu, ſermone, & cantu. Verum ſecundum genus proprie poeſin efficit, cuius alia duo genera, ſunt veluti propagines quædam. Poeta itque ſaltationi, & harmoniæ materiam præbet, dum ſermone numeris constricto aliquid exprimit, quod vel ſaltando, vel canendo adhuc expreſſius exprimi poteſt: quamuis non omnia quę ſermone continentur, ſaltatione aut harmonia accuratius exprimere liceat. Atque ex his colligeres, quot ſint poematum genera.

Tertia poſitio, poeſis genera ſunt tria,

Dra-

Dramaticum, Epicum, & Dithyrambicum, ſiue lyricum. Dramaticum dicitur illud, in quo ipſe poeta nihil dicit, ſed perſonas loquentes facit: cuiuſmodi ſunt tragoedię, & comoediæ. Secundum, perpetuo dictionis filo res geſtas Heroum narrat, ubi & poeta loquitur, & alios loquentes introducit. Tertium, ea continet poemata, quę ad cantum ſunt accommodata: ut ſunt odæ, hymni, elegię, & epigrammata. Addunt aliqui quartum, quod Aulicum uocant, totum muſicum, quod oratione caret; ſed hoc citharoedis relinquatur. His hunc in modum adnotatis, nunc de decoro, tum poeticæ in communi, tum ſingularum partium agendum eſt.

Quarta poſitio, quod attinet ad poeticæ orationis ſententias, ſententiæ debent eſſe fictæ, hoc eſt, non omni ex parte ueræ, ſed ueritati ſimiles, vt ſunt ſenſus fabuloſi, uel de Dijs, quibus facta inter ſe, uel cum hominibus narrantur: uel de hominibus; ut fabuloſę metamorphoſes, & res quædam geſtæ pręter hominum fidem & opinionem, factaque prodigioſa: vel de rebus alijs, de quibus multa pręſertim per proſopopoeiam finguntur: quo pertinent omnia, quæ hyeroglīphice de rebus ratione carentibus Aegyptij finxere: de quibus Orium, Pierium, & Auguſtum lege. Fingunt

etiam poetæ ſimplices ſenſus, quibus affe-ctũ animum oſtendunt: in quo ita ſunt liberi, ut etiam minimaquæque ſectentur. Quod ſi interdum non credenda dicantur, ea ad poeſin, uel ad famam, uel ad aliquid aliud, quo credibilia fiant, reuocanda ſunt. Neque enim poeta cogitur res narrare, ut geſtę ſunt, ſed ut factas fuiſſe eſt veriſimile. Quo fit, ut qui nihil fingendo ſcribunt, in poetarum numero poni non ſoleant: ut Philoſophi illi, qui rerum naturas carmine ſunt proſecuti; ueluti Parmenides, Empedocles, Aratus, & Lucretius: in quorũ loco potius, qui ſoluta oratione aliquid fingẽdo dicũt; ut Cicero libro de ſomno Scipionis fecit, et Romãci faciunt, poni poſſent. Fabuloſa itaq; argumẽta tractat poeta, uel ẽt vera cũ fictis permiſta, & quæ fidẽ, naturæq; uim ſuperant. Atque ex his colligere licet, reliqua omnia in poemate debere eſſe ficta, hoc eſt, non recta, a communi conſuetudine aliena, & inſolentia.

Quincta poſitio, poetica, methodus debet eſſe ficta, hoc eſt non recta, iuxta ea, quæ alias de diſpoſitione libro ſecundo de arte dicendi de methodo non recta docuimus. Congruit poeticę ſcriptioni panegyrica methodus: ſed illud proprium habet Poeta, vt non incipiat ab ouo: vt non ex ſeipſo loquatur, ſed uel perſonam

intro-

introducat loquentem, ut in Dramate, uel ſe numine diuino afflatum cantare ac uaticinari dicat: & hinc eſt, quod Vates vocatur. Idcirco ab alicuius Dei inuocatione rem aggreditur: ob quam cauſſam odæ, cum uotis abundent, inter poemata recenſentur.

Sexta poſitio, poetica dictio debet eſſe maxime ficta, hoc eſt, maxime flexa, & a vulgi ſermone remota, ita ut Poeta videatur alia quadam, ut Tullius ait, lingua loqui. Quare, in nominibus fingendis, uertendis, traducendiſque maiorem libertatem habent poetæ, quam alij ſcriptores; itaut metaplaſmi, id eſt uerborũ transformationes eorum proprij cenſeantur. Et vt propria uerba retinẽt, ita etiam barbara & impura uitant. Quod ſi res parum illuſtris, aut lepida ſit, artificium omne eis proferre licebit. Lib. 2. or.

Septima poſitio, quod attinet ad figuras, omnes figuras admittit poeſis: quibus tamen pro ſententiarum genere utendum erit: ita ut in graui genere grauia ornamenta, in exili exilia, & in mediocri temperata adhibeantur.

Octaua poſitio, de membris, idem dicendum eſt, quæ æſtimanda ſunt pro carminum ac rerũ genere, & iuxta ea, quæ de ideis diximus.

Nona poſitio, collocatio, ſiue compoſitio poetica tota, in primis eſt numeris & verſibus adſtricta: quorum & ſi uaria ſunt genera: ta-

men quodcunque poema ſibi accommodatum genus delegit: ita ut non ſit liberum in quibuſcunque rebus canendis, quocunque carminum genere uti: ne comœdia cothurnis, aut tragœdia ſocco ingrediatur. Quod vero ad clauſulas, pedes, & numerum attinet, nihil occurrit dicendum. Verum poetæ ob neceſſitatem carminis, maior quædam licentia in uerbis collocandis, ſicuti in eiſdem formandis, & phraſibus faciendis conceſſa eſt. Quo loco, illud nullo modo prætereundum eſt, maximam decori poetici partem poſitam eſſe in eo, ut orationis genere res ipſas, & affectus effingat, atque imitetur: quod a bonis poetis obſeruatum fuiſſe multis demonſtrari poſſet: ſed nobis ſatis erit ex Virgilio nonnulla loca breuiter ſubijcere: Plura qui uolet Bartholomei Marantæ quæſtiones legat. Explicaturus ergo bonus poeta puellæ celeritatem, breui & rapido uſus eſt numero cum dixit;

Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante uideri

Eclog. 3. *At uero cum de maieſtate regia & graui loqueretur, tardo & ſedato,*

Lib. 1. Aen.

Aſt ego, quæ diuum incedo regina, Iouiſque
Et ſoror, & coniux una cum gente tot annos
Bella gero.

Sed

Sed cum velocitatem exprimere uoluit hac vſus eſt verborum compoſitione.

Ipſa Iouis rapidum iaculata e nubibus
ignem.

Vbi quarto loco poſuit literarum hiatum, ut nnbium hiatum fulgoris motu factum exprimeret. Alibi arenæ ſiccitatem oratione imitatur, hoc pacto:

Et ſola ſecum ſicca ſpatiatur arena.

Alibi armorum rumorem,

Inſonuere cauæ, ſtrepitumque dedere cauernæ.

Eſt etiam in hoc carmine rei imitatio per orationem:

Panditur interea domus omnipotentis
olympi.

Item apud eundem, hæc eſt aptiſſima uerborum compoſitio reique imitatio.

— Scandit fatalis machina muros
Foeta armis

Vbi tarditatem per ſpondeum & moloſſum quaſi conſpiciendam præbet: & literarum antitypia trahentium conatum, & machinę reſiſtentiam exprimit, Scandit fatalis: Et poſtea, quaſi aliquantulum proceſſerit, per dactylum, & ſpondeum, Machina muros; rurſus ad reſiſtentiam reuertitur, cum ait, Foeta armis, ut etiam trahentium laſſitudinem uocalium colli-

ſione,

ſione, una cum machinæ tarditate longis pedibus expreßerit. Poſtea, quaſi alio impulſu pulſa aliquantulum excurrit, Illa ſubit, mediæq; minans: ubi ſyllaba, Nans, veluti pendentem & ſuſpenſam anteriorem equi partem oſtẽdit. Siquidem litera N, ſurſum ſpiritum trahit, & linguam palato ſuſpendit. Hic, quiete facta, quaſi machina illa vrbem proſpectauerit, tandem, Illabitur vrbi. Hoc etiam in loco admirabili quadam ratione rem ipſam uerborũ ſono exprimit.

Aen. lib. 2 In ſegetem ueluti cum flamma furentibus auſtris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata lęta, boumque labores,
Pręcipiteſque trahit ſiluas. Stupet inſcius alto
Accipiens ſonitũ de ſaxi vertice paſtor.

Vbi multas dictiones condenſatas animaduertere licet, quæ ſtrepitũ quendã reddunt: ut ſunt, Flamma fuerere, auſtris, rapidus torrẽs, ſternit agros: montano, uaſte ſonat, bonum reboat, & ſonitum exprimit, qui inter montes fieri ſolet, aquarum copioſe decurrentium: Præcipites, maxime uocalis & aſpera uox. R. ringit, S, ſonat, I, velociter fertur. Quarum literarum

terarum accedit in ſequentibus dictionibus frequentatio, Trahit ſyluas: ubi eſt literarum antitypia. Stupet inſcius, hic non tam horrida, quam affecta eſt oratio: quæ uox literarum tenuitate, & ſyllabarum breuitate, quaſi exanimatum, & præ timore uix loquentem hominē demonſtrat: cętera, non ſine uerborum decoro, cauſſam ſtuporis reddunt. In his nullam cernes moram, cum uelocitatem exprimere vult, Ite, ferte citi flammas date uela, impellite remos. Hic vero mentem indignationis plenam uerborum aſperitate, & quaſi literarum pugna mirifice compoſitionis decorum ſeruando expreſſit. Aen. lib. 4 Aen. lib. 4

Non potui abreptum diuellere corpus & undis
Spargere? non ſocios, non ipſum abſumere ferro
Aſcanium? patrijſque epulandum apponere menſis?
Verum anceps pugnę fuerat fortuna fuiſſet.
Quem metui moritura? faces in caſtra tuliſſem,
Impleſſemque foros flammis; natumque patremque
Cum genere extinxem: memet ſuper ipſa dediſſem.

Atqui lōgum omnino facerem, ſi omnia lo-

ca vellem afferre, in quibus artificioſiſſimus Poeta, uerborum genere res ipſas imitatus eſt: quod decorum nullibi non ſeruaſſe vere dixeris. His uniuerſe de genere dicendi poetico expoſitis, ſpeciatim de ſingulis generibus aliquid dicamus, & primum de dramatico, ſub quo tragœdia, comœdia, ſatyra, & ecloga continentur.

Decima poſitio, Tragedię decorum hæc priuatim requirit. Primum ut introducantur perſonæ admodum inſignes, ut Heroum, & Regum. Quare in tragœdia ſemper dignum argumentum a re uere geſta veriſque perſonis ſumitur: a quibus etiam nomen accipit. Deinde illud potiſſimum ſpectandum eſt in tragœdia, ut ſit maiorum motuum & perturbationum plena, ob terrores, admirationes, commiſerationes ue, ob aliquod magnum ſcelus, calamitatem, cruciatum, necemque, itaut hominum mores uitamque una diſſoluat. Finis ergo tragœdiæ erit horrificus, & mores ſeueriores. Quare, ex tragędia fieret comędia, ſi męrori ſuccederet lætitia. Præterea, genus dicendi tragicum dignitatis & moratę orationis partes requirit; ubi quę occurrent grauiſſima, paucis exponētur, in alijs vero plenitudine utendum erit. Non ſit itaque nimis diligens compoſitio, nec magis foro, quā theatro accōmodata: ſimplicior dictio & apertiores

tiores mores. Abſit ſententiarum nimia frequentatio, quæ in omni ſermone damnatur, ob quam cauſsam Seneca a tragico decoro multum receſſit: ſicuti qui doctas introducunt mulieres, ſeruos aſpere reſpondentes, & reges mendicantes. Poſtea, quia tota tragoediæ uis eſt in affectibus maioribus commouendis, conandum eſt, vt iſta perturbatio ſiue affectus oriatur ex aliqua re graui, quæ nata ſit inter amicos et neceſſarios; quoniam hoſtium vulnera & calamitates parum commouent, niſi ob facti truculentiam. Poſtremo, quoniam in fabulis confingendis præcipua ratio habenda eſt peripetię, hoc eſt mutationis ſtatuum ex contrario in contrariũ, prçter expectationem, curandum eſt ne perſonę quæ introducuntur, ſint omnino improbæ, cum harum perſonarum miſeria parum nos commouere ſoleat: ſicuti nec bonorum felices ſucceſsus, Alias enim tragoedia miſericordiã terroremque non incuteret. Et quamuis caſus fortunave peripetiam magis idoneam ad commouendos affectus faciunt: tamen, ſi ex ſcientia, & ſumma ratione fiat, non erit vllo modo damnanda. Quod uero attinet ad tragœdiæ partes, nihil nos hoc loco dicemus.

Vndecima poſitio, ad ſeruandum decorum in comoedia hæc priuatim animaduertenda ſunt.

ſunt. Primum, actio ex media hominum mediocrium vita ſumitur: quarum nomina fingere licebit: ita ut ſit ueluti humanæ vitæ ſpeculum. Deinde, perturbationes erunt leniores, mores ridiculi & ſolutiores: ita vt hominum mores cum voluptate repręſententur: quocirca finis erit lætus atque inexpectatus. Præterea, magna cura ponenda eſt in peripetia & agnitione, quæ debet eſſe arguta, ita vt quæ implicata ſunt, quam aptiſſime extricet. Denique, quod attinet ad dicendi genus, elocutionis forma, ſit ſubtilis, obliqua, ironica, cum ironia ſit riſus & lætitiæ fons.

Lege Feder. Nau. ſection. de re poet.

Duodecima poſitio, Satyra res ſibi ſubijcit turpes, hominum nimirum vitia: ſed quia non eſt omnino tutum, vel ſingulos, vel viuos ſalibus aſpergere, acriuſve reprehendere; ideo, vel generatim vitia damnat, aut eos tantum ſugillat, qui cum totius populi inuidia iam deceſſere. Verum, non eadem eſt apud Latinos, quæ olim fuit apud Gręcos ſatyræ ſcribendæ ratio. Nam apud illos ſolum ad riſum erat comparata, & nihil habebat præter ſcommata, iambicis contorta: atque ſumpta perſona cum apparatu, & ſaltatione recitabatur. At vero apud hos perſonam, & apparatum ſcenæ depoſuit, & hexametrum carmen ſumpſit. Grauitas itaque latina ſcurrilitatem, & laſciuiam il-

lam

lam græcam reliquit; & Satyram Epopoeiæ ſubiecit.

Decima tertia poſitio, ſatyræ decorũ in his potiſſimum ſpectandum eſt. Primum in genere ſententiarum, quas ſumere debet, de quibus iam dictum eſt. Deinde in ratione tractandi: methodo vtitur obliqua & ironica: non perpetuo ſed vario argumento conficitur, & ab una ad aliam rem ſaltat, abſque ordine & modo, inſtar Satyri capripedis; quod facile obſeruares in Perſio. Poſtea, obſcuritatem potius, quam lucem in dicendo ſectatur: non amplitudinem, non ſimplicitatem amat, ſed potius acumen & calliditatem tenui, ſtylo expreſſam. Hoc genus dicendi imitantur nunc apud Italos qui Paſquillos italice conficiunt, quorum lectio eſt ab Eccleſia prohibita; & apud Gallos, qui Gallos, ſic enim nominant.

Decimaquarta poſitio, Ecloga ſic dicta a confabulatione & colloquio, ſententias aſſumit ruſticas, ex ipſis ſyluis perſonas petit: quare potius paſtores, quam nautas, aut piſcatores introducit: quippe cum ſolitudo atque otiũ, magis ad naturę admirationem, rerumque a materia & ſenſu ſeiunctarum inducunt, quam hominum commercia, & quæſtus. Sub quibus perſonis per allegoriam alias eclogarum ſcriptores intelligunt perſonas, uel ſuas, uel amico-

rum,

Lud. Viu. Prĕfa. in buc.

rum, uel alicuius hominis ualde infeſti: ut in eclogis Virgilianis patet: in quarum explicatione, quidam infeliciter uerſantur, dum allegoricos ſenſus non obſeruant. Amat ecloga ſimplicem dictionem, & moratam: & quia ruſticæ perſonæ perſuaſione, vel ſapientiæ, vel pulchritudinis, uel virtutis alicuius grauitatē præ ſe ferunt; ideo carmen requirit heroicum; diuiſum tamen non raro in quincta regione, ubi dactyli loco alium pedem admittit. Atque de partibus dramatici generis hucuſque: nunc de epopæiĕ partibus dicamus.

Decimaquincta poſitio, epopæia eſt rerum mirabilium atque magnarum nouitate delectantium carmine heroico continua narratio; una nimirum unius perſonæ actio, ſicuti & tragœdia; a qua tamen nonnihil differt. Primum, in tragœdia, nunquam ſua perſona loquitur poeta, ut in epico carmine interdum facit. Deinde, in epopæia multĕ introducuntur fabulæ, multa epiſodia; non ita in tragœdia. Denique, vt alia omittam diſcrimina, carminis genere differunt.

Decima ſexta poſitio, præter ea quæ de decoro in poetica oratione ſeruādo ſupra diximus, in epopæia hĕc animaduertēda ſunt. Primum, cum perpetuam narrationem, mobilem, & continuatā requirat, ac proinde nullā harmoniā, & nu-

& numeros conſectetur, contenta eſt ſola hexametri carminis dimenſione: Liberam itaque amat dictionem ſolutæ orationis ſimilem, vt poſſit inſurgere, atque intumeſcere: abhorret tamen quadriſyllabas, & ſex temporum dictiones: quamuis interdum, pentaſyllabę, & octo temporum voces dignitatis non nihil habeant: vt,

Obuertimus antennarum:
Fortiſsima Tyndaridarum.

Deinde, fabulæ & metamorphoſes, quæ introducuntur non ſint vulgares, & tritæ, ſed his diſſimiles: Vt illæ apud Virgilium, Mutatio nauium in nymphas: Veneris in venatricem, et Cupidinis in Aſcanium. Ideo autem multis, & huius generis epiſodijs vtitur Epopoeia, quia heroicum carmen omnia ſuſtinet, & vt narratio ipſa excreſcat. Præterea, affectata epiſodia, vt ſunt illa in quibus eſt manifeſta fictionis affectatio, aut non veriſimile argumentum, reijcienda ſunt: Quod non fecit Ouidius in ſuis tranſmutationibus, vbi affectate fabulam fabulæ connectit; nec tamen vnam perſonam actionemque proſequitur, ſed ſtudioſe vnam cum alia iungit, quaſi alia ex alia neceſſario ſequatur: cum tamen vbi non eſt unica actio ſiue perſona, vnum non poſſit effici dicendo corpus. Denique, cum epopoeia narratio-

nem contineat, eas virtutes deſiderabit, quæ in narrando ſunt neceſſariæ, & ſpeciatim lucē. Atque hæc breuiter de re, de qua non eſt hic locus ſcribendi latius. Reſtat ut eadem breuitate, de Dithyrābico, ſiue lyrico genere aliquid dicamus, ne omnino illud pręteriiſſe videamur.

Decimaſeptima poſitio, Dithyrambicum, ſiue lyricum poema numerorum uarietate conficitur, ita ut ſit aptum ad lyram, tibiamve cātari. Quod aliquando a materia nomen accepit, unde amatoria, epithalamia, & phyſica: aliquando, ab eo cui uerſus canebantur; ut Pæones qui Apollini, ob ſedatam peſtem: dithyrambi qui Baccho: & denique ab inuentore illius carminis; unde alij Sapphici, alij Aſclepiadei. Lyricum itaque carmen illud eſſe dicitur, quod cum uario metrorum genere compoſitum ſit, & clauſulis, periodiſque certis ac definitis ita recurrat, ut cantus harmoniam, & melos lyra facile declaret, & eadem ſpatia redeundo metiatur. Quibuſcunque igitur uerſibus hymni fiant, cum non uno metrorum genere fieri ſoleant, etiam ſi monocolo conſtent, ita componi & redire toni debent, ut periodos claudi, & finiri ſyllabis, ac etiam metrorum genere uario conſtare, facile intelligas. Et hinc eſt quod in lyrico carmine, nihil ſuauita-

tis

tis percipitur, & ſoluta uidetur oratio, niſi ad lyram tibiamve canatur. In hoc genere apud Latinos excelluit Horatius, quē, ut multis in locis Scaliger notauit, ita nō male defendit Parthenius. Sub hoc poematis genere hæ continentur partes. Odæ, ſiue hymni, qui primum metris diſſimilibus in periodis, & certis locis redeuntibus, ut dicebamus, conſtant. Deinde, una quidem figura ſed uario pedum genere (ut Sotadęum carmen) etiam contrarijs, & non cognatis conficitur: quo genere, ut uario, & molli, chorus uti conſueuit: colloquia enim a communi uſu loquendi recedere non debent. In hymnis itaque, longa membrorum comprehenſio & melos appareat: dictio ſit plena & circumducta, magno uerborum ſyrmate, hoc eſt tractu, compoſitorum, & nominantium cum ſplendore & dignitate. Sequitur Elegia, flebile carmen, quod olim defunctorum lamentationes continebat: nunc etiam amores, & affectus alios. Cuius comprehenſiones dicolæ & diſtrophæ, hexametro, pentametroque abſoluuntur: ut uitium cenſeatur ſenſum diſticho non perficere: unde breuis erit circumductio: dictio ſuauis, mollis, delicata, & omnino morata. Epigramma hoc eodem carminis genere ſepius conficitur, rarius alio, ut hendecaſyllabo, & hexametro. Eſt autem epigram- Thom. co.

ma breuis & acuta argumenti tractatio: quod cum olim ſepulchris & ſtatuis inſcribi ſoleret, Anathema dictum fuit. Huius carminis idea potiſſimum in acumine ſpectatur; ita ut lectorem, infixo quodammodo alicuius argutiæ iaculo, relinquat. Quare, in ultimo uerſu, aut diſticho totius argumenti uim exponit. Epithaphia breuia requirit Plato, quæ ad ſummũ tetraſticho contineantur: quæ Romani non tam carminibus, quam ſoluta oratione eſſe uoluerunt, ut clarius geſtas res exponerent. Ex quibus concludere licet, odas, elegias, epithaphiaque nihil habere poetici officij, cum fabulam non contineant; quamuis ad fabulas ſoleant interdum alludere. Et quoniam fabula ad poeticum officium maxime ſpectat, propterea de eius uirtutibus, & de modo quo poema concipiendum eſt, aliquid adſcribam.

Decimaoctaua poſitio, tota poetæ laus tribus in rebus maxime eniteſcit: in fabulæ fictione, ſeu inuentione, œconomiaque, id eſt diſpoſitione actionum & perſonarum: in moribus, ubi actionem imitamur: ut enim fictio eſt fabulæ, ita imitatio actionis eſt in ſententia, qua mentem noſtram aperimus, cum aliqua dictionis forma, aliquid enunciamus, quod ad elocutionem pertinet. Fabulæ precipua uirtus, ut ſupra etiam admonuimus, conſiſtit in

peri-

peripetia, hoc eſt, in illo tranſitu a contrarijs in contraria, qui eſt præter omnem expectationem, & neceſſitate, uel probabilitate nititur: qualis diuino conſilio fuit illa Ioſephi. Hinc alia exoritur fabulæ uirtus, quæ Agnitio nominatur, qua ex indicijs quibuſdam, aut ratiocinationibus, & ex ignoratione in cognitionem alicuius deducimur. Quare ex odio in amicitiam, ex aduerſa fortuna in proſperam, uel ex proſpera in aduerſam ducimur: & ne commentatio hic frigeat, ſemper, uel ad miſericordiam, uel ad metum præparet. Vnde tertia exoritur uirtus, perturbatio uidelicet, affectuſue. Eſt autem perturbatio actio doloris plena: ut cum uulnera, cruciatus, neceſque exponuntur: quæ, ut diximus, ſi fieri poteſt, inter amicos, & aliqua ratione coniunctos quærenda ſunt. Atque comœdia potiſſimum in agnitione ſpectatur, qua in re Plautus ſolicitus multum fuit. Quod uero ad ſententiam attinet, in ea quoque poſita eſt imitatio, cuius partes ſunt, interrogatio, reſponſio, mandatum, preces, minæ, & ſimilia: Finis uero atque conſilium, ut oſtendat aliquid eſſe, uel non eſſe, ut implicata ſoluat, & exaggeret, aut iminuat factum, & ut metus perturbationeſque præparet. Geneſ.

Decimanona poſitio, qui cum decoro poema conficere uult, hanc retinebit metho- Ariſt.

dum: Primum tota mente fabulam ſimpliciter concipiat, atque ob oculos ponat. Deinde, ſubſtitutis nominibus, ubi hoc facto opus eſt, ad epiſodia inuenienda ſe conferat, quæ in dramate breuiora, in epopœia longiora erunt. Denique, elocutione idonea paulatim a capite ad calcem ſic exponenda atque perficienda eſt fabula, ut ſola dictione, non dũ adhibita actione, fieri uideatur. Vbi ſemper aliquid moratum & admiratione dignum interponatur; ita ut dictio perpetuo aliqua voluptate titillet.

De decoro philoſophico. Diſp. XXII.

QVOD de decoro in philoſophica oratione retinenda hoc loco aliquid ſcribere uelimus, aliquibus a noſtro inſtituto alienum uideri poterit. Verum, cum de hoc genere non uno in loco Cicero mentionem fecerit, & quidam alij dicendi magiſtri de eodem nonnihil ſcribant; nobis etiam, dum omnia ſcribendi genera leuiter attingimus, de eo, ne hanc tractationem imperfectam relinqueremus, aliquid dicendum fuit. Verum, rem paullo longius repetentes, non ſolum de philoſophica dialectica ue ſcribendi, dicendique ratione, ſed de

didactico, hoc eſt de doctrinę tradendæ modo ſummatim dicemus.

Prima poſitio, didacticę orationis genera ſunt quattuor, Demonſtratio, dialogus, præceptum, & interpretatio: de quorum ſingulis deinceps ſcribemus, et quid unumquodq; ſit, explicabimus.

Secunda poſitio, Demonſtrationis nomine illud dicendi genus intelligo, quod in rebus obſcuris & inuolutis exponendis, ut ſunt, quæ ad naturam, mores, rationemque ſciendi pertinẽt, vnam propoſitam habet rei cognitionem, intelligentiamque: ubi nulli mores ſpectantur, nulla perſona introducitur: cuius tota uis in genere orationis, & in methodo poſita videtur.

Tertia poſitio, qui apte docere vult, primũ methodum nanciſcatur aptam, & rei de qua agitur, & perſonis accommodatam. Et cum non ſit huius loci uel uniuerſe, uel ſpeciatim tradendarum artium methodum demonſtrare, generatim dixerim, a notioribus & communioribus, inſitiſque notionibus eſſe auſpicandum: deinde a principÿs ad cauſſas procedendum: ab his ad partes totamque rem progrediendum: et tandem ad ſubiectas ſpecies, & proprietates deueniendum: Quod fiet, dicenda proponendo, diuidendo, definiendo, explicando, probando, contraria refellendo, atque dicta colligendo. Ariſt. lib. 1. phyſ. tex. 2.

Et ut multa paucis complectar, non inepte docebit, qui re explicanda propoſita, quid rei nomen ſignificet, an ſit, quid ſit, qualis ſit; quæ cauſę prę ſertim efficiens, qui effectus, officium ue & finis, quæ partes, & denique quæ ſimilia, ſeu contraria, & quibus rebus alijs præſtet, explanabit. At ſi coniuncta proponatur quæſtio, iam ſcholæ uſu obtinuerunt, ut propoſitę quæſtionis termini explicentur, argumenta contraria proponantur, auctorum placita citentur, fundamenta aliqua iaciantur, concluſiones adſtruantur, & corroborentur, & denique, quæ obſtabant rationes diluantur: Qui tamen ordo aliqua ex parte interdum mutari poterit. Atque hæc quidem cum in difficilioribus diſciplinis uerſamur. Siquidem, in Mathematicis tradendis, ſimpliciore methodo uti poterimus: ubi terminos declarare, & axiomata quædam proponere, & ex conceſſis iamque probatis ſimpliciter demonſtrare licebit.

Doct. Louan.

Quarta poſitio, philoſophica oratio claritatem puritatemque retineat, & pro rerum genere dignitatem ſubtilitatemque. Amet itaq; qui res graues & a ſenſibus remotas tractat, genus dicendi perſpicuum, purum, non omnino fuſum, ac profluens, nec tamen aridum, atque exile, in quo, non modo rerum, ſed etiam verborum aliqua cernatur dignitas; & potius ſit

ad docendum, quã ad capiendum aptũ. Quo ſit, vt qui ſpinoſe, tenebricoſeque, & omnino impure ſcribunt, apud eruditos et melioris literaturæ homines male audiant. In philoſophos veſtros, ait Antonius, ſi quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod ſunt fere inſcripti, de virtute, de iuſtitia, de honeſtate, de uoluptate; verbum prorſus nullum intelligo; ita ſunt anguſtis, & conciſis diſputationibus illigati. Nec etiam ij probantur Didactici ſcriptores, qui dũ orationis floſculos, & lepores ſectantur, et omnia nimia religione uerba examinant, quod deberent clare exponere, non dicũt, aut obſcure omnino, & effœminate dicunt: ut in eo ipſo quod delectationem aliquam dicendo aucupētur, plus nonnullis, quam neceſſe ſit, facere videantur. Mollis eſt, ut cum Cicerone concludam, oratio Philoſophorum & vmbratilis, nec ſententijs, nec uerbis inſtructa popularibus, nec iuncta numeris, ſed ſoluta liberius: nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil miſerabile, nihil aſtutum: caſta, uerecunda, uirgo incorrupta quodam modo: namq; ſermo potius, quam oratio dicitur. Ex quibus colligeres, quam imprudenter literatuli & putiduli quidam homines maiorem quendam in philoſophico ſermone nitorem, numerumque requirant: quo ſit, ut cum aliquid minus pure

Cic. in or.

Lib. 2. de orat.

In orat.

dictum,

dictum, apud Philoſophos legerint, ſtatim naſum ſuſpendant: cum neque ipſe Romanæ eloquentiæ perfector tantum uerborum ſplendorem ab eis requirat. Neque tamen eorum approbamus ignauiã, qui, ne in ſermonis cultu aliquam diligentiam ponant, omnia fœde & corrupte ſibi dicere fas eſſe arbitrantur, immo neceſſarium putant: cum olim multi extiterint philoſophi, qui integre & pure ſcribebant, ut de Platone, Ariſtotele, & eius diſcipulo Tyrtamo, qui ab orationis ſplendore, merito dictus eſt Theophraſtus: & apud Latinos, Cicero ornate de finibus, de natura deorum, de diuinatione, de legibus, de officijs, & de humana cognitione contra Academicos ſcripſit. Liceat igitur per me Philoſopho quibuſdam uerbis ſcholaſticis, uel ob linguæ inopiam, uel ad plane breuiterque docendum, uti; ſed non fœdentur omnia aliquod in apte dicendo collocetur tempus ab ijs, qui aliquid literis commendare uolunt. Sed de his hactenus.

Quincta poſitio, ea ſcribendi Philoſophorum ratio, quæ aliquid moratum & quaſi dulce ad delectandum per parerga & digreſſiones præparationeſque adhibet, in rebus grauioribus, & maioribus explicandis, plus detrimenti, quam emolumenti affert. Nanque huiuſmodi res, niſi cito & paucis intelligantur, nunquã

intel-

intelliguntur. Difficilium, itaque & grauium rerum per dialogos ſcriptio, tanquam minus apta ad docendum & iuuandum, non eſt paſſim vſurpanda. Primum, quia hic non tam uerba, quam res quæruntur: in quibus tradendis ſi extra rem ad dialogi decorum ſeruandum multa inſerantur, multæ conſumuntur chartę. Deinde, quia multo melius lector rem aliquam percipiet, dum in ea immoratur, atque hæret, quã ſi ab ea longius abducatur, & diutius extra rẽ peregrinetur, Vt hic omittam, quod multo melius proprijs & vſitatis uerbis, quam translatis, & nimio ſtudio accommodatis ſubiecta res exprimitur, et expreſſa intelligitur. Deniq; ne plura conſecter huius ſcriptionis incõmoda, cũ in didactico ſcribendi genere opus ſit demõſtratione, quę rẽ breuiter perſpicueq; cõfirmet, nihil minus ad id efficiẽdũ confert, quã per multas uerborum ambages, per longum orationis ductum, per interrogationes, & reſponſiones uarias uelle docere. Hinc illa ſumma difficultas in percipienda dialogorum ſententia, atque rationum allatarum momẽtis. Quare, ut cum Venuſino poeta concludam.

Quidquid præcipias, eſto breuis, vt cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles. In Poet.

Verum,

Verum, cum ea ſit hominum natura, ut nolint ſine uoluptate doceri, ideo introducta eſt ratio docendi per dialogum, de cuius decoro ſequenti poſitione aliquid adſcribam.

Sexta poſitio, Res minus arduæ & obſcuræ, & quæ minus probatione indigent, nec longã diſputationem requirunt, per dialogum tractari poſſent; cuius decorum in his rebus ſpectatur. Non minus delectare, quam docere, remque demõſtrare dialogorum ſcriptores ſtudẽt. Quo fit, ut interdum leuius aliquid probent, ac etiam ſub aliena perſona, & quaſi decorum ſeruare uelint, aliquid minus probabiliter dicunt: quam ob cauſſam excuſari uolunt, ac ẽt a quibuſdam excuſantur. Sed nullo modo excuſandi ſunt, qui tanquam callidæ uulpeculæ, hac arte, errores diſseminant, & uineam Domini
Cant. 1. *demoliri conantur: ad quas capiendas, eos qui uere ſentiunt, diuinæ hortantur literæ. Quidam igitur hanc ſcribendi rationem libenter uſurpant, ut quod alias per ſe dicere non auderent, per alios dicant; aut ſi quid per ignorantiam dixerint, excuſari poſſe uelint. Debet dialogus eſse moratus; ita vt ſeruetur in perſonis, quæ loquuntur, decorum; & nunc qui interrogat, nunc qui reſpondet ſubtilitatem oſtendat: & pro rerum varietate varias formas ſumat; & perſonas loquentes faciat. Ob altercationes*

quæ intercurrunt, non multũ amplitudinis habebit, niſi ratione ſententiarum ex philoſophia ſumptarum, & alicuius rei quæ per egreſſionẽ tractatur; ut cum Cicero in Catone maiore per digreſſionem contra uoluptatem diſſeruit. Narrationes introducuntur pulchræ, & ſplendidę: quæ tamen interfationibus & præciſionibus abrumpuntur. Euidẽtiam præ ſe fert dialogus, & ſimplicitatem, ac proinde ex aliqua re iucunda & ſimplici diſputandi occaſionem ſumit; ita ut inde nihil magnum, nihil eruditum videatur expectari poſſe: & interdum ad humilia quædam narranda deſcendit, quæ ad rem nihil facere uidentur. Et hæc ſunt fere quæ in dialogis ſcribendis animaduertere opus erit.

Septima poſitio, quod attinet ad præcepta, ſiue ſententias et leges, quæ breues eßе debent, breuiter dixerim, Præceptum eſſe ſententiam, cum quadam auctoritate de re facienda, aut nõ facienda breuiter pronuntiatam. Debẽt igitur præcepta ſiue leges eſſe breuia, quaſi aphoriſmi, & regulæ communes auctoritate, non rationibus, confirmatæ. Quæ nullis commentarijs explicari, aut ſcholijs exponi; ſed iudicio boni viri, ſi ſpeciatim de humanis legibus loquamur, ad uſum traduci, & ad ſingulares actiones applicari deberent: id quod optimi legislatores, ut Lycurgus, Solon,

lon, Iuſtinianus, religioſe ſeruandum eſſe ſtatuerunt. Nec tamen tollitur interpretatio, quæ in ſcholis fieri debet: de qua deinceps aliquid dicemus.

Octaua poſitio, boni interpretis, hoc eſt eius qui aliena ſcripta exponit, hæc potiſſimum uidentur eſſe munera. Primum, ut uerbis proprijs & ſignificantibus paraphraſtice auctoris ſenſum exponat. Deinde, ut uerborum uim, uel ex uſu communi, uel auctoris, ex alijs locis perpendat. Poſtea, unde doctrina illa ſumpta fuerit, uel ad cuius imitationem aliquid dictum ſit, demonſtret. Præterea, ut eandem ſententiam, uel ex communibus notionibus, uel ex proprijs locis artis, rem in dubium reuocando, confirmet, & quæ contra facere uidentur, diſſoluat. Quod autem ad dicendi characterem attinet, interpres, puram, ſimplicem, perſpicuamque orationem, non ornatam & floridam affectet. Hoc autem munere qui vti voluerit, eam artem teneat, cuius ſe magiſtrum probet, aut certe artes omnes, ita vt ſit encyclopædia, ſiue polymathia inſtructus, vt olim qui Grammatici appellabantur, erant ornati. Et quamuis, ad bonum interpretem ea pertineant, quæ iam recenſuimus munera: tamen, quoniam varij

rij varia ſibi ſumpſere priuatim obeunda; ideo interpretum varij nati ſunt ordines. Alij nanque ſolam verborum vim ſignificationemque ſine certo auctore explicantes, lexica fecerunt: alij ſolum ſenſum ex uno idiomate in aliud tranſtulerunt: alij aliquid de ſuo uerbis addentes, paraphraſim, epitomemue fecere: alij modo iam dicto, & verba, & ſenſum expoſuerunt, atque examinarunt, & commentaria fecerunt: alij denique, nullum certum auctorem ſequentes, res narias explicuerunt; ut Gellius, Macrobius, vterque Cælius, & quidam alij. Poſsem hoc loco, quæ ſit eius qui in aliam linguam uertit munera pluribus exponere, ni vellem huic libro finem facere. Atque hęc ſunt quæ de ideis, earumque uſu in præſentia ſcribere uoluimus. Quod ſi cuipiam minus erudito, & in rhetoricis, dialecticiſque uerſato, ea quæ ſcripſimus paullo obſcuriora uidebuntur; is meminerit, inprimis, rem ipſam ſuapte natura eſſe difficilem & uariam, ut etiam initio diximus. Deinde, is eos conſulat, qui hac de re aliquid ſcripſerunt, & tum nos aliquam lucem huic tractationi attuliße fortaſſe intelliget. Denique, ſi is qui idearum auctor cenſetur Hermogenes, de eis obſcure omni-

no

no locutus eſt, quid mirum ſi in eius doctrina explicanda, aliquid intercedit obſcuritatis? Sed his omiſſis, ad poſtremam huius operis partem explicandam ſtylum conuertamus.

Libri tertij finis.

DE

DE ELOCVTIONE ORATORIA,

Liber Quartus.

IN QVO DE VERBORVM & rerum copia diſſeritur.

Quid & quotuplex ſit copia, quæ eius vtilitas & vſus. Diſputatio I.

QVAE duo ſunt propria Oratoris munera ornate et copioſe dicere, ea is ſolum præſtare poterit, qui eloquendi doctrinam percalluerit, & rerum verborumque copia fuerit inſtructus. Illa enim perpolitur ac illuſtratur, hac uero variatur, ac dilatatur oratio: illa delectat & afficit, hac retinet & ſatietatis faſtidium tollit orator. Ex quibus illud conficitur, locupletandæ orationis doctrinam nullo modo a nobis, qui abſolutum de elocutione oratoria opus conficiendũ

ſuſcepimus, prætermittendam fuiße. Cum ergo ſuperioribus libris omnia quę ad ornandam apteque conſtruendam orationem conferunt, copioſe perſpicueque tradiderimus, hoc unum reſtabat, ut de rerum verborumque copia, qua is qui eſt inſtructus copioſe & uarie dicere poteſt, ageremus. De qua & ſi multi hactenus late docteque ſcripſerint: tamen, ne hanc tractationem imperfectam relinquerem, de eadem mihi omnino aliquid ſcribendum fuit: nec, ut ſpero, inutilis erit iam tractatæ rei repetitio, neque a noſtro inſtituto aliena cenſebitur tractatio: quod tamen quiſpiam ob has rationes facile ſibi perſuadere poßet.

Primum, quod ad verborum abundantiam attinet, ea petenda eſt a Grammatica, quę verborum varietatem, & uim ſuppeditat; quod eſt omnino manifeſtum: inutiliter igitur, & nō ſuo loco hac de re nunc a nobis agitur.

Deinde, rerum copia partim petenda eſt a ſcientijs & artibus ipſis, quæ res tractant, partim a Dialectico, qui locos, unde argumenta uaria ad late copioſeque dicendum promuntur, oſtendit: inutiliter igitur & extra rem, de rerū copia hoc loco diſputatur.

Denique, verborum & rerum affluentia, ex tropis figuriſque verborum & ſententiarū profluit, de quibus primo libro fuſe ſcripſimus;

nihil

nihil igitur eſt neceſſe, ut rurſus quicquam de ea dicatur. Cęterum hanc tractationem nec inutilem, nec a noſtro inſtituto alienam eſſe, vbi copiæ naturam & partes vniuerſe explicuero, facile demonſtrabo. Et quoniam nullę in re propoſita citandę occurrunt ſententiæ, nec vllo opus eſt fundamento, ad poſitiones ipſas accedo.

Prima poſitio, verborum & rerum copia eſt oratori maxime neceſſaria. Primum, ut uitare poſſit illud ingratiſſimum homęologiæ, hoc eſt vniformis & vbique ſui ſimilis orationis vitium, quo quæ affecta eſt oratio, ea omni ſuauitate caret; & nulla varietatis gratia tediū leuat, ac proinde non ſolum animis, ſed etiam auribus eſt ingratiſſima. Quis enim ſit auribus adeo patientiſſimis, uel tantiſper, ut orationem ferat ſui vbique ſimilem? Deinde, vt huius copiæ beneficio ſuam dictionem variando exornet; ſine qua varietate nihil eſt tam nitidum, quod non ſqualle re videatur. Propterea, proui dens natura, quæ non modo in rebus quas procreat neceſſitatem, ſed etiam delectationem quæſiuit, in immenſa rerum turba, nihil unquam reliquit, quod non admirabili quodam varietatis artificio pinxerit: hinc tot plantarum, tot hęrbarum, tot florum, tot colorum, etiam in vno floſculo grata uarietas. Denique,

Quint.

Cic. li. 3. orat.

Orator hac rerum & verborum affluentia exornando delectat, & delectando retinet, & retinendo varietatis gratia non ſatiat. Vt enim oculi diuerſarum rerum aſpectu magis detinentur; ita animus ſemper circumſpectat in quod tanquam nouum ſe conuertat: qui, ſi cuncta prorſus ſimilia undique occurrant, tædio protinus auertitur: atque ita totus ſimul perit orationis fructus. Quare, ut Orator tantum malum facile vitare queat, verborum & rerum copioſus eſſe debet: ut multa eandem rem dilatando dicere, & unam ſententiam in plures formas commutare poſſit. In ſumma, rerum verborumque copia neceſſaria eſt ad docendũ, mouendum, atque delectandum, quæ ſunt tria perfecti Oratoris munera.

Secunda poſitio, hæc de verborum & rerũ copia tractatio non eſt a noſtro inſtituto, nec a loco in quo uerſamur, aliena. Non eſſe a noſtro inſtituto, quod eſt bene dicendi artem explicare, remotam, ex eo primum patet, quod hanc de copia doctrinam Rhetores potiſſimum excogitauerint, atque tradiderint, ut ex Fabio optimo dicendi artifice facile diſcitur. Deinde, orationem dilatare dicendo, eſt Oratoris maxime proprium: quare Oratoriæ artis erit præcepta tradere, quæ ad dilatandum valeant: quæ profecto in hac de vtraque copia diſputatione traduntur.

duntur. Quod autem hæc doctrina non ſit a loco in quo uerſamur, aliena, ex eo demonſtrare licet, quod nemo unquam eloquendi perfectam conſequetur facultatem, quam his libris tradere conamur, nec ornate numeroſeque dicet, ni vtraque copia fuerit inſtructus. Adde etiam, quod hæc verborum, & rerum vbertas, bona ex parte, ex figuris, tum uerborum, tum ſententiarum, de quibus ſupra egimus, naſcitur, congrue igitur figurarum tractationi de copia adijcitur tractatio.

Tertia poſitio, hæc utriuſque copię doctrina maximas ſecum utilitates affert. Patet primũ hæc poſitio ex ijs, quæ prima poſitione de neceſſitate diximus. Poſtea, confert ad uſum eorũ quę ſuperioribus libris docuimus: hoc eſt ad figuras, tum verborum, tum ſententiarum faciendas: ad concinnam & numeroſam orationem conſtruendam, & denique ad omnes orationis ideas effingendas.

Quarta poſitio, copia vniuerſe ſumpta hoc modo deſcribi poteſt, Copia eſt facultas, qua res aliqua alijs atque alijs verbis effertur, figuris ornatur, argumentiſque, augetur ac dilatatur. Hæc poſitio, quæ eſt ſatis clara, ex ijs quæ deinceps dicemus, multo clarior fiet.

Quincta poſitio, copia duplex eſt; una verborum, altera rerum. Nam, cum omnis ora- Sim. Vin.

tio verbis & rebus conſtet, profecto, uel in uerbis, uel in rebus omnis copia ſpectanda erit. Verborum abũdantia in eo conſiſtit, ut, eadem manente ſententia, dicendi forma uarietur; at vero uerum affluẽtia, ipſum, ut ita dicam, orationis corpus, & argumentum auget atque dilatat.

Sexta poſitio, verborum copiam primum ſuppeditat Grammatica, quam auget lectio, & obſeruatio, figurarumque non mediocris cognitio, atque latine loquendi, ſcribendique quotidianus vſus: at vero rerum ubertas ex locis, tum oratorijs, tum dialecticis manat. Quo fit, ut nemo poſſit utranque copiam conſequi, qui in grammaticis, rhetoricis, ac dialecticis non fuerit uerſatus.

Septima poſitio, ad explicandam atque intelligendam rationem, qua verborum copia cõparari poſſit, præcognoſcendum eſt, quæ ſint polyonyma, ſynonyma, dionyma, homonyma, & heteronyma. Hie.Reg. *Polyonyma ſunt diuerſæ uoces, quæ unam & eandem rem declarant, vel certe ad eam declarandam adhibentur, licet nonnihil diſcriminis in ſignificando habere, aut diuerſas res ſignificare poſſint; modo ad eũdem intellectum referantur. Vt ecce, enſis, gladius, mucro, ſica: quæ licet diuerſas habeant ſignificationes; tamen interdum ad eandem*

rem

rem ſignificandam uſurpantur: ut in hac ſententia, tres quæ in ea continentur uoces. Quæ mẽs? qui animus? quæ cogitatio? Synonyma ſunt, quæ uulgo uniuoca nominantur, quorum nomen & naturæ ratio eſt eadem: vt ſunt omnia generum & formarum nomina: animal, planta, homo, leo laurus. Errant igitur vna cum Fabio multi, qui polyonyma, ſynonyma uocant. Dionyma ſunt duo, vel plura nomina propria, quæ vni ſoli rei conueniunt, penes diuerſas nominum poſitiones: Vt, Italia, heſperia, quæ vni tantum prouinciæ tribuuntur: Sicilia, trinacria, triquetra, ſicania: Zephirus, fauonius vnius venti nomina. Homonyma, quæ vulgo æquiuoca nominantur, ſic dicta, quod quadam ratione æqualiter vocent: ut hoc nomen taurus, quod montem, ſidus, animal, & arboris radicem ſignificat: Aries, bellicam machinam, ouium maſculum, & ſignum quoddam coeleſte. Heteronyma ea ſunt, quæ nec nomine, nec re conueniunt; ut lapis, planta, ferrum. Cæterum, etſi polyonyma & ſynonyma inter ſe differant, tamen in hac tractatione nullo diſcrimine a nobis diſcernenda ſunt: & ita idem erit vtrorumque in verborum copia vſus: ac proinde polynonymia, & ſynonymia, quibus vocibus illorum nominum deſignatur vis atque vſus, pro eodem ſumentur.

Li. 10. c. 1.

Octaua poſitio, polyonymia, ſeu ſynonymia eſt, quæ eandem rem variatis verbis declarat: ut ſi dicas, Deus, numen, diuina vis, ęternaque natura, rerum omnium conditor. Eſt autem duplex, altera communis, cum diuerſæ uoces, aut orationes variæ eundem planè ſenſum referunt: altera priuata, cum diuerſa uocabula rem eandem abſque tropo ſignificant, quam polyonymiam uocare poſſemus; hæc in ſolis ſimplicibus & proprijs vocibus ſita eſt: illa vero etiam in uerbis figuratis & coniunctis; vt ex ijs, quę dicemus manifeſtum omnino fiet.

Nona poſitio, tota hæc verborum copia & variandæ orationis facultas, aliqui in polyonymiam, iſodynamiam, & heteroſim diuidunt, exceptis tamen tropis. Quid ſit polyonymia, iam expoſuimus: Iſodynamia vero, quam vulgo ęquipollentiam vocant, Latini, pronunciata idem efficientia, & reconciliata, eſt verborum, aut orationum inter ſe conſenſus, & reconciliatio quædam: vt ſi dicas, vir iuſtus eſt, vir eſt non iniquus: illum amat, illum non odit. Heteroſis vero, eſt varia eiuſdem dictionis paragoge, ſiue traductio, ſiue vnius vocis pro altera poſitio, quę enallage, & antimeria appellatur: vt ſi dicas, huc venit, pro in hunc locum venit: eo inſanię deuenit, pro ad

eam

tam inſaniam. Alij uero totam hanc doctrinam variandæ orationis per uerborum copiã; tribus modis fieri poſſe dicunt; nimirum vel verborum, uel conſtructionis ſiue ſyntaxis, vel figurarum commutatione: quam methodum nos in hac doctrina tradenda retinebimus.

Decima poſitio, ſi quis in polyonymis comparandis ſe exercere, atque hac in re progreſſum facere vellet, is librum habeat exceptorium; in quo, dum bonos ſcriptores lectitat, ſynonyma ſtudioſe & ordinate ſcribat: & ſcripta ſæpenumero relegat. Quod vero ad uſum attinet, ſelectorum verborum cum iudicio habendus eſt delectus; ne proprijs & uſitatis uerbis omiſſis, impropria & inuſitata uſurpentur: cum non quidquid occurrit, ſit quocunque in loco ponendum. Et quoniam vix duo inuenies verba omni ex parte iſodynamunda, hoc eſt, idem prorſus ſignificantia, & vt loquuntur, æquipollentia, quæ aliquo pacto in ſignificando non diſſideant, ea uſurpanda erunt, quæ ſunt magis affinia, nitidiora, grauiora, & ad rem atq; perſonas magis accommodata.

Vndecima poſitio, quod attinet ad dionyma, vt ſunt nomina, quæ prorſus idem ſignificant, non ſunt frequentanda in oratione ſicuti ſynonyma, ſeu polyonyma, & iſodynamunda: ſed

tunc

tunc eis vtemur, cum aliquid frequentius, aut commodius explicandum erit. Conferunt etiam ad auctores intelligendos in nominum varietate foecundos. Quare, ſi quiſpiam de ſacris libris eſſet acturus, modo ſacras literas, modo ſacrum codicem, modo ſacram paginam, modo diuina oracula, modo ſacra uolumina, modo canonicos libros diceret.

Et quoniam argumenta allata, ex ijs quæ diximus, facile ſolui poſſunt: propterea nihil priuatim reſpondebo. Ad aliam igitur diſputationem progrediamur.

Explicantur quidam modi uariandę orationis per figuras grammaticas & tropos.

Diſp. 11.

QVAE de copia vniuerſe dicendæ erant, ijs explicatis; nunc accedẽtes ad priuatos modos, quib. per uerborum abũdantiam variatur oratio, priore loco de ſpeciebus ſynonymię, quæ ſpectatur in uerbis, agemus. Sunt autem ſynonymiæ uerborum ſpecies nouem. Specialis ſynonymia, enallage, metaphora, metonymia, ſynedoche, antonomaſia, catachreſis, allegoria, periphraſis: quas varijs poſitio-

tionibus explicabimus, exempliſque nonnullis illuſtrabimus.

Prima poſitio, ſpecialis ſynonymia, eſt copię verborum modus; quo res eadem diuerſis effertur uerbis: Vt, emere domum, mercari ædes: præclaram domum ædificare, magnificas ædes extruere: adire periculum, ſubire diſcrimen: amare amicum, diligere beneuolum: remittere noxiam, condonare culpam: literas ſcribere, epiſtolam exarare.

Secunda poſitio, Enallage eſt, qua uoce nonnihil deflexa, uarietatis nonnihil conciliatur. De enallage multa libro primo diſputatione vigeſimanona ſcripſimus: quare hoc loco ſolum eos modos attingemus, qui ad uariandam orationem conferunt. Fit ergo enallage duobus modis, dictionis commutatione, & qualitatis innouatione: ſub priore modo hi potiſſimum continentur. Primus, cum uocabulum uarias ſortitur terminationes: ut homo, homunculus, homuncio: biboſus, bibax, bibulus: materia, materies: pigritia, pigrities, pigritudo, pigritas: temperans, temperatus, & id genus alia. Secundus, cum nomen ſubſtantiuum commutatur adiectiuo, & contra: ut, Romanorum geſta, romana geſta: Ciceronis eloquentia, ciceroniana eloquentia: uir mire facundus, vir mira facundia, & mirę facundiæ. Tertius, cum uerbum

Vide Val. lib. 1.

actiuum

actiuum commutatur paſſiuo; vt, habet gratias gratiæ habentur: tuus ſermo afficit me gaudio, tuo ſermone gaudio afficior: ſpe magna teneor, magna me ſpes tenet. Huc pertinet alia uariatio per caſuum mutationem, cum ſcilicet agens ſit patiens. Nec tamen omnia quæ per actiuum dicuntur, in paſſiuum transferre licet: quoniam multa perperam uerterentur. Quo loco illud etiam admonuerim, actiuam phraſim eſſe magis uſitatam, quam paſſiuam; quæ plerunque durior eſt, & aſperius ſonat. Quartus, cum una orationis pars alia commutatur parte, quæ commutatio ſpeciatim Antimeria dicitur: Verbum nomine; ut, non dubito, non eſt mihi dubiū: faſtidit literas, literę ſunt ei faſtidio: iudicent alij, aliorum eſto iudicium: non ſpero, non eſt mihi ſpes: quid huc ueniſti? quid huc reditio eſt? Nomen verbo; ut, mea quidem ſententia ut ego ſentio: adoleſcens literarum ſtudioſſimus ſtudioſe literis dat operam.

Laur. Val. lib. 6. c. 3.

Ouid. lib. 1. Met.

Signa dedi ueniſſe Deum:

pro, ſignificaui: effectum dabo, efficiam. Infinitum nominis loco; ut, velle ſuum cuique eſt. Idem velle, & idem nolle, ea demum eſt amicitia: nec contentus viciſſe, pro victoria: noſtrum viuere triſte, uita noſtra triſtis:

Scire tuum nihil eſt: niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Hoc

Hoc eſt ſcientia. Infinitum pro gerundio, qui loquendi modus eſt magis familiaris Græcis, quam Latinis; ut, pollicitus eſt ſe uenire, pro uenturum: venit eripere, pro ad eripiendum. Qua loquendi forma liberius utuntur poetæ, & præſertim Horatius.

Et cantare pares, & reſpondere parati. Vir. Ecl. 7

Item,

Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros.

Paratus ſcribere, da bibere. Parcius has loquendi formulas uſurpant Oratores. Verbũ & infinitum ſupino, bis fere modis. Venit, ut accipiat, uenit acceptum: dicere oportuit, dictũ oportuit: recte curari uelim, recte curatum velim. Gerundium ſupino, gerundiuo, & participio: ut, venit amandi cauſſa, uenit amatum, ad amandum, amaturus; uenit ad repetendum pecuniam, repetitum pecuniam, & ad repetendam pecuniam: cauſſa gerendi bella, genen docum bellorum. Verbum participio; ut, oro vos, oratos vos uelim: qui te diligit dilige, diligentem dilige: faue ei qui te laudat, laudanti faue. Interdum uſurpatur nomen pro gerundio, ſciens pugnæ, pro pugnandi: peritus belli pro bellandi: ludi auidus, pro ludendi. Sunt quædam uerba, quæ duplex habent præteritũ, quorum fieri poteſt commutatio: ut libuit, libitum

bitum eſt; licet, licitum eſt: puduit, placuit, piguit, pigitum eſt. Aduerbium nomine. ut, viuit feliciter, viuit felix: raro eſt conuiua, rarus eſt conuiua: multus eſt apud principem, multum apud principem verſatur: perpetuo ſtudet, perpetuus eſt in ſtudijs. Fit etiam elegans conuerſio per appoſitionem uerbi, Fio, & particulam, vt. Si te præclare geſſeris, carus eris omnibus; fiet ut ſis carus omnibus: utinam me diligeres, utinam fieret ut me diligeres: pœnitebit te, futurum eſt ut te pœniteat. Et cum infinito, fore: ſpero quod amabis ſpero te amaturum, & multo elegantius, fore vt ames. Denique in eodem verbo finito aliqua eſt commutatio: ut, dic, dicas, dicito, dixeris, poſſes dicere, diceres, fac dicere, dicat. Sed de primo enallages modo hactenus: ſequitur ſecundus.

Tertia poſitio, permutatio, quæ dictionis qualitate, ſeu accidentium partium orationis variatione fit, his fere modis contingere ſolet: Genere, numero, caſu, nominis ſpecie, figura, declinatione, uerbique modo, tempore, & perſona. Genere nominis, talpæ oculis capti, pro captæ:

Aeriæ quo congeſſere palumbes.

Virg. Ecl. *Pro aerij palumbi; quo modo bonus locutus eſt poeta, ut modulationi conſuleret. Punctus, punctum; baptiſmus & baptiſma: pi-*

leus

leus & pileum. Verbi genere; reuerto, & reuertor: lacrymat, lacrymatur: aſſentio, aßentior: Numero nominis; ut Romanus prelio uictor, pro Romani victores: hoſtis habet muros, pro hoſtes:

Vterumque armato milite complent. Aen.2.

Verbi numero, populo impoſuimus, & oratores viſi ſumus, pro impoſui, & orator uiſus ſum. Hæc numeri heteroſis ſpeciatim permittitur in nominibus collectiuis, in communibus & uniuerſis: ut homo, homines: hoſtis, hoſtes, & frequentius in numero primę perſonæ, quam in alijs.

O Melibęe, Deus nobis hæc otia fecit
Nanq; erit ille mihi sēper Deus: illius arā Vir. Ecl. 1.
Sępe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.

Hæc loquendi ratio modeſtiæ cauſſa interdū adhiberi ſolet; & maxime a Principibus, ut tyrannidis ſpeciem uitent. Numerus ſecundæ perſonæ aliquando adhibetur ad ſignificandum genus ipſum: ut ſi quis cum meretrice loquens, diceret, Vos eſtis mundi peſtis. Tertiæ uero perſonæ numero emphaſis cauſſa utimur; ut ecce, vbi nunc ſunt Platones? ubi Ariſtoteles? ubi Catones? ubi Cicerones? Caſu, urbem Romæ, pro Roma: præſtans ingenij, & ingenio.

Occur-

Hor.1.ſer. Sat.5. Occurrũt animæ, quales nec cãdidiores
Terra tulit.

pro, qualibus. Similis illius, et illi: nec cernitur ulli, pro ab ullo. Huc pertinent omnia adiectiua, & omnia uerba, quę uariam conſtructionem admittunt. Specie nominis, cum nominibus deductis utimur pro primogenijs; idque uarijs modis. Subſtantiuum commutatur adiectiuo: ut magnitudo tuorum meritorum, magna merita: negotiorum magnitudine, magnis negocijs. Diminutiuum ſimplici; ut meliuſcule, pro melius: paucula, pro paucis: epiſtolium, pro epiſtola, &c. Comparatiuum & ſuperlatiuum poſitiuo: candidior, pro candidus: ſenior, pro ſenex: ſapientiſſimus, pro ualde ſapiens. Poſſeſſiuum primitiuo; ut, aula regia, pro Regis: in Miloniana, Cluentiana oratione, pro Milonis, & Cluentij: & per auxeſin uerbi, ſcelus pro ſcelerato: peſtis pro peſtilenti: Et deniq; apud poetas patronymicum pro primogenio ſępe uſurpatur; ut Scipiadæ, pro Scipiones. Verbi ſpecie, frequentatiuum, pro primitiuo; ut lego, pro lectito: Inchoatiuum pro primitiuo, concupiſco, pro cupio. Figura nominis uel uerbi, ut cum ſimplex ponitur pro compoſito, uel contra: mittere pro emittere: comedere, pro edere: temnere, pro contemnere: percupidus, pro cupido: quandoquidem, pro quando.

Sed

Sed hic cauẽdum eſt, ne compoſitum vocabulũ habeat omnino diuerſam ſignificationem a ſimplici: quia tunc nõ fieret iſodynamia, ſed mutaretur ſentẽtia: ut ecce, Aliud eſt, cõmodo, aliud accõmodo: amare, eſt honeſte diligere, adamare uero perdite: ſimiliter pugnare, & expugnare nõ ſunt idẽ. Poſſumus etiã uariãdi cauſſa, ſimplicibus uocibus compoſitam uocem exponere: vt magnanimus, vir magni animi: tota reſp. res omnis publica: nequeo, non queo: animaduertit, animum aduertit: mallem, magis uellẽ: Mediusfidius, me Iouis filius. Declinatione nominis; quercus, querci, & quercus: paſcha paſchæ, & paſchatis: ſenectus ſenecta: imbecillus, imbecillis: elephas, elephantus: & cũ caſus grçco more pronontiãtur. Declinatione ſeu coniugatione verbi; ut, oritur, quartæ coniugationis, & tertie: acerſere, & accerſire: libẽs fecero, pro faciam: ne nega, ne neges: ſaluta, ſalutabis: ſi uoles, ſi uolueris. Infinitum pro præteritis imperfectis, quo loquendi genere ſæpe utuntur hiſtorici, ut oratio ſit concitatior: ut, milites arma capere, pars perterritos confirmare, &c. Salluſt. *Tempore, ut imus, uenimus, videmus, pro iuimus, uenimus, uidimus: ſi feceris, uicimus, pro vicerimus. Perſona, interdũ ſecunda perſona pro quauis alia ponitur: ut,* Val. lib. 5. *prius quam incipias conſulito: quid agas cum*

Lll eo,

eo, qui nihil intelligit: qui ſcire poſſes, pro quiſpiam poſſet.

Aeneid. 1. Deuenere locos, ubi nũc ingentia cernes
Moenia.

Item prima perſona pro quauis alia: ſtultũ eſt inſudare literis, dum nihil proficimus, pro, ſtultum eſt homines, &c. Item tertia pro prima & ſecunda: id negat Ludouicus, id eſt ego: id affirmat Antonius, id eſt, tu. Et apud Virgilium,

Lib. 4. Aen. Infelix Dido, nunc te fata impia tangũt.
Ac ſi dixiſſet,
Infelix ego me me nunc fata impia tangunt.

Ad heteroſin perſonę pertinet Apoſtrophe, qua abſentem perſonam præſentem facimus: quando vero fit conuerſio ad prę ſentem, non intercedit heteroſis, ut hoc in loco, Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? Hic vero eſt heteroſis,

Vir. Ecl. 8 Mopſo Niſa datur, quid non ſperemus
amantes?

Vbi ſecunda perſona pro tertia ponitur: quo loco varie perſonam mutatam obſeruares: qua arte mirifice orationem bonus pinxit Poeta. Ad perſonę uarietatem referre licet eos dicendi modos, qui ſine ullius certæ perſonę notatione efferuntur: ut, aiunt, dicunt, ferunt. Denique

que ad heteroſin aliqui referunt omnes Metaplaſmi ſpecies; cum ſcilicet dictio, quod attinet ad orthographiam & proſodiam, aliquo pacto transformatur: ut noram, pro noueram: audacter, pro audaciter: fabrum, pro fabrorum:
Nauita de uentis, de tauris narrat arator.
pro, nauta dixit Propertius, Sed hic animaduertendum erit, quid poetam, quid Oratorem deceat. Atque de ſecunda uariandi ratione hactenus, nunc de tertia.

Quarta poſitio, tertia variandi ratio ſit per Metaphoram, qua uox a propria ad impropriã ſignificationem ob ſimilitudinem transfertur: de qua late primo libro diſſeruimus, & omnes metaphoricæ locutionis modos uniuerſe expoſuimus, quos nihil eſt neceſſe nunc repetere: ſatis igitur erit, ſi vnum vel alterum ſubijciemus exemplum. Vorax eſt, lupus eſt: conuiciatur, allatrat: ſuauiter canit, eſt canorus cygnus: induſtrius homo, apes induſtria: adulatores fuge, coruos caue: indaga, odora.

Quincta poſitio, quarta variandi ratio ſit per Metonymiam, ſeu de denominationem, cũ res vna per aliam vicinam deſignatur: ut, ſtudet, eſt cum Muſis: cedat ars bellica literis, cedant arma togæ: bellum excitauit, Martem commouit: pudorem amiſit, frontem perfricuit: literæ cum armis minime conueniunt, Nihil

conuenit Muſis cum Marte: honores ſunt onera, faſces, faſces.

Sexta poſitio, Quincta uariandi ratio fit per ſynecdochen, ſiue Intellectionem, cum ex parte deſignatur totum, uel contra, eamus domum, tecta repetamus: aquam bibit, fontem guſtauit: auarus pecunia omnia metitur, argento omnia pendit: populo impoſui, populo impoſuimus: uentus perflat, Notus ſpirat: armatis militibus, armato milite.

Septima poſitio, ſexta variandi ratio fit per Antonomaſiam, ſeu pronominationem, hoc eſt per nominis mutationem: quæ varijs modis fit, quos libro primo numerauimus; ut, Virgilius, Mantuanus poeta: crudelis, alter eſt Nero: ditiſſimus, alter eſt Creſus: Cicero hoc dixit, eloquentiæ Romanæ pater hoc affirmauit: Chriſtus, humanæ ſalutis recuperator.

Octaua poſitio, ſeptima uariãdi ratio fit per Catachreſin, hoc eſt per verbi abuſionem; cum ſcilicet pro uocabulo proprio aliquo propinquo aut ſimili utimur: ut cum dicimus, uir magnus, pro eo, qui uirtute præſtat: folia librorum, cum ſint arborum propria: prudens eſt, calliditate eſt præditus: fortis eſt, præceps & temerarius: perſiſtit in ſententia, eſt duro & infracto animo.

Nona poſitio, octaua uariandi ratio fit per

Alle-

Allegoriam, quæ eſt continuata metaphora, & aliud verbis, aliud ſenſu ſignificat: ut, ſibi & alijs nocet; nauem perforat, qua ipſe nauigat: in rebus ſecundis ne te efferas; uento nimium ſpirante, uela contrahe: qui in aliquo dignitatis gradu ſunt collocati, magis ſunt infortunijs expoſiti,

Sæpius uentis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes. Horat.

Decima poſitio, nona uariandi ratio fit per Periphraſin, ſiue per uerborum circuitionem; vt, natale ſolum, pro patria: uicarius, qui Præſidis vicem gerit: ignarus homo, ignorantiæ tenebris obcæcatus: Philoſophia, bene factorum, beneque dictorum mater: Theologus, diuinæ doctrinæ Magiſter: eloquentia, copioſe & ornate dicendi facultas. Sunt itaque huiuſmodi figuræ, tanquam uberrimi fontes, ex quibus ampliſſimi verborum dimanant riuuli; & penuariæ cellæ, in quibus copioſiſſima latet verborum ſupellex: agri denique fecundiſſimi, qui ingentem verborum copiam efferunt; modo quis earum uim, uſumque teneat.

De uerborum copia per ſynonymiam conſtructionis. Diſp. III.

EST & alia uariandæ orationis ratio per ſynonymiam conſtructionis, cum aliqua facta orationis in conſtruendo mutatione, eadem exprimitur ſententia: quam rationem, modumve his poſitionibus breuiter dilucideque explanabo.

Prima poſitio, tres ſunt huius ſynonymiæ partes, iſodynamia, commutatio ſyntaxis, & compoſitio: quarum ſingulas ſtatim explanabo, ſi quę ad eas intelligendas ſunt neceſſaria, prius adnotauero. Primum notandum eſt, quattuor eſſe oppoſitorum genera, contraria, ſeu aduerſa, ut amare & odiße: accipere repudiare, intendere remittere, crudelitas clementia, publice priuate: priuantia, ut ſunt habitus et eius receſſus, lux tenebræ, videre coecum eße, uiuere mori, diteſcere pauperem fieri: relata ſeu affecta, cuiuſmodi ſunt ea, quorum unum non eſt ſine altero, vt dare accipere, uxor maritus, pater filius: & denique ea quorũ unũ negat alterum, quę contradicentia appellãtur, in quibus fieri poteſt Iſodynamia per appoſitio-

nem

nem negationis, aut ſignorum. Deinde, per negationem hoc loco intelligo particulas quæ uim negandi habent; ut ſunt, Non, haud, nec, neque, nequaquam, haudquaquam, neutiquam, minime, & apud Oratores etiam uoces, quæ animum alienum & quaſi negantem oſtendũt; ut, Abſit, Deus auertat, Dij meliora, Quiduis potius, bona uerba, diſperеam, ſi id noui: parũ quoque & minus ad negationis naturam accedunt; ut ſi dicas, literis & religioni incumbit, ſed illis minus. Præterea notandum eſt, unam negationem interdum duarum loco vſurpari; ut ſi diceres, Ne diem quidem unum, aut horã prætermittit: contra uero, plures negationes aliquando non plus efficiunt, quam una; ut, non reueretur homines, neque Deum. Vbi illud etiã admonuerim negationem eleganter iterari cum uerbo poſſum, ad neceſſitatem deſignandam: Vt non poſſum non admirari: ſępe etiam numero conduplicatur ad maiorem uim exprimendam; ut, non permouetur lacrymis, non permouetur inquam. Poſtremo notandum eſt, ad percipiendam, cognoſcendamque iſodynamiam neceſſarium eſſe optime tenere vim earum dictionum, ſiue terminorum, quos Dialectici Signa uocãt, quę propoſitionum, ſententiarumue ſenſum uarie commutant. Nomine ſigni intelligunt illi uocem, quæ ſolitarie poſita nihil ſignificat, ſed

alteri adiuncta dictioni, eius ſignificationem mutat: ut ſunt, omnis, cunctus, uniuerſus, quiſque, aliquis, nullus, nemo, neuter, ſemper, nunquam, aliquando, vbique nuſquam, alicubi; quæ ſigna negatione præpoſita, aut poſtpoſita ſenſum efficiunt diuerſum, ut Dialectici tradunt, a quibus contradicentium propoſitionum iſodynamia repetenda erit. His hunc in modum adnotatis, quos poſui uariandi modos, deinceps exponam.

Toled. Inter. lib. 2.

Secunda poſitio Iſodynamia per negationẽ fit inter oppoſita contraria, priuantia, & contradicentia. In contrarijs hoc modo, Eſt uir doctus eſt uir non indoctus: hunc amat, hunc nõ odit, accipio conditionem, non recuſo conditionem: legit priuate, non legit publice: & hoc pacto, Homo eſt minime malus, vir bonus eſt: non uulgari eruditione præditus, ſingulari eruditione ornatus. In priuantibus hac ratione, Hic uidet hic non eſt coecus: eſt eloquens, non eſt infans: diluxit, non ſunt tenebræ, & contra, non eſt coecus, uidet, non eſt pauper, diues eſt. In contradicentibus hoc pacto, Bonus eſt, non eſt non bonus: Cicero ſedet, non eſt non ſedens, alicubi eſt, non eſt nullibi: legit, eſt non legens.

Tertia poſitio, in oppoſitis per relationem, & in comparatis, atque in quibuſdam verbis contrarijs fit iſodynamia ſine negatione. In

rela-

relatis hoc modo: uellem beatam Virginem meã eſſe dominam, uellem me beatæ Virginis eſſe deuotum: Deus eſt pater noſter, nos ſumus Deij filij, Romana Eccleſia me ueram ſanamque doctrinam docuit, ego ab Romana Eccleſia ſanam doctrinam didici: ille multis imperat, illi multi parent: uillam a me conduxiſti, villã tibi locaui. Huc referres commutationem uerbi actiui in paſſiuum, & contra. In comparatis, ut ſunt, plus & minus, prius & poſterius, pluris & minoris, & id genus alia, hoc pacto: Diuinis literis magis danda opera eſt, humanis minus dãda opera eſt: auarus pluris facit pecuniam, quam uirtutem: auarus minus facit uirtutem, quam pecuniam: prius habet religionem, quam honores, poſterius honores habet, quam religionem. Commutatione contrariorium, hoc eſt, cum poſt uerbum contrarium partes recte tranſponuntur, hac ratione, Præfert uirtutem uoluptatibus, poſtponit uoluptates uirtuti: ſalus animæ ſaluti corporis præferenda, hæc illi poſthabenda: amat diuina, odit humana: curat honeſtum, negligit turpe.

Quarta poſitio, Iſodynamia commutatione ſyntaxis fit cum eadem ſententia alijs, atq; alijs conſtructionis ſine ſimplicis, ſiue figuratæ regulis effertur. Per uariationem ſimplicis

con-

conſtructionis duobus fit modis: primo cum aliqua dictio uarios admittit caſus: ut, ſapientiſſimus omnium, ex omnibus, inter omnes: aptus ſtudijs, & ad ſtudia: ſimilis illi, & illius, integer animi & animo: altero, cum mutato uel addito uerbo, ſubiecta ſententia per uarios caſus ueluti per nominatiuum, genitiuum, & alios exprimitur: ut literę ſunt colendæ literarum ſtudia ſunt colendæ, literis opera danda eſt, literas colere par eſt, literę, quam dignæ cultu eſtis, a literis non eſt recedendum. Verum hic cauendum erit, ne dum phraſim uariare contendimus, aliquid improprie, uel contra orationem loquendi probatorum ſcriptorum dicamus.

Per figuratam ſyntaxin hoc pacto: ſi per Appoſitionem diceres, Virgilius poeta legendus, & per Euocationem, Ego Virgilius legendus: Frãciſcus & Paulus legunt, Franciſcus cum Paulo legit: & pari ratione per alias grammaticas figuras, de quibus libro primo diſſeruimus: ac etiam per metaplaſmos, qui potiſſimum Poetis permittuntur.

Quincta poſitio, Oratio per compoſitionem his modis uariatur. Primo per polyſyndeton, cum coniunctiones adijciuntur: ut, uelis remis, ueliſque remiſque ſecundo per aſyndeton, cum remouentur coniunctiones: ut exceſſit, erupit, euaſit:

euaſit: poſtremo per ſynzeugmenon, cum uerbum ponitur in principio, uel in medio, uel in fine. Huc referri poßunt nonnullæ aliæ figuræ, uerborum, vt ſunt Repetitio, Paranomaſia, Reticentia, & ſi quæ ſunt huius generis aliæ. Sed de hac ſynonymiæ forma hactenus: nunc ad aliam explicandam ſtylum conuertamus.

De ſynonymia quæ fit per ſchemata orationis. Diſp. IIII.

FIGVRARVM ſynonymia ijs potiſſimum rhetoricis figuris fit, quę ſententiarum uocantur: ex quibus duodecim ad orationē uariandam maxime conferunt; quas hac diſputatione numerabimus, atque ex eis ſumptos uariandæ orationis modos quibuſdam exemplis illuſtrabimus.

Primus per Ironiam, qua contrarium ei quod dicitur ſignificatur; cum ſcilicet, quod ſine ironia pronuntiatur, poſtea per ironiam effertur: ut, Improbus uir, per ironiam, bonus ille uir: ſuperi non hoc curant, ironice, Prut. lib. 4. c. 10.

Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos Aen. 4.
Solicitat.

Secundus per Auxeſin uerbi, cum augendi cauſa

cauſa ſublimiore utimur, uerbo quam res ſignificata requirit: ut cum mutum appellamus eum, qui nihil reſpondet; & hominem iracundum, leonem, & eum qui eſt dolore affectus, exanimatum. Et in uerbis, pro dehortari inflammare, pro conuitiari, debacchari, pro ſpem recepiſſe, reuixiſſe.

Tertius per Tapinoſin, ſiue Meioſin, id eſt per demiſſionem & extenuationem: ut ſi hominem prodigum liberalem uocares, & crudelem ſeuerum: ſi quæ ſapienter dicta ſunt, nugæ appellentur: ſi magnum ſcelus erratum uoces.

Quartus per Hyperbolen, id eſt per ſuperlationem, cum dictio uel oratio augendo uel minuendo id ſignificat, quod fidem ſuperat; ut manus candidiſſima, niue candidior: uir multum eloquens, uir Cicerone facundior: clamor maximus, it clamor coelo: uir eſt ſapientiſſimus, eſt ipſa ſapientia.

Quinctus per Interrogationem, cum id quod ſimpliciter dici poterat, interrogando effertur; ut, nemo Cicerone eloquentior, Quis Cicerone eloquentior? Quid virtute pręſtantius? pro nihil uirtute præſtantius: Non ne ſubiecta erit Deo anima mea? pro certiſſime anima mea Deo ſubiecta erit.

Pſal.

Sextus per Admirationem: ut multum uir-

tutes

tutes literis, prẹſtant, bone Deus, quantum uirtutes literis præſtant. Dij boni, quid boni porto? pro multum apporto boni: quam dilectạ tabernacula tua Domine? pro ualde dilecta tabernacula tua Domine: multum admirabilẹ eſt nomen tuum Deus, quam admirabile eſt nomen tuum Deus. Pſal.

Septimus per dubitationem: ut, utrunque diligit, haud certo ſcio quem magis ex duobus diligat: eſt homo omni uirtutum genere excultus; ita eſt omni uirtute ornatus, ut quæ in eo excellat non ſit iudicatu facile.

Octauus per Adiurationem, ſeu deuotionem: ut, nihil mihi tua amicitia dulcius, diſpeream ſi quid eſt mihi tua amicitia dulcius, non aliter loquor, quam ſentio; moriar, ni ut ſentio loquor.

Nonus, per Abominationem; ut, id nunquam efficiam, Dij meliora, quam ut id unquam faciam: nunquam tui laudandi finem faciam; abſit, ut tui laudandi finem faciam.

Decimus, per exclamationem; ut, homo improbus, o hominem improbum: eſt uir inſigni pietate ornatus, o inſignem hominis pietatem? cẹcæ hominum mentes, o hominum cæcas mentes.

Vndecimus per Præteritionem, ſeu occupationem; ut, me ſæpe uerbis laceſſiſti, ne dicam

quod

quod me ſæpe uerbis laceſſiueris : omni officio eum ſum proſecutus; omni officio, ne dicam pietate, eum proſecutus ſum: multa in eum contuli officia; omitto quod in eum officia multa contuli.

Duodecimus, per ſubiectionem, cum ipſi noſtræ interrogationi reſpondemus; ut, nihil eſt quod de morte parẽtis doleas, cum omnes mortales ſimus. Quid eſt cur tantum dolorem capis? pater mortuus eſt? at mortalis erat: Non deberes dignitatis gradus appetere, quod ſuaues uideantur, cum ſecum multum ſolicitudinis afferant, Quid eſt quamobrem dignitatis gradus appetis? an quia ſuaues ſunt? at ſunt ſolicitudinis pleni. Poſſes etiam addere alium modum per Apoſiopeſin, uel Ecclipſin; ut hac mea manu ſcripſi; hæc mea manu. Et hæ ſunt ſententiarum figuræ, per quas aliquo pacto orationem uariare licet. Atque hactenus de triplici uariandi forma per ſynonymiam: de cuius vſu & vtilitatibus quidam auctor hæc ſcripta nobis reliquit. Valet itaque ſynonymia ad uitandam tautologiam, ad orationem uarietate diſtinguendam, ad dicendum ex tempore, ad enarrandos auctores, ad eoſdem ex una lingua in aliam uertendos, ad carmina componenda, in quibus ſane conficiendis multum laborabit qui non eſt uerborum copia inſtructus. Et quo

Prut. lib. 4.c.10.

de

de ſynonymia ſpeciatim diximus, uniuerſe de verborum copia diceres, quorum ſupellectilem qui ſibi cõparauit, animi ſui ſenſus pleniſſime & ſignificantiſſime, quod eloquentiæ eſt maxime proprium, explanabit, minori ſtudio atque labore ſuam orationem adornabit, & ſi quid ex tẽpore et memoriter dicendum erit, hac vbertate nixus, nihil timebit. Quantum autem hic metus dicturo obeſſe ſoleat, nemo eſt qui ne ſciat: eripit enim mentem ne quid dicere, & quomodo dicere debeat, prouideat. Ex quibus facile intelligeres, quanta ſtudio hę primæ copię eloquentiæ diuitiæ comparandæ ſint, Ad quod faciendum, vt adhuc faciliorem uiam oſtẽdamus, quoſdam priuatos modos præter iam dictos afferemus, ac etiam regulas uniuerſe traditas, quibuſdam propoſitis exemplis, ad uſum traducemus; ut nouus hac in re Lector, multo facilius verborum locuples fieri poſſit.

Explicantur

Explicantur aliqui priuati modi, quibus variatur oratio, & regulæ quædam ad verborum copiam comparandam traduntur. Diſput. V.

PRAETER vniuerſas præceptiones, quas ſuperioribus diſputationibus ad orationem verborũ copia uariandam tradidimus, quidam priuati loquẽdi modi ſuperſunt, quibus eadem ſententia commutari poteſt; quos hac diſputatione breuiter exponemus.

Primus modus, quo uarie effertur id, quod imperamus; ut lege, legito, leges, fac legas, cura ut legas: dic, dicito, dices, dicas, faç, cura ut dicas. Secundus, quo uarie enunciatur, ſententia, quam per ſupinum in, Vm efferimns: ut, eo auditum lectionem, eo ad audiendum lectionem, ad audiendam lectionem, cauſſa audiendi lectionem, audiendæ lectionis, ut audiam lectionem, auditurus lectionem, & per infinitum, more græco, eo audire lectionem. Tertius, quo explicatur hæc ſententia, uel alia ſimilis, Mentre io leggeua, Dum legebam, inter legendum, me legente. Quartus, quo explicatur generalis, ſeu

ſeu vniuerſalis propoſitio. Primum proprijs ſignis; ut omnibus iuuenibus eſt ſtudendum: deinde, per iſodynamiam, ut cuncti, omnes, ſinguli, quiſque, quiuis, uniuerſi, vnuſquiſq;, ne vnus quidem: & per diuiſionem, ſacri & prophani, nobiles & ignobiles, mares & fœminæ: cęterum non omnes allatæ dictiones eandem prorſus uim habent. Nam cuncti & uniuerſi, omnes collectim, quiſque, omnes ſeorſim ſignificat. Quartus, per verbum Fio, ut etiã ſupra adnotauimus, uariantur omnes uerborum modi; ut, omnes amabis, fiet ut omnes ames: vtinam me amares, utinam fieret ut me amares: ſi me amaueris, ſi fiet ut me ames: te me amaturum ſpero, fore ut me ames, ſpem habeo. Sextus, per has dictiones, dignus, & indignus, his modis: Primo cum particula, qui, vel, vt Petrus eſt dignus qui laudetur, ut laudetur: Deinde per infinitum poetice, amari dignus. Poſtremo per commutationem verbi in nomen; amore dignus, dignus quem ames, qui abſte ametur, abs te amari, tuo amore. Septimus modus per quaſdam particulas, quæ uim variandæ orationis habent; ut ſunt, tam & quam, perinde atque, adeo ut, ita ut, exempli gratia, ita doctus; quam quiuis alius, pro doctiſſimus: adeo doctus, ut neminem parem habeat. Car. Adr.

Atque hi ſunt modi qui priuatim adnotãdi erãt: nunc quo pacto poſſeſſiua, comparatiua, & ſuperlatiua augeantur, & minuantur, paucis docebo. Poſitiua augentur his adiectis particulis, per, quam, perquam, & prę: ut perelegans, quam audax, quam miſere, perquam arduum, præpotens, prædiues. Eandem uim habent, ad, ut, affabre, adprobe, adamo. Particulam, quam, pręcedunt eleganter hæ alię particulæ, longe, ualde, ſane, oppido, nimis; ut ſane quam moleſtus, & cęt. aliquę eandem ſubſequuntur: quam nimis, quam ſane. Augetur pręterea emphatice, per hæc aduerbia, admodum, inſigniter, egregie, magnopere, ſummopere, ualde, mirifice, in primis, in paucis, non vulgariter, & ſimilibus. Et hyperbolice; ut pluſquam doctus: dici non poteſt, quam ſit doctus: conſequi ſermone non queo, quam ſit doctus: plus quam par eſt audax, &c. Minuuntur autem hoc modo: Per adiectionem præpoſitionis, ſub, ut, ſubtriſtis, ſubobſcurus, ſubruſticus, ſubolet, ſubridet; ſimiliter adiectis, per, & perquam; ut pertenuis, perexiguus, perquam exilis. Aduerbiorum appoſitione; vt ſunt, aliquantulum, aliquatenus, minus, parum, non admodum, uix, ſemi, qualecunque, qualiſqualis: ut, ſemiuiuus, uix Grammaticus, parum honeſtus, non admodum utilis, minus

nus

nus graue. Minuunt etiam hæ particulæ, perquam, ſanequam, & valde quam. Præterea diminutione vocis; ut ſciolus, ætatula, homuncio, miſellus, vulpecula, paruula, poetaſter; &c. Eandem diminutionem patiuntur uerba; vt cantillo, ſorbillo, pitiſſo, conſcribillo: ſed rarioris ſunt uſus. Verba etiam quæ frequentatiua dicuntur eandem uim habent, cum id quod non ſemel fit, imperfecte fieri uideatur; ut dictito, factito, curſito, uentito: ſimiliter locutio per præteritum imperfectum; ut faciebat, pingebat, ſcribebat. Item comparatiua loco poſitiuorum uſurpata vim minuendi habent: ut, triſtior, hoc eſt, ſubtriſtis, ſordidior, candidior, id eſt, aliquantulum candidus. Item imminuimus, cum aliquid poſitiuo adijcitur, quod ei aliqua parte detrahit: ut ornata quidẽ oratio, ſed parum honeſta: & cum rem expoſitam aliquo pacto corrigimus: doctus, ut aiũt, ſi vera eſt fama, meo iudicio, ni fallor, alijſque modis, quibus integram orationem comprimimus, & reſtringimus; vt diligenter agam, quantum in me erit: efficiam, fauente Deo. Variantur poſitiua, ſi particularum adiectione fiant comparata, & ſuperlata: ut doctus, perquam doctus, multo doctior, doctiſſimus.

Comparata vero, ſeu comparatiua, primum augentur aduerbijs, nimio, multo, tanto, quan-

to, magis, longe, eo magis, quo & ſimilibus; ut quanto melior eſt integra uita, quam doctrina, longe doctior, &c. Deinde augentur, ſi poſitiuo adijciantur, inæquali partium collatione facta; ut, cum impurus ſermo ſit in homine vulgari deformis, in homine pręſtanti erit longe deformior. Poſtremo per hyperbolen, domus, ipſa vetuſtate vetuſtior, homo ipſa uanitate vanior, & ipſa gloria gloſiorior. Minuuntur autem hoc pacto: primum, per aduerbia, aliquanto, paullo, nihilo, minimo, quantulo, quanto, ſi figurate pronuncientur: ut, aliquanto copioſior, nihilo doctior. Deinde, ſi qua fiat exceptio: ut eſt apud Virgilium, Quo pulchrior alter non fuit, excepto Laurentis corpore Turni. Pręterea, terminatione diminutiua; ut altiuſcule, longiuſcule, grandiuſcule, meliuſcule. Poſtremo, cum adijcitur certus quidam modus; ut, hac in re, hoc pacto, hoc in genere, vel aliquid ſimile: ut, nemo te doctior in grammaticis, nemo hoc quidem pacto prudentior. Quod autem attinet ad uariationem, uariantur per circumlocutionem, his aduerbijs, magis, minus, potius, non perinde, æque; ut literas potius opto, quam pecunias, non perinde literas diligo, quam vitam: & per quędam verba, quæ vim habent comparandi, cuiuſmodi ſunt iſta, Vincit, antecellit, ſuperat, anteit,

anteuertit, & ſimilia; ut te rerum humanarum cognitione antecellit, præcurrit, &c.

Superlatiua ſic augentur: primo aduerbijs, longe, multo, tanto, quanto, quam, perquam, imprimis, facile, eximie, egregie; ut, iuuenis eſt inter alios ingenioſiſſimus, ante alios honeſtiſſimus, longe, ualde, facile omnium mitiſſimus: tanto omnium doctiſſimus, quanto religioſiſſimus: ſtudet quam diligentiſſime. Deinde cum de ſpecie loquentes, eí prεponimus genus, hoc pacto: omnes uirtutes diuinitus datę ſunt bonæ, ſed omniũ optima caritas: laudabile eſt obedire maioribus, at multo laudabiliſsimũ obedire parentibus. Præterea, cum ſuperlatiuo additur comparatiuum; vt feliciſſimo felicior, ſtultior ſtultiſſimo: antiquiſſimi viri, & his antiquiores: gratiſſimus mihi es, ſed gratior eſſes, &c. D. Ioan. Baptiſta Scaglia mihi gratiſſimus ob eius doctrinam, ſed multo gratior ob ſingulares mores. Poſtremo per hyperbolen; ut, non modo clementiſſimus, ſed etiam ipſa clementia. Quod ad diminutionem attinet, minuuntur, ſiqua fiat additio: ut doctiſſimus quidem, ſed in græcis literis: eloquentiſſimus pro illis temporibus: facetiſſime dixit, ſed non ſuo loco. Variantur his modis. Primo, per aduerbia; ut, Marcus Antonius Bragadinus, meus diſcipulus in ſtudijs uigilan-

tiſſimus, vigilantiſſime ſtudet: mei amantiſſimus, magnopere me amat: uitam uiuit pudiciſſimam, pudiciſſime uiuit. Deinde, per comparata, ſi per negationem efferantur; ut eo doctior non fuit alter, id eſt doctiſſimus: nemine non indoctior, id eſt indoctiſſimus: nihil indoctius, hoc eſt, indoctiſſimus. Præterea, quædam voces poſitiuis adiectæ, vim ſuperlatiui exprimunt: ut unice te amo, ſingulari ſtudio philoſophiæ incumbit, mirifice te colit, nulli ſecundus, nulli par, nulli æqualis, &c. Poſtremo idem efficiũt uerba nonnulla, modo aliquid addatur, quo vis ſuperlati deſignetur: ut ecce, D. Panuccius in diligendis amicis, quod ego ueriſſime affirmare poſſum, uniuerſos uincit, neminem non uincit, quem non præcellit? arcem tenet, primas occupat, principem locum eſt adeptus, ſecundas ſpernit, nemini cedit, omnibus palmam præripit, nemini inferior, omnium princeps, longo interuallo præcurrit, principatum obtinet, parem non habet, ſolus in hac re dominatur, regnat, excellit, &c.

Vt autem adhuc melius modum uariandi ſuperlati exponamus, ac etiam uſum præceptionum, quę de copia uerborum comparanda tradidimus, priuatim demonſtremus, uarios nunc ſubijciam modos, ex ſuperioribus regulis collectos, quibus ſententia, quæ ſuperlationem continet

tinet

tinet, uariare licet. Hanc itaque propono ſententiam, Vir omnium ſapientiſſimus, quam his modis uarie poſſes efferre. 1. Per comparationem his modis: affirmatiue, Vir cæteris omnibus ſapientior; uerum hic modus non eſt in uſu poſitus: negatiue, nemo hoc viro ſapientior; uel per genus neutrum, nihil hoc uiro ſapientius. 2. Per ſyntaxin comparatiui, nemo quam hic uir ſapientior. 3. Per periphraſin cõparatiui, uir quo non ſapientior alter. 4. Per interrogationem, quis hoc uiro ſapientior? uel per genus neutrum, quid hoc uiro ſapientius? 5. Per ſignum infinitum; non eſt ullus hoc uiro ſapientior: uel per genus neutrum, non eſt hoc uiro quicquam ſapientius. 6. Per ſyntaxin caſus ſuperlatiui; uir inter omnes, ex omnibus ſapientiſſimus. 7. Per periphraſin ſuperlatiui, uir maxime omnium ſapiens. 8. Per heteroſin ſpeciei, ſumma eſt huius uiri ſapientia. 9. Per uerba ſynonyma paullo ante numerata; uincit, ſuperat, antecellit, anteit omnes ſapientia. 10. Per uerbum paſſiuum; Sapientia non facile a quoquam ſuperatur. 11. Per interrogationem; quẽ nõ hic uir ſapientia uincit? 12. Per contrariũ; hic uir nulli ſapiẽtia cedit. 13. Per hæteroſin figuræ: de ſapientia, quis huic uiro non concedat? 14. Per comparatum, hic uir omnibus ſapientia ſuperior eſt. 15. Per contrarium, hoc

uiro nemo non ſapientia inferior eſt hic uir nulli ſapientia eſt ſecundus. 16. *Per iſodynamiã, minime omnium inſipiens.* 17. *Per exclamationem, O ſingularem huius uiri ſapientiam.* 18. *Admiratione, quanta eſt huius uiri ſapientia.* 19. *Adiuratione, peream ſi quid hoc uiro poteſt fieri ſapientius. Per particulas quinque modis.* 20. *Nemo tam ſapiens, quam hic uir.* 21. *Quis perinde ſapiens atque hic uir.* 22. *Nemo eſt omnium æque ſapiens atque hic uir.* 23. *Vir adeo ſapiens, ut nemo ſit cum eo conferendus.* 24. *Nemo ita ſapiens, ut hic uir eſt.* 25. *Per heteroſin ſpeciei mutando ſuperlatiuum in nomen: Ea eſt huius uiri ſapientia, vt ei conferendus ſit nemo: huic uiro parem ſapientia non inuenies: uir tanta ſapientia ornatus, ut ei æquari poſſit nemo.* 26. *Per interrogationem, quis cum hoc uiro ſapientia æquari poſſit?* 27. *Per auxeſin, uir incredibili in omni re ſapientiã.* 28. *Per hyperbolen, uir non ſapiens, ſed ipſa pene ſapientia.* 29. *Per periphraſin, uir maxime ſapiens.* 30. *Per iſodynamian, uir minime inſipiens.* 31. *Per auxeſin, eſt ſapientiæ idea, antiſtes, & exemplar.*

Vt autem traditæ orationis uariandæ regulæ adhuc facilius ad uſum traduci poſſint, nonnullas ad id faciendũ admonitiones adſcribã.

Prima, ſumatur aliqua ſententia, quam ua-

riare uolumus, & uerbis latinis atque idoneis primum exprimatur, proponaturque: & gratia exempli, ſumamus iſtam, Hic uir eſt optime de me meritus.

Secunda, propoſita ſententia inquirenda ac adhibenda ſunt uerba quæ uim commutandi habent. Per ſynonymiam, hic de me ſummopere promeritus eſt, plurima ſunt huius in me beneficia: per enallagen, qua commutatur uerbũ nomine, maxima ſunt huius uiri in me merita: per antonomaſiã, Marco Zeno Ludouicus Carbo plurimum debet: per periphraſin actiue & paſſiue, hic uir ſummis officijs me affecit: maxima beneficia in me cõtulit, ab hoc uiro ſummis beneficijs ſum affectus: ab eo in me pręclara beneficia ſunt collata.

Tertia, cum propria deficiunt uerba, confugiendum eſt ad tranſlata, per metaphoram, allegoriam, & catachreſin actiue & paſſiue uſurpanda: Vt multis me beneficijs obligauit, obſtrinxit, deuinxit: maximis beneficijs obſtrictus, deuinctus.

Quarta, ſi tranſlaticia deſint, actiua in paſſiuam commutetur oratio, & contra: me pluribus beneficijs ornauit: ab eo plurimis beneficijs ornatus fui.

Quincta, uerba in nomina ſunt cõmutanda; optima ſunt huius in me merita; & in partici-

pia:

pia: & uerbum ſimplex in compoſitum, hic eſt de me quam optime promeritus.

Sexta, adiectiua per heteroſin ſubſtantiuis commutentur, & contra: ſumma eſt huius uiri in me benignitas, beneficientia, liberalitas, pro lixitas.

Septima, utendum eſt contrariorum iſodynamia: ſingularia ab eo accepi beneficia: non uulgaria beneficia in me cõtulit: magna beneficia, non parua: præclara, non obſcura.

Octaua, quod eſt ſimpliciter pronuntiatum, exprimitur per figuram ironię, interrogationis, dubitationis, admirationis, adiurationis, hyperboles, auxeſis, & per exclamationem. Hic etiam uariare licebit per ſyntaxin.

Nona, ſimplex oratio uertenda eſt in compoſitam, ſeu duplicem, & una dictio, uel plures per periphraſim in plures commutare licebit, hoc modo, Nemo unquam exprimeret, quantis me beneficijs affecerit: hic uir adeo benemeritus eſt, & de me tot beneficijs bene meritus, ut ei ſatisfacere nullo modo poſſim.

Decima, ſimilitudinibus, exemplis, relatis, iſodynamia, & particulis uim uariandi habentibus uti poterimus. Maxima beneficia in me contulit, maxima ab eo beneficia accepi, nemo unquam eſt de me æque, adeo, ita meritus, ac atque, ut hic uir eſt: hic tantum eſt de me meri-

tus,

tus, quantum alius nemo. Et ne longior in his admonitionibus ſim, quam par eſt, qui communes de uerborum copia traditos canones ad uſum traduxerit, locuples uerborum fiet. Si quis uellet locum in quo Cicero uarie quaſdam ſententias enunciauit, conſulat orationem, quam habuit, antequam iret in exilium; ubi hanc ſententiam, Ego ſum in urbe retinendus, uigintiquattuor modis uariauit: Hanc, de populo Romano benemeritus ſum, uigintiquinque: Hãc uero, Ego sẽper honeſte uixi, uiginti.

Atque de prima copiæ parte hæc pro noſtro inſtituto dixiſſe ſufficiat: quibus ni fallor, perſpicue breuiterque omnia continentur, quæ ad uerborum abundantiam comparandam pertinent: nunc ad aliam partem exponendam, quæ multo maiorem utilitatem & difficultatem habet, accedamus.

De rerum copia per diſtributionem, & eius ſpecies. Diſp. VI.

BREVIVS fortaſſe quam res tanta dici debuiſſet, de uerborum copia hactenus diſſeruimus: nunc eadem breuitate, cum perſpicuitate coniuncta, de rerum ubertate, qua ipſa ſubiecta ſententia dilatari poteſt, agemus.

mus. Et cum ſuperius quid rerum copia ſit, definitum fuerit; nunc ad ipſos fontes, unde dimanat, indicandos, accedemus. Antequam autem propoſitum modum explico, illud uniuerſe dixerim, omnem rerum copiam ex locis, tum dialecticis, tum oratorijs, ornamentiſq; originẽ ducere. Sunt itaque locupletandæ orationis modi multi, ac uarij: de quorum numero non eſt certa ſcriptorum ſententia, cum alij duodecim, alij tredecim, alij vero plures, uel pauciores diuerſa ratione numerent: quorum explicationem nos quibuſdã diſputationibus perſtringemus: ac primum quidem de Diſtributione, quæ priore loco numerari ſolet, uerba faciemus: de qua dum agimus, quę ad Dialecticam pertinent, & nihil ad noſtrum inſtitutum conferunt, ea omitttemus.

Prima poſitio, Rhetoricæ Diſtributionis ſpecies ſunt tres, Diuiſio, Partitio, Enumeratio. Diuiſio eſt, qua aliquod genus, ſiue uocabulum magis commune in ſuas formas ſiue ſpecies diuiditur. Partitio, qua aliquod totum, ſeu quaſi totum in ſuas partes ſecatur: ut ſi corpus humanum in ſua memb. a, uel rhetoricam in ſuas partes diſtribuas. Enumeratio vero eſt, qua, quæ alicui rei inſunt, aut eam circunſtant, percenſentur: Vt ſi numerares atttributa quæ in aliquo priuato homine, aut circum-

ſtantias,

ſtantias, quæ in aliquo facto reperiuntur.

Secunda poſitio, Diuiſionis modi ſunt quattuor. Primus cum genus in ſuas formas ſpecies ue diuiditur: ut ſi uirtutem diuideres in uirtutem cognitionis & actionis: & hanc in iuſtitiam, fortitudinem, prudentiam, & temperantiam: & animal in illud quod eſt rationis capax, & in illud quod eſt rationis expers. Secundus, cum ſubiectum diuiditur in ſua accidentia; vt, hominum, alij probi, alij improbi: humanarum actionum, aliæ bonę, aliæ malæ, aliæ nec bonæ, nec malæ. Tertius, cum accidens diuiditur in ſubiecta, in quibus reperiri ſolet: ut bonorum, aliud animi, aliud corporis, aliud fortunæ: candidorum, aliud lac, aliud nix, aliud calx, aliud farina, & ſic de alijs. Quartus, accidentis in alia accidentia: ut ſaporum, alius amarus, alius dulcis; dulcium, aliud candidum, aliud nigrum, aliud flauum. Sunt tamen qui tres poſteriores modos ad enumerationem pertinere dicant; quod ſane non male dicitur; ſed ad rem ipſam nihil refert.

Tertia poſitio, partitionis tres ſunt ſpecies, ſiue modi. Primus, cum res aliqua compoſita diuiditur in partes naturæ, ſiue eſſentiæ: ut ſi hominem in animam & corpus diuideres; & rem quamcunque in materiam & formam, vel in id quod materiæ & formæ uicem gerit.

Secundus,

Secundus, cum totum ſecatur in partes quantitatis: vt animalis corpus, in caput, collum, brachia, pectus, & pedes: Romana reſp. in Senatores, Equites & Plebeios: domus in fundamenta, parietes, & tectum: terrarum orbis, in Aſiam, Aphricam, Europam, & Americam. Partium quantitatis, aliæ ſunt magis neceſſariæ ac præcipuæ, vt in homine caput, & pectus: aliæ vero minus, vt digiti, & aures. Tertius, cum totum diuiditur in partes facultatis, ſiue poteſtatis, hoc eſt, in partes per quas aliquid efficimus: vt ſi diuideres eloquentiam, in facultatem inueniendi, diſponendi, eloquendi, memorandi, & pronuntiandi: & grammaticam in orthographiam, proſodiam, etymologiam, & ſyntaxin: Humanæ mentis vires, alia eſt qua intelligimus, alia qua appetimus, alia qua reminiſcimur.

Quarta poſitio, Enumerationis modi ſunt iſti. Enumeratio antecedentium, hoc eſt earum rerum per quas ad rem ipſam, ſiue factum aliquod peruenitur, quæ rei cauſſæ, niſi fortaſſe remotæ, non ſunt. Comitantium, ſiue cauſſarum, earumve rerum a quibus res ipſa fieri potuit, aut facta eſt: ſiue cauſſa ſit finalis, ſiue materialis, ſiue efficiens, ſiue formalis: uel earum rerum, quæ ſimul cum re ipſa ſunt. Conſequentium, ſeu effectorum, hoc eſt rerum, quę cauſſas

cauſſas ſequuntur: ſiue ſint ueri effectus, ſiue non. Rurſus, enumeratio poteſt ſumi a cauſſis: a materia, ut domus conſtat lateribus, lapidibus, lignis: ab efficiente; eloquentia, natura, arte, exercitatione, & imitatione comparatur: a fine, hominum, alij ad contemplandum, alij ad agendum nati: & ab effectis, ut, hominum alij ſtudent, alij ludunt, alij ſpatiantur, &c. Diſtributionis itaque formis, & formarum modis expoſitis, ſequitur ut de modis orationis dilatandæ ex hoc loco ſumptis dicamus.

Quinta poſitio, Diſtributionis rhetoricæ ratio hęc eſſe poteſt. Primum ponitur aliqua ſententia, in qua id quod diſtribuendum eſt cõtinetur. Vt ſi diceres, Rem uniuerſam luxu perdidit: Omnia quæ ſunt in rep. ſumma, eſt adeptus: Vir toto corpore pulcher: Omni officiorum genere me ornauit. Deinde facienda eſt diſtributio eius, quod diuidi poteſt, uel in ſpecies, uel in partes, uel in ſubiecta, uel in accidẽtia, uel in cauſſas, uel in effecta, & ſic de alijs, ut ſuis exemplis ſtatim demonſtrabitur. Poſtea, facta diſtributione, per concluſionem, illa uniuerſa propoſitio ijſdem uerbis, uel alijs idẽ pollentibus, repetenda erit. Poſtremo, per modum expolitionis aliquæ ſpecies, uel partes, uel accidentia, uel effecta copioſius explicari, ſimilibus exornari, & cum contrarijs conferri poterunt.

terunt. Hæc itaque eſt una perfecta diſtribuendi ratio. Quod ſiquid eorum quæ diximus prætermittatur, quod ſane fieri poteſt; ut ſi non adhiberetur propoſitio, uel concluſio, uel una, aut plures partes reſecarentur, imperfecta diceretur Diſtributio.

Sexta poſitio, duplex eſt Diſtributionis ordo: alter, quo ab eo quod eſt commune ad ſingulas partes in tota periodo progredimur; Vt ecce, Antonius eſt omni ſcientiarum genere ornatus; cum ſacræ Theologiæ operam dederit, & phyſiologiam, morumque doctrinam, atque diſſerendi rationem ſit conſecutus. Alter, quo a partibus ad id, quod eſt commune progredimur, hoc modo; ſi ędilitate, prætura conſulatu functus eſt, igitur omnes dignitatis gradus eſt adeptus: Non æquitate, non temperantia, non fortitudine, nulla denique uirtute eſt ornatus; ſed potius iniuſtitia, luxuria, ignauia, omnique uitiorum genere eſt infectus. Quæ diſtributiones pluribus uerbis dilatantur, attributis ornantur, & deſcriptionibus, contrarijs, comparatis, ſimilibus, ac diſſimilibus expoliuntur. Varijs itaq; diſtributionis modis orationem dilatamus, cum pro generibus ſpecies, pro totis partes, pro ſubiectis accidentia ponimus, aut plura, quæ in una re ſunt attributa percenſemus.

Septima

Septima poſitio, in Oratoria diſtributione hæc potiſſimum cauenda ſunt. Primum, ne in re maioris momenti leuiores partes, & quæ orationem illuſtrare nequeunt, conſectemur. Deinde, ne partes primarias & neceſſarias, & ad rem magis pertinentes prætereamus. Poſtremo, ne partium ordo verborum multitudine confundatur, & ne longa enumeratione faſtidio auditoribus ſimus.

Octaua poſitio, dilatationis per diuiſionem, tale eſt exemplum. Vir eſt omni liberali doctrina perpolitus, cum Grammaticam, Rhetoricam, Poeticam, Dialecticam, Phiſiologiam, Ethicam, omniumque Mathematicarum artiũ partes ſit adeptus. Item, Antonius, ita ſuperioribus annis uixit, ut rem uniuerſam luxu perdiderit: quidquid, inquam, uel hæreditate habuerat, quiquid legatis obtinuerat, de nouo ab amicis acceperat, aut ſuo labore parauerat; ita vt fundos, agros, pecudes, uaſa, ueſtes, ædes etiam ipſas quotidianis ſumptibus, ſumptuoſis comeßationibus, inutilibus donationibus, diurnis atque nocturnis luſibus conſumpſerit. Quo fit, vt omni bonorum genere, quibus abundabat, ſpoliatus, nunc vnde viuat, habeat nihil. Quę in hoc perfectę Diſtributionis exemplo ſint diuiſiones, quiſque facile animaduerteret. Dixi eße perfectæ diuiſionis exemplum,

quia in eo uniuerſalis propoſitio, partiũ enumeratio, una cum concluſione continetur. Itẽ, ſi dilatare & augere velles hanc propoſitionẽ, Eſt uir omnium bonorum genere ornatus, augebis, ſi animi dotes, ſi corporis bona, ſi fortunæ commoda numerabis. Huc pertinere videtur amplificatio illa apud M. Tullium, Quę lex, quod Senatuſconſultum, quod magiſtratus edictum, quod fœdus, aut pactio, quod (vt ad priuatas res redeam) teſtamentum: quæ iudicia, aut ſtipulationes, aut pacti, aut conuenti formula, non infirmari, aut conuelli poteſt, ſi ad verba rem deflectere velimus?

Pro A. Cęc.

Nona poſitio, dilatationis per partitionem tale eſt exemplum, Totus eſt ſcabie deformatus, ita vt nec caput, nec pectus, nec brachia, nec venter, nec pedes, nulla denique corporis, vel minima particula ſit ab hac peſte immunis. Nihil eſt, quod in eo laudari poſſit, cum ſit ingenio tardus, corpore deformis: utitur mẽte obtuſa, uoluntate peruerſa, & memoria pertenui: eſt facie niger, humeris gibboſus, manus habet vncinatas, tibias obtortas; nulla denique eſt in eo pars, quæ non aliquo uitio laboret. A partium enumeratione hunc in modum Lactantius uir eloquentiſſimus perpeſſionis doloriſque Chriſti magnitudinem expoſuit.

Vertice

Vertice ad uſque pedes me luſtra: en aſpice crines
Sanguine concretos , & ſanguinolenta ſub ipſis
Colla comis, ſpiniſque caput crudelibus hauſtum ;
Vndique diua pluens uiuum ſuper ora cruorem :
Compreſſos ſpeculare oculos, & luce carentes,
Afflictaſque genas : arentem ſuſpice linguam
Felle venenatam, & pallentes funere vultus :
Cerne manus clauis fixas, tractoſque lacertos ,
Atque ingens lateri vulnns : cerne inde fluorem
Sanguineum , foſſoſque pedes , artuſque cruentos ,
Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

Decima poſitio , enumerationis exempla iuxta varios modos recenſitos hęc ſunt : ab enumeratione antecedentium . Ebutius in caſtello homines congregauit, eoſdem armis muniuit, extra caſtellum in rem præſentem duxit, incurſionem , ut facerent, curauit : quis igitur Pro A. Cęc.

 eum

eum vim Cęcinnæ intuliſſe neget? Item, ſi Catilinam a Cicerone oppreſſum fuiſſe, ab antecedentium enumeratione quiſpiam demonſtrare vellet, ad hunc modum ſuam orationem dilataret Nefarios conatus, quibus Catilina remp. euertere curabat, M. Tullius conſul ſua ſagacitate ſtatim odoratus eſt: ſingulari vigilantia perueſtigauit, ſumma ſapientia deprehendit, incredibili eloquentia conuicit, grauiſſima auctoritate repreſſit, armis denique extinxit. Vtemur hoc amplificationis genere, cum res ieiuna, ſicca, & breuis nobis explicanda erit. Vbi cauere oportebit, ne quæ ſunt leuiuſcula, & plura quam oportet, percenſeamus. Ab enumeratione cauſſarum efficientium. Quis non exiſtimet eam facultatem eſſe præſtantiſſimã, cuius maxima initia natura tribuit, quam ars excolit, imitatio expolit, & exercitatio perficit? A cauſsa finali, Homines nati ſunt, non ad voluptates perfruendas, non ad honores aucupandos, non ad pecunias congregandas, ſed ad liberales artes perdiſcendas, ad uirtutes acquirendas, ad alios iuuandos, ad diuinum numen colendum, & ſempiterno æuo perfruendum. Ab effectuum enumeratione, ſi quotidie fraudas, decipis, paciſceris, aufers, eripis; ſi ſocios ſpolias, ærarium expilas; ſi teſtamenta amicorum expectas, aut non expectas quidem,

Cic. in Parad.

dem, atque ipſe ſupponis, &c. A conſequentium enumeratione, Si perditiſſimorum iuuenum ſocietatem non uitabis, parentibus non obedies, amicorum monita contemnes, uirtutes adeptas amittes, vitia omnia contrahes, ſtudia abijcies, ſine vlla honeſta uoluptate uitam traduces, & denique, & patriæ, & tuis, & tibi ſummo detrimento eris.

Vndecima poſitio, hi omnes dilatãdę augendæq; orationis modi ſumũtur, ab his locis topicis: a diuiſione, partitione, enumeratione, antecedentibus, conſequẽtibus, a cauſſis, & ab effectis. Quare qui ſibi hanc rerũ copiã facile comparare voluerit, hos penitus locos cognitos atque tractatos habeat.

Duodecima poſitio, vt hi loci ſeruiunt ad amplificandum, ita etiam illæ figuræ, quæ ab iiſdem locis petuntur: ut, amplificationi a cauſſis, figura ſubiectio, ætiologia, dicæologia, & ea qua factum ob neceſſitatem excuſamus; & ſic de alijs. Huc pertinet illa pulcherrima, faceta, tragica, & diuina Craſſi amplificatio in M. Brutum, Brute; quid ſedes? quid illam anũ Lib. 2. or.
(alludit ad Iuniam, quæ tunc forte ad rogum efferebatur) patri enunciare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid maioribus tuis? quid L. Bruto qui hunc populum dominatu regio liberauit? quid te facere?

 cui

cui rei, cui gloriæ, cui virtuti ſtudere? patrimonio ne augendo? at id non eſt nobilitatis: ſed fac eſſe; nihil ſupereſt: libidines totum diſſiparunt. An iuri ciuili? eſt paternum: ſed dicet, te, cum ædes uenderes, ne in rutis quidem & cęſis ſoliū tibi paternum recepiſſe. An rei militari? qui nunquam caſtra uideris. An eloquentiæ, quæ nulla eſt in te: & quidquid eſt vocis ac linguæ, omne in iſtum turpiſſimum calumniæ quæſtum contuliſti. Tu lucem aſpicere audes? tu hos intueri, tu in vrbe, tu in ciuium conſpectu? tu illam mortuam, tu imagines ipſas non perhorreſcis? quibus non modo imitandis, ſed ne collocandis quidem, tibi vllum locum reliquiſti. Poſtrema poſitio, in unam & eamdem orationem omnes iam explicati dilatandi modi, immo & alij etiam poſſunt incidere. Vt in ſubiecto patebit exemplo. Proponatur hæc vniuerſa propoſitio, Marco Zeno remp. Venetam adire volenti, virtus eſt neceſſaria: quam hunc in modum amplificares. Marco Zeno nobili Veneto, maioribus claro, eloquentia & religione ornato, publicæque vtilitatis cupido, ad honeſte ſapienterque remp. adminiſtrandam, omnes ſunt neceſſariæ virtutes, prudentia, iuſtitia, fortitudo, ac temperantia: quibus ſi prędituſ fuerit Senatus auctoritatem augere, equeſtrem ordinem tutari,

tari, & vniuerſam plebem in officio continere poterit. Eſt in hoc exemplo enumeratio attributorum, quæ in Marco ſpectantur: diuiſio virtutis in ſuas formas, & totius reip. Venetæ partitio; ſi tamen, in eas quas attulimus, partes diuidi poteſt, vt Romana poterat. Sed de hac diſputatione, in qua tres explicuimus amplificandæ orationis modos, hactenus: ad alios igitur pergamus.

De rerum copia, per hypotypoſin, ſeu deſcriptionem. Diſp. VII.

EX omnibus locis, unde rerum copia ſumitur, is ampliſſimus ſemper habitus eſt, quem Græci Hypotypoſin, appellant; & omnes qui de copia ſcribunt, numerant, ac diligenter explanant: de quo, cũ late pateat, integra diſputatione accurate diſſerere uoluimus.

Lege Theonem ca. de Deſcrip.

Prima poſitio, hæc amplificandi ratio, latine deſcriptio, effictio, demonſtratio, & veluti ſub oculos ſubiectio, Græce vero, Energia ideſt euidentia a perſpicuitate & claritate, & hypotypoſis ab exprimenda rerum imagine, nominatur.

Secunda poſitio, Hypotypoſis, eſt oratio qua

ita copioſe et clare rem aliquam exponimus, ut non narrari, ſed geri, non audiri, ſed ſpectari uideatur: qua res, ueluti uiua quædam pictura conſpicienda proponitur.

Tertia poſitio, ad aliquam rem apte eleganterque deſcribendam duo ſunt neceſſaria. Primum ut totam rei naturam, & omnia eius attributa, ſiue circumſtantias animo perluſtremus, cogitationeque intueamur. Deinde, vt idoneis & proprijs uerbis eam exprimamus, figuriſque exornemus, ita ut quam deſcribimus rē, ea clara, atq; perſpicua penitus appareat. Vtimur autem deſcriptione, aut delectandi, aut ornandi cauſſa; & interdum etiam neceſſitate impulſi, ut accidit, in tragoedijs, dum ea narrantur, quæ in theatro repræſentare non licet, aut non conuenit; iuxta illud Horatianum præceptum,

In poet.

— Non tamen intus
Digna geri promes in ſcenam: multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens:
Nec pueros coram populo Medea trucidet.

Quarta poſitio, etſi plures ſint deſcriptionis formæ: tamen quattuor potiſſimum ad hūc locum pertinent: pragmatographia, proſopogra-

graphia, topographia, & chronographia, hoc eſt rerum, perſonarum, locorum, ac temporum deſcriptiones: de quibus omnibus deinceps agemus, demonſtrando qua ratione fieri, & ad uſum traduci queant.

Quincta poſitio, deſcriptio rei eſt, cũ quod factum eſt, aut fit, non ſimpliciter, ſummatimque proponitur, ſed fuſe & ornate exponitur, omnibus explicatis circumſtantijs, quæ rem illuſtrant, & oculis ſubijciunt. Huc pertinent deſcriptiones præliorum, cędium turbinum, tempeſtatum, naufragiorum, inundationum, cõuiuiorum, funerum, triumphorum, aliarumq; ſimilium rerum.

Sexta poſitio, ad recte deſcribendum, antecedentium, comitantium, ſubſequentium rerũ, quæ fuerunt, aut eſſe potuerunt, & omnium circumſtantium illuſtrium narratio confert. Plurimum quoque iuuant collationes, ſimilia, diſſimilia, imagines, metaphoræ, allegoriæ, epitheta, fabulæ, gentium mores, hiſtoriæ, & id genus alia. Magnam etiam facilitatem ad rectam deſcriptionem affert, quę deſcribere uolumus, oculis ſpectaſſe, aut ipſis interfuiſſe. Quare multo melius naufragium ob oculos dicendo poneret, qui aliquando in naufragio fuit, quã qui nunquam naufragium uidiſſet. Deſcriptionis rei, ciuitatis nimirum expugnatæ exẽ- Lege Theon. progym.

plum

plum ex Quinctiliano ſumptum, eſt huiuſmodi. Apparebant effuſæ per domos & templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diuerſis clamoribus unus quidam ſonus: aliorum fuga incerta: alij in extremo complexu ſuorum cohærentes, & infantium, fœminarumque ploratus: male uſq; in illum diem ſeruati fato ſenes. Tum illa profanorum ſacrorumque direptio efferentium prædas, repetentiumque diſcurſus, & acti ante ſuum quiſque prædonē catenati, & conata retinere infantem ſuum mater; & ſicubi maius lucrum eſt, pugna inter uictores. Sed diligens bonorum auctorum lector, multa poterit inter legendum notare deſcriptionum exempla.

Septima poſitio, perſonarum deſcriptio eſt alicuius perſonæ, ueluti hominis luxurioſi, auari, ſenis, militiſque effictio. Nomine autem perſonæ, non ſolum intelligitur ea, quæ vitam ducit, ſed etiam quæ fingitur. Vt ſi quis Philoſophiam, Rhetoricam, Theologiam, aut aliquam uirtutem uitiumue dicendo pingeret. Huiuſmodi perſonarum deſcriptiones frequentes ſunt apud Poetas, Oratores, & Hiſtoricos. Poetę ornandi & delectandi cauſſa deſcriptionibus utuntur: Oratores ad laudandum uituperandumq; Hiſtorici uero etiā ad docendū: cū rē ipſam, ut eſt, exprimere, ad ipſos pertineat.

Octaua

Octaua poſitio, perſonarum deſcriptiones partim a corporis habitu, partim ab animi moribus ſumuntur: itaque aliquando mores, aliquando corpora deſcribuntur: ſæpeque numero per ea quæ ſunt in corpore, ea quæ ſunt in animo & moribus oſtenduntur. Hoc pacto M. Tullius C. Fannij mores in oratione pro Q. Roſcio eleganter deſcripſit. Oro atque obſecro, uos faciem huius conſiderate: non ne ipſum caput & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam, & clamitare calliditatem uidentur? &c. Atque huiuſmodi alia apud eundem obſeruares deſcriptionum huius ordinis exempla. Ex habitu itaque corporis, ut omnes fere ſapientes docent, aliquid de animi moribus augurari licet.

Nona poſitio, perſonarum verarum deſcriptiones amplificantur a locis perſonarum; ut ſunt, patria, ſexus, educatio, ætas, ſtudia, res geſtæ, & alij generis eiuſdem, de quibus libro ſecundo de Inuẽtione oratoria late ſcripſimus. Huc etiam pertinent, quæ libro de Diſpoſitione Oratoria diſputatione duodecima, & uigeſimaoctaua diſſeruimus, quę conſulere lector poterit.

Decima poſitio, in perſonis ſiue ueris, ſiue fictis deſcribendis, illud maxime curandum eſt, ut ſeruemus decorum: ita ut perſonæ, quam de-

ſcribimus, ea tribuamus, quæ ei maxime conueniunt, eamque decent. Vnde Flaccus,

— Honoratum ſi forte reponis Achillē:
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaque, flebilis, Ino,
Perfidus Ixion, Io uaga, triſtis Oreſtes.

Et quidam alius de perſonis fictis loquens,

Frus. Sint Charites lepidæ, Virtus grauis, Hæreſis effrons,
Stultitia inſtabilis, Pax placida, Ira fremens.

Quare, ſi quis Philoſophiam uellet deſcribere fingeret eam uultu grauem, uerecundam, ſolitariam, minime fucatam, & humana deſpicientem: At uero Rhetoricam hilarem, coloribus pictam, facie erectam, aliyſque ſimilibus attributis eam formaret. Boeth. li. de conſ. *Vt autem quæ de perſonarum deſcriptione diximus, exemplis illuſtrem, unum uel alterum ſubyciam. Tertullianus his uerbis aliquando elegantiſſime patientiam deſcripſit.* Lib. de patien. *Vultus illi tranquillus & placidus frons pura, nulla moeroris aut iræ rugoſitate contracta: remiſſa ęque in lętum modum ſupercilia: oculi humilitate, non infelicitate deiecti: os taciturnitatis honore ſignatum: color*

lor qualis ſecuris & innoxijs: motus frequens capitis in diabolum, & minax riſus: amictus circum pectora candidus, corpori impreſſus: ut quinec inflatur, nec inclinatur: ſedet in throno ſpiritus, quem tertio uidit Elias. At uero Ouidius hunc in modum inuidiam.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto: Lib.2.Me.
Nūquam recta acies: lingua eſt ſuffuſa ue neno:
Riſus abeſt, niſi quem uiſi mouere dolores:
Nec fruitur ſomno, uigilantibus excita curis:
Sed uidet ingratos, intabeſcitq; uidēdo
Succeſſus hominum; carpitque & carpitur una
Suppliciumque ſuum eſt, &c.

Item, Virgilius bibacem & temulentum hominem, cum Silenum deſcripſit.

——Chromis & Mnaſylus in antro Ecl.6.
Silenum pueri ſonno uidere iacentem.
Inflatū heſterno uenas, vt ſemper, Iaccho:
Serta procul tantum capiti delapſa iacebant
Et grauis attrita pēdebat cātharus anſa.

Atque hactenus de perſonarum deſcriptione: nūc de temporum ſcribendorū forma dicamus.

Vn-

Vndecima poſitio, temporis deſcriptio quæ græce Chronographia uocatur, eſt, cum tempus ipſum, uel eius partes, uel etiam temporum qualitates per adiuncta, uarie, copioſeque explicantur. Vt ſi quis deſcriberet æſtatem, autunnum, diem, noctem, ſolis ortum, occaſum, uel meridiem, temporumve rationes, ſeu qualitates aduerſas, aut ſecundas.

Duodecima poſitio, hoc deſcriptionis genus his de cauſſis adhiberi ſolet. Primo exordij loco initio narrationum, ad demonſtrandam hãc rei, de qua agitur circumſtantiam. Quomodo interdum Hiſtorici ſuas hiſtorias, temporũ qualitates deſcribendo, auſpicantur. Deinde, ad exornandum amplificandumque: ut potiſſimum Poetæ, & aliquando Oratores facere conſueuere. Hanc ob cauſam Virgilius ad amplificandum Didonis dolorem, eleganter nocturnum tempus deſcripſit.

Iou.

Li.4.Aen. Corpora per terras, ſyluæq; & ſęua gerũt
Aequora, cum medio uoluuntur ſidera lapſu:
Dum tacet omnis ager, pecudes, pictæq; uolucres,
Quæ lacus late liquidos, quæque aſpera dumis
Rura tenent, ſomno poſitę ſub nocte ſilenti,

Le-

Lenibant curas,& corda oblita laborum:
At non infelix animi Phoeniſſa, &c.

Et in Corydone,

Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant:
Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos:
Teſtylis & rapido feſsis meſſoribus æſtu
Allia, ſerpillumque, herbas contundit olenteis.
At mecum raucis tua dũ veſtigia luſtro,
Sole ſub ardẽti reſonant arbuſta cicadis.

Deinde, delectandi gratia: ut ſępenumero Poetæ faciunt, dum uel ueſperum, uel auroram graphice deſcribunt: ut,

Donec flammiſerum tollentes æquore currum Syl. lib. 5.
Solis equi ſparſere diem, iamque orbe renato,
Diluerat nebulas Titan, ſenſimq; fluebat
Caligo in terras, nitido reſoluta ſereno.

Item.

Aureus æqu oreis ut ſol erexerit undis, Stroz.
Oceanique Aurora torum formoſa reliquit.

Item.

Iam ſummas cœli Phębus candentior arces Ualer. Flac. li. 3.

Vi-

Vicerat, & longas medius reuocauerat umbras.

Præterea ſolent temporis partes deſcribi probandi cauſſa: ut cum Virgilius dixit,

Et iam ſumma procul villarum culmina fumant:
Maioreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Denique interdum neceſſitatis gratia; ut cũ paucis, belli, ſeditionum, virtutum, vitiorumque rationes exprimere volumus. Verum hæ deſcriptiones ſunt quaſi miſtæ, cum non deſcribantur tempora ſimpliciter.

Decimatertia poſitio, hæc dilatandæ orationis ratio ſumitur a loco definitionis accidẽtariæ, quam Dialectici deſcriptionem appellant: idemque de aliis ſequentibus dicas. Sequitur locorum deſcriptio.

Decimaquarta poſitio, loci deſcriptio, quã Greci Topographiam uocant, fit, cum alicuius loci facies quaſi oculis ſpectanda pingitur; ut, cum deſcribuntur, regiones, montes, portus, flumina, fontes, urbes, templa, & huius generis alia, ſiue uere exiſtant, ſiue per Topotheſiã eſſe fingantur. Quare, ſiue res ueræ, ſiue fictæ deſcribantur, eadem ſeruanda erit in deſcribendo ratio: qua de re nonnihil libro de Diſpoſitione dixi, plura libro de tribus cauſſarũ

generibus

generibus dicturus. Exemplum deſcriptionis ficti loci ex Virg. ſumptum eſt tale.

Eſt in ſeceſſu longo locus: inſula portum Lib. I. Aen.
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos,
Hinc atque hinc uaſtæ rupes, geminique minantur
In cœlum ſcopuli, quorum ſub uertice late
Aequora tuta ſilent: tum ſiluis ſcæna coruſcis
Deſuper, horrentique atrum nemus imminet umbra,
Fronte ſub aduerſa ſcopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, uiuoque ſedilia ſaxo,
Nympharumque domus.

Et ut huic diſputationi ſit finis, illud admonuerim. Hiſtoricos loca deſcribere narrandi docendique cauſſa, Poetas potiſſimum delectandi, Oratores fidei faciendæ & ad animos commouendos.

De rerum copia, quæ ex Amplificatione & diminutione naſcitur. Diſp. VIII.

Lib.8.c.4. *INTER cęteras dilatandę orationis formas, quæ a Quinctiliano, & a poſterioribus ſcriptoribus, qui ab eo omnia fere acceperũt, recenſentur, ea eſt, quæ quia plures ſub ſe continet modos, generis nomen eſt ſortita, & ideo Amplificatio nominatur: de qua has ſtatuo poſitiones.*

Prima poſitio, Amplificatio eſt certa quædam dilatandæ orationis forma, qua rei alicuius magnitudo, ſeu amplitudo oſtenditur: quã tunc adhibemus, cum demonſtrare uolumus quippiam in ſuo genere eſſe magnum; exempli gratia, vehementer optabile, lætum, amabile, pulchrum, vel contra, deteſtabile, miſerum, ingratum, ac turpe.. Vtimur hac dicendi forma tunc pręcipue, cum aliquid ſuadere, aut diſſuadere, laudare, aut vituperare uolumus.

Secunda poſitio. Amplificatio ſpecialis his priuatim figuris fieri ſolet. Incremento, Comparatione, Congerie, & Ratiocinatione: quibus adduntur aliæ tres, Correctio, Interpretatio, Contentio. Hæ figuræ ideo amplificationes dicuntur

dicuntur, quod per eas priuatim res de quibus loquimur, multum amplificentur.

Tertia poſitio, allatæ figuræ augendi vim a varijs rebus ſumunt. Incrementum a minoribus, Ratiocinatio a ſignis, Congeries vero ab Enumeratione. Itaque Incrementum & Comparatio, a locis ſimilium & comparatorum, Ratiocinatio a loco adiunctorum et ſignorum; Congeries a loco diuiſionis & enumerationis pendet.

Quarta poſitio, Amplificatio per Incrementum fit, cum veluti per ſcalarum gradus peruenitur ad ſummum, & aliquando ad id, quod eſt quodammodo ſupra ſummum: & cum minoribus exaggeratis relinquitur cōiectura de multo maioribus, & de maximo: & cum pluribus congeſtis circumſtantijs, ſemper aliquid maius adducitur; Vt ecce, Facinus eſt vincire ciuem Romanum, ſcelus uerberare, prope parricidiū necare, quid dicam in crucem tollere? verbo ſatis digno tam nefaria res appellari non poteſt. Gradus per quos a minoribus ad maiora hæc aſcendit oratio, ſunt, Facinus, ſcelus, prope parricidium; & vincere, verberare, atque necare: ubi ſupra illud, quod videbatur ſummum, prope parricidium necare, adijcitur, quid dicam in crucem tollere? Quare cum id quod ſummū erat occupaſſet, neceſſe fuit in eo quod Act. in Ver.

vltra erat, verbum deficere. Hanc amplifican di rationem iјs in rebus uſurpare licet, quæ mul ta in eodem genere magna complectuntur. Fit etiam adiectio ſupra ſummum, hoc alio modo,

—— Quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Summum fuit dicere, quo pulchrior alter non fuit, cui aliquid ſupra poſitum eſt: quod tamen ad incrementum non facit. Interdum incremẽtum fit in ſingulis uerbis, ut Quẽ amo, diligo, obſeruo, colo, veneror. Et addita
Act. 3. In Ver. *correctione: ut, non furem, ſed raptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitię: non ſa crilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumque. Item, Qui ſe non opinari, ſed ſcire; non audiuiſ ſe, ſed uidiſſe; non interfuiße, ſed egiſſe dicit. Rurſus hoc etiam modo fieri ſolet, cum commu tato rei nomine, atrociore verbo idem ſignifi-*
Phil. 2. *catur: ut, Cuius qui in eo numero fuiſſet, nomẽ eſt occultatũ? occultatum dico? cuius non ſtatim diuulgatum? Sed ſtuporem hominis, ne dicam pecudis attendite. Item, quę Charybdis tam uorax? charybdim dico? quæ ſi fuit, fuit, animal viuum: Oceanus Medius fidius, & quæ apud Tullium ſequuntur. Item, Quæ uero conuiuia in eiuſmodi domo? ſeu potius officina nequitiæ & diuerſorio flagitioſorum hominum;*

minum;nam domus hęc habenda non eſt. Præterea, aliquando fit incrementum, cum ad maius iri non poteſt, ſed quod eſt maximum ex quodam animi ardore iterum repetitur: ut, Parentes tuos occidiſti: quid amplius dicam: parentes tuos occidiſti. Denique, interdum minus aperte increſcit oratio, ſed fortaſſe non minus efficacius, cum citra diſtinctionem in ipſo curſu aliquid priore maius inſequitur, ut apud Ciceronem hoc loco, Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in conſpectu populi Romani vomere poſtridie. Si inter cænam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In cętu uero populi R. negotiũ publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is fruſtis eſculentis uinum redolentibus gremium ſuum & totum tribunal impleuerit? Ad incrementum aliqui referunt eam amplificandi formam, quæ in rei nomine ſpectatur, quod fit per hyperbolen: ut cum cęſum, occiſum, & improbum uocamus latronem; uel minuendo, vulneratum læſum dicimus: Quod genus tunc magis increſcit, cum per comparationem exprimitur; ut, non læſit, ſed vulneraauit, non vulnerauit, ſed occidit. Pulcherrimum incrementi exemplum eſt illud apud Horatiũ, Phil. 2.

vt quidam adnotauerunt, quo quantum iræ poſſint, & ſtabiles ſint, eleganter expreſſit.

Lib. 1. ode. 16. Bernar. Parth.

Triſtes ut iræ: quas neque Noricus
Deterret enſis, nec mare naufragum,
Nec ſæuus ignis, nec tremendo
Iupiter ipſe ruens tumultu.

Iræ itaque adeo ſunt firmæ, ut nec ualido enſe, nec naufrago mare, nec igne, nec ineuitabili fulmine cohiberi poſſint. Eodem artificio quãta ſit viri iuſti & perfecta uirtute præditi conſtantia, mirifice demonſtrauit, cum dixit,

Iuſtum & tenacem propoſiti uirum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida: neque Auſter
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinę.

Atque hęc ſatis de Incremento: nunc de comparatione dicamus.

Quincta poſitio, Comparatio eſt, quæ a minoribus incrementum ſumit; cum ſcilicet minora maioribus ornandi cauſſa comparamus, uel etiam præferimus; vt minoribus auctis, maiora augeri neceſſe ſit. Hæc itaque amplificandi ratio a maiorum minorumque ſiue imparium collatione ſumitur, hoc modo. Si beneficium accipere

cipere eſt ita ſuaue, ita iucundum, beneficium conferre quantum ſuauitatis, ac iucunditatis habere putandum erit.

Sexta poſitio, Comparatio tribus modis fieri poteſt: hypotheſi, ſiue fictione, exempli collatione, poſtremo ſi ſpecies genere, vel res vnius generis diuerſæ inter ſe conferantur, & una alijs præferatur. Fictione hoc modo, ſerui me Hercule, mei, ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes tui, domum meam relinquendã putarem. Item, ſi tantis officijs nullam gratiam repoſuiſſes, ingratiſſimus eras; nunc pro ſummo beneficio, maleficium ſummum retuliſti. Collatione exempli, cum propoſito ſimili exemplo, efficitur ut id quod amplificatur, aut proximum, aut par, aut maius illo eſſe videatur; hoc pacto, Si mulier, quæ medicamentis ſuum partum abegit, merito capite damnanda eſt, quanto maiore ſupplicio dignus, qui idem in alieno corpore fecerit. Pro Chi. *Item, An uero uir ampliſſimus Scipio Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem remp. priuatus interfecit; Catilinam orbem terræ cæde atque incendio uaſtare incipientem nos Conſules perferemus?* Catil. 1. *Plura in hoc exemplo comparantur, quę longe lateque dilatari & amplificari poſſent, Vt Catilina cum Graccho, reip. ſtatus cum terræ orbe, mediocris labefactatio cum incendio, &*

 pri-

priuatus homo, cum Conſulibus: Sed de exemplorum contentione plura inferius. Species cum genere hac ratione confertur, Acerbum eſt ab aliquo circumueniri, acerbius eſt a propinquo: omnes artes maximam hominibus laudem pa-
Pro Qui. *riunt, ſed eloquentia in primis: miſerum eſt exturbari fortunis omnibus, miſerius eſt iniuria: horribile eſt cauſſam capitis dicere, horribilius priore loco dicere: prudentia in omni uitę uſu iuuat, at in bellis præcipue, ſimpliciter dixiſſes, Prudentia plurimum iuuat in bellis: Cum omnes bonæ artes plurimum ornamenti, uel commodi concilient, tum in primis ſacra Theologia. Hac amplificandi ratione qui utuntur, pictorum ſolertiam imitantur: qui cum aliquē inſignem colorem eminere volunt, alium ei ſubſternunt, qui illum magis conſpicuum reddat. Quare, qui comparatione uti uoluerit utriuſq; rei, quæ in contentionem uenit, circumſtantias perluſtret, & quid non ſolum in totis, ſed etiam in partibus par imparue ſit, accurate uideat. Sed de his plura infra dicemus: nunc de Ratiocinatione.*

Septima poſitio, Ratiocinatio eſt oratio, in qua unum ex altero propter mutuam quandam coniunctionem credibilem atque probabilem colligitur: ut cum ex ſignis & circumſtantijs antecedentibus, coniunctis, & conſequentibus ali-

aliquid dilatamus, & dilatando demonſtramus. A ſigno antecedenti eſt hæc ratiocinatio apud Virgilium.

—Ille cauum conuerſa cuſpide mõtem Impulit in latus: ac ueluti agmine facto, Qua data porta ruunt. Aen. 1.

Ex quibus rebus, quanta fuerit tempeſtas inde nata, facile intelligitur. Ex ijs ſignis quę diem extremi iudicij antecedent, quam terribile, & horrendum ſit futurũ, plane intelligitur. Ex conſequentibus eſt illud Ciceronis in Antonium, quem tantum uini hauſiſſe dixit, ut poſtridie in conſpectu populi Rom. euomere, & fruſtis eſculentis ſubſellia complere coactus fuerit. Ex hoc enim per ratiocinationem conijcere licet, quanto ſe uino ingurgitauerit, ciboque compleuerit. Ex coniunctis eſt illud Polyphemi in antro iacentis apud Virgilium, maximæ enim ſtaturæ eſſe debuit is, qui in antro iaceret. Ratiocinationi aliqui duos alios ſubijciunt amplificandi modos: quos fortaſſe commodius alio referres. Quorum primus eſt, cum quæ grauiſſima ſunt, extenuamus, ut quæ conſequuntur longe maiora uideantur; idque interdum per trãſitionem. Vt, Leuia ſunt hæc in hoc reo crimina; metum uirgarum Nauarchus nobiliſſimæ ciuitatis pretio redemit; humanum eſt. Alius ne feriretur ſecuri pecuniam dedit, uſitatum eſt.

Phil. 2.

Aen. li. 3.

Act. 7. in Ver.

eſt. Hæc itaque contemnuntur, ut alia grauiora uideantur. Item, Grandia hæc ſunt, ſed leuia ſi cum reliquis conferantur. Præclarum exemplum habes apud Terentium in Adelphis, ubi Hegio ſic loquitur, Maior filius tuus Aeſchinus, quem fratri adoptãdum dediſti, neque boni, neque liberalis functus officium eſt uiri, & quæ ibi ſequuntur. Illuſtre etiam eſt illud in oratione pro P. Quinctio. Quo te nomine appellemus? improbum? at etiam ſi deſertum uadimonium eſſet: tamen in iſta poſtulatione & præſcriptione bonorum improbiſſimus reperiebare: num malitioſum? negas. Fraudulentum? & quę ibi ſequuntur. Hic modus diuerſus eſt ab incremento, in quo magna facimus quæ anteceßere, vt maiora appareant, quæ ſequuntur: at in hac ratiocinationis forma contra, maiora extenuamus, ut maius eſſe uideatur quod amplificare uolumus.

Act.3.ſec. 5.

Alter modus cum aliquid amplificamus et laudamus, ut eo magis id, quod cum eo conferre volumus, commendemus, & dilatemus. Vt ſi quis eius hoſtis, quem uiciſſet, fortitudinem augeret, vt ſuam ipſius gloriam magis illuſtrem redderet. Hac amplificandi ratione uſus eſt Virgilius, qui Turni uirtutẽ extulit, ut Aeneæ laudes magis augeret. Multa huius generis Cæſaris cõmẽtarij tibi ſuppeditabunt exempla.

Octa-

Octaua poſitio, Congeries, eſt plurimorũ uerborum eandem rem ſignificantium frequentatio: uel quæ rem eandem alijs atque alijs modis effert; qua ueluti aceruo quodã creſcit oratio: ut, Ei color immutatus eſt, vultus, oratio, mens denique excidit. Aliquid grauitatis accedit, ſi paulatim intumeſcat oratio: ut in hoc illuſtri apud diuinum Vatem patet exemplo, Circundederunt me doloris mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me, dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis: Et hæc pulcherrima ex eodem loco apud Christianum poetam cum Deo loquentem amplificatio: Synathriſmos. Pſal. 17.

Siſque alijs metus, ut libet, ac formidinis horror
At mihi blandus amor, mihi ſis placidiſsimus ardor:
Noctes atq; dies, toto te pectore uerſem: Hier. Vida.
Te ſine ſit mihi dulce nihil, te præ omnibus optem,
Vnũ depereã, totis hunc ſenſibus æſtum
Implicitem, hunc imis exardens oſsibus hauriam:
Hoc mihi ſoluantur flagrantes igne medullæ:
Hos mihi mens unos ſemper ſuſpiret amores.

Ali-

Aliquando ſine diſtinctione incrementum ſumit oratio, cum aliquid grauius inſequitur: ut, pecuniam, honorem, regnum, uitam denique patriæ caritate contempſit. Satis eſſe putant, quod eſt, nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt. Aliquando hic amplificandi modus ſola epithetorum acceſſione fit: ut, Illi ne tu templo tam antiquo, tam ſancto, tam religioſo manus impias ac ſacrilegas afferre conatus es? Ad has amplificandi formas aliqui adijciunt Correctionem, de qua paullo ſupra mentionem fecimus, Interpretationem, de qua nihil eſt, quod aliquid priuatæ dicamus; quam eandem cum congerie alij eſſe affirmant, & Contentionem, ſiue Antitheſim, cum diuerſas & inter ſe diſſidentes partes enumeramus: de qua infra ſuo dicetur loco. Denique, non eſt obſcura illa amplificandi forma, qua ab inopinato, & adynato, hoc eſt a re quæ fieri nequit ſumitur; ex quibus locis ſæpius Poetæ amplificant.

Parad. vlt.

Terra prius falſo partu deludet arantes,
Et citius nigros ſol agitabit equos.
Fluminaque ad caput incipient reuocare liquores
Aridus & ſicco gurgite piſcis erit.

Prop. li. 2.

Item ex Calentio:

Ante per ignotos errabũt ſidera fluctus

Paſcenturque leues ęquora lata boues.
Ante a ſquammiferis habitari piſcibus
æquor
Deſinet ante freto currere curua ratis
Ante polo,&c. Li. 2. leg.

Item ex Catullo,

Dum mulcent auræ, firmat ſol, educat im
ber.

Atque hæc de Amplificatione dicta ſufficiant: quibus nonnulla de Diminutione, tanquam de illius contrario breuiter adijciam.

Nona poſitio, Diminutio totidem habet dilatationis modos, quot amplificatio, ſed tamen contrarios; ſcilicet, decrementum, comparationem, ratiocinationem, & congeriem. Decrementum fit, cum rei alicuius difficultatem mitigamus, ut ad aliquid difficilius auſpicandum, & ſuſcipiendum inducamus. Vt ſi quis ad perferendos uitæ religioſæ labores, Ieiunij & obedientiæ difficultatem minueret. Annibal apud Liuium Alpium conſcenſum extenuauit ut ſuos milites ad alios itineris non leues labores ſuſtinendos animaret. Comparatione fit diminutio, cum aliquid optimum, malo comparatur, utile pernicioſo, pulchrum ſordido: quo fit ut melioris rei dignitas & prȩſtantia, inferioris rei comparatione minuatur. Vt ſi dicas, aurum eſſe tam bonum, quam ſunt terræ ſcoriæ, ho-

Lib. 2. de bello pun. Dec. 3.

honores eſſe ita ſtabiles, atq; umbra eſt: pulchritudinem eſſe ueluti florem, qui cito marceſcit: uitam aulicam eße honoratam miſeriam. Ratiocinatione, cum ex ſignis & adiunctis minoribus, quæ ſunt prioribus leuiores, rem perſonamque aliquam contemnimus. Vt, ita eſt humanioribus literis inſtructus, ut uix primā Grammaticę nouerit elementa: ita ſtrenuus, ut etiam ſuam umbram timeat: ita diligens ac uigil ut nunquam ſolem orientem, aut occidentē uiderit. Congerie, cum multa uilia atque contempta conglobantur uocabula: ut ſi quem inertem, otioſum, ignauumque uocares, aut rē aliquam nullius momenti, nullus pretij eſſe diceres. Fit autem diminutio non ſolum rebus, ut ex dictis patet, ſed etiam uerbis: ut ſi dicas, philoſophaſtrum, plebeculam, uel blandiendo, filiolum, Fabiolum, corculum.

Decima poſitio, Diminutio has ſecum utilitates affert: arrogantiam, ſuis locis adhibita, remouet: odium a nobis amolitur: nam dum noſtra eleuat, aduerſarium in contemptum adducit: & denique rei difficultatem mitigat. Quādo autem aliena diminuimus, cum imminutio quandam ſecum inuidiam afferat, & prudentia, & modeſtia adhibenda eſt, ne quid acerbe, petulanter, ſuperbe ue dicatur. Cęterum, vt amplificatio de qua hucuſque dictum eſſe uolo, fœcun-

fæcundum plenumque adoleſcentem poteſt efficere, ita etiam apud uiros prudentes ridiculum, & potius loquacem, quam eloquentem, ni ſuus adhibeatur in dicendo modus, & ea temperatio, quam res perſonæ, locus, tempuſque poſtulabunt; & non minus ſententiarum, quam verborum copia redundet oratio: Siquidem ut multo pulcherrimus eſt ſermo amplificationis ornamentis abundans, ita & longe periculoſiſſimus.

Qua ratione a propoſitione probationeque rhetorica rerum copia ſumatur. Diſp. IX.

HAEC duo dilatandæ orationis capita, ideo una diſputatione cõplecti uolumus, quod non paruã inter ſe affinitatem habeant: ac primum quidem de propoſitionum multiplicatione has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, rhetorica propoſitio nihil aliud eſt, quam perfecta quædam oratio, ſiue ſententia, ad quam probandam plures adhibẽtur argumentationes. Sic enim fere a quibuſdam deſcribi ſolet: Vt ſi dicas, Bonarum literarum ſtudia ſunt colenda: Turpe eſt chriſtianum hominem diuitijs incumbere: Indignum

eſt

eſt homini chriſtianam religionem profitenti bonores expetere.

Secunda poſitio, rhetorica propoſitio his modis diuidi poteſt. Rhetoricarum propoſitionum alia eſt uniuerſalis, ſeu infinita, quam Græci theſin, Latini propoſitum appellant: ut, honeſtum eſt expetendum: alia ſingularis & definita, quam illi hypotheſin, hi cauſſam uocãt: vt homini chriſtiano Theologiæ ſtudia ſunt colenda. Item propoſitionum aliæ ſunt certæ & indubitatæ apud omnes; vt bonum eſſe expetendum, turpe eße fugiendum: aliæ quę etſi non omnibus probentur; tamen, ex ſe pro certis haberi debent: ut, viro forti omnes res humanas contemnendas eſſe: eos ſolos eſſe beatos, qui boneſte uiuũt: aliæ quæ probabilitatem habent, admiſtam tamen cum aliqua ſuſpicione contrarij; ita ut ſint quaſi mediæ inter ueras & falſas: ut, magnum vectigal eſſe parſimoniam: cognitionis vitam, eſſe potiorem vita actuoſa: aliæ, quę communi ſapientum conſenſu approbantur; ut, Niſi ſapientem liberum eße neminem, uirtutem ſolam eße per ſe honeſtam, utilem, ac delectabilem, Magni animi uiri eſſe iniurias obliuione delere: aliæ quæ plurimis ſapientibus probantur: ut nullũ eße bonum præter honeſtum: nullum eße malũ præter culpam: denique aliæ ſunt, quæ in ſpe-

Cic. Par.

Cic. In Par.

cie

cie ueræ vidētur, quæ tamē re ipſa falſę ſunt: vt præſtare iniuriā facere quam perpeti, licere iniuria affecto accepiam ulciſci iniuriam, beatius eſſe accipere, quam dare. In ſumma, propoſitionum aliæ ſunt veræ, aliæ falſæ, aliæ probabiles; & harum, aliæ omnibus, aliæ quā plurimis, aliæ paucioribus probantur. Item, propoſitionum aliæ ſunt propriæ eius cauſſæ, quam tractandam ſuſcepimus, alię vero communes, vel alicui certo cauſſarum generi; vt deliberatiuo, honeſtum, vtile, neceßarium, facile, iuſtum eße amplectendum, vel ſimpliciter omni generi; vt ſunt vniuerſales animi notiones, & axiomata. Quare, propoſitionum aliæ ſumi poterunt ex ipſa caußa, eiuſque circunſtantijs, aliæ a natura rei vniuerſe conſiderata. Atque hæ potiſſimum propoſitionum diuiſiones ad noſtrum inſtitutum ſunt accommodatæ. Cic. Par.

Tertia poſitio, in propoſitionum multiplicatione, quod ad vſum attinet, hæc pręcipue animaduertenda ſunt. Primum conſideranda eſt propoſitionum quantitas, cum nūc duas, nunc tres, ſed raro plures poſſint habere partes. Deinde, eiuſmodi ſint propoſitiones, quæ rem contineant; ita vt non ſint a cauſſa remotæ. Poſtea, congruenti ordine diſtribuantur. Congruus autem ordo hic erit, vt ea prius po-

natur, quę ſit quaſi gradus ad ſequentem, ac via: quo fiet vt oratio non ſit turbata, & vt auditor ſemper aliquid expectet, & vt qui dicit, minime in dicendo hæreat. Denique, quo propoſitiones poſitæ fuerint ordine, eo explicentur: ni aliqua ratio aliter ſuadeat.

Quarta poſitio, propoſitionum copiam, hac ratione quiſque ſibi comparare poteſt: Primum, ſi bonarum artium ac diſciplinarum effata, ſeu pronuntiata, & ſumma capita cognita habere contenderet: Vt ſi in iure Cæſareo, & Pontificio communes vtriuſque iuris regulas ediſceret: in medicina Hippocratis aphoriſmos: in phyſiologia, naturam agere propter finem, artem imitari naturam, ad cauſſã ſequi effectum, naturam exiſtere eſſe per ſe notum, motum perfectum eſſe eum qui ad terminum peruenit: termino acquiſito motum ceſſare, cauſſam præcedere effectum: & huiuſmodi multa alia axiomata huic ſcientiæ propria atque idem de alijs dicas. Vt enim omnia quæ in aliqua diſciplina tractantur ad quædã prima initia reuocantur, ita ex quibuſdam primis principijs, in ampliſſimos libros omnes dilatantur ſcientiæ. Deinde hæc propoſitionum copia parari poterit, ſi doctiſſimorum hominum dicta, & ſapienter pronuntiatę ſententiæ, quę inter legendum, audiendumve notari

Ariſt. 2. Phyſ.

tari

tari poterunt, memoriæ commendentur. Poſtremo, ſi quis, quæ ſunt in propoſita cauſa, ſiue argumento tractando circunſtantiæ, eas cogitatione perueſtigauerit.

His ita explicatis, huius dilatandæ orationis modi exemplum ex M. Tullio ſumptum, ob oculos ponamus. Proponatur ergo hęc ſententia dilatanda, Eloquentiam cum ſapientia coniunctam omni animi ſtudio atque contentione colendam eſſe: quam facundiſſimus, locupletiſſimuſque Orator tribus aptiſſimis propoſitionibus ornate copioſeque amplificauit: quarũ hęc fuit prima, Sapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe: qua hunc in modum propoſitum dilatares argumentum. Etſi rerum diuinarum humanarumque notitia per ſe digna ſit, ut ad eam conſequendam omnes induſtrię nerui intendantur: tamen, cum hęc nuda atque inops cognitio parum amicis, & nobis atque reip. prodeſſe poſſit, niſi ſit cum dicendi facundia, quaſi cum ſua adminiſtra coniuncta, cuius præſidio homines ad rerum præclariſſimarum ſtudia colenda, ad religionem retinendam, ad pacem communemque concordiam conſeruandam commoueri, atque impelli poſſunt, profecto cum dicendi facultate copulanda erit. His itaque vel aliis ſimilibus, verbis, hac prima propoſitione, allatam amplificare Lib. 5. de Iun.

Ppp 2 licet

licet ſententiam. Secunda propoſitio, quam idem auctor adhibuit, hæc eſt, Eloquentiam ſine ſapientia permultum ſæpe obeſſe, prodeſſe vero nunquam, qua hoc pacto idem argumentum copioſe tractares. Quid enim eſt aliud eloquentia a vera ſapientia auulſa, quam uana quædam verborum volubilitas, & inanes quidam ſoni? Quid prodeſt multa effutire verba, quibus nulla ſit ſubiecta ſententia? quod certe omnes faciunt ij, qui verborum lenocinia fucumque ſectantes, nullam rerum, quas ipſa docet ſapientia, rationem habent: qui profecto ſunt reip. peſtes, & peſſimi iuuentutis inſtitutores; qui non modo ex Oratorum albo delendi, ſed etiam ex ipſa vrbe, & orbe eijciendi ſunt, niſi eloquentiam, cum ipſius domina atque moderatrice ſapientia coniunxerint. Poſtrema propoſitio, ab eodem ad idem vſurpata, Eloquentia cum ſapientia coniuncta multa humano generi emolumenta affert: qua ſuam theſin his verbis dilatauit facũdus Orator. Nam fuit quondam tempus, cum in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant, & quæ apud ipſum ſequuntur. Ad hunc dilatandi locum reuocares eam amplificandi formam, quam vir acutus excogitauit Agricola: de qua nos libro quincto de Inuen-

Cap. 7.

tione

tione pluribus egimus, quem locum Lector conſulere poterit: hic ſolum, eam quaſi digito indicabimus. Si itaque, exempli gratia; hæc proponatur ſententia, quæſtiove, An Cato recte Martiam vxorem tradiderit Hortenſio, Hanc ſententiam primum amplificabis conſiderando ſingula huius queſtionis verba, ex quibus variæ queſtiones elici poßunt, eo modo, quem citato loco expoſuimus. Deinde, animaduertendo quę in ſingulis uerbis continentur attributa, ſiue interna, vt in Catone, quod ſit homo, ſiue externa, vt in eodem quod fuerit vir Romanus, & Cenſor, & ſic de alijs verbis. Ex qua duplici inueſtigatione latiſſime quæſtionem illam dicendo amplificares. Atque de prima huius diſputationis parte hactenus: nunc de ſecunda breuiter dicamus.

Quincta poſitio, probatio nihil aliud eſt, quam rei dubiæ per rationes confirmatio, refutatiove. Cum itaque plura ad aliquam propoſitionem confirmandam adducuntur argumenta, mirum amplificatur in modum.

Sexta poſitio, probationum copia ſumenda eſt ex locorum penu: quorum alij ſunt rhetorici, alij dialectici, alij ſophiſtici: Rhetoricorum locorum, alij ſunt extrinſeci, ſeu forenſes, quos ipſum cauſſæ genus ſuppeditat; ut ſunt prȩiudi- Lege lib. 1. de Inu. Orat. & dial.

cia, iuſiurandum, tabulæ, tormenta, teſtes, pacta, & rumores; quos etiam inartificioſos uocant: alij intrinſeci, ſeu artificioſi, quos ipſa ars ſubminiſtrat; vt ſunt loci laudationis, deliberationis, & iudicij, qui uel ad probandum, vel ad mouendum conferunt: de quibus libro ſecundo de inuentione late ſcripſimus. Huc referuntur rerum ac perſonarum attributa, ac etiam ſigna, quorum alia ſunt neceſſaria, alia probabilia: item alia quæ prȩterita, alia quæ inſtantia, alia quæ futura demonſtrant, & hæc prognoſtica nuncupantur. Loci dialectici ij priuatim nominantur, qui ex rei natura ſumuntur, de quibus tertio et quarto de Inuentione libro copioſe egimus: ut ſunt locus definitionis, partium, cauſſarum, & effectorum. Sophiſtici illi dicuntur, ex quibus falſæ ſumuntur probationes, quæ vel in forma, vel in materia aliquid vitij habent. Si quis igitur quamcumque propoſitionem facile amplificare voluerit, locos omnes penitus cognitos atque tractatos habeat: ex quibus veluti ex quodam promptuario varias ad omnem theſim ampliãdam, & copioſe tractandam rationes promere poterit. Poßem hoc loco aliquo propoſito argumento, ſiue propoſitione, eam uarijs locis confirmando, huius amplificandæ formæ uſum demonſtrare; ſed cum id libro citato, vno & al-

tero

tero exemplo fecerim, eo lectorem reijcio. Et vt huic diſputationi ſit finis, illud tandem adſcripſerim, neminem poſſe orationem locupletare, qui rerum locuples non fuerit, & qui omnes locos, vt dicebam, omnino perſpectos non habuerit; cum re vera omnes dilatandi rationes ex ipſis locis, quaſi ex quibuſdã fontibus, emanent: de quibus cum in pręſentia non ſit latius dicendum, ad aliam copiæ comparandæ formam explicandam progrediamur.

De ratione amplificandi per circumſtantias. Diſp. X.

ATTRIBVTA, *quæ vulgo, quod rem circunſtent, circunſtantiæ dicuntur, Græci periſtaſes vocant, ampliſſimam ad dilatandum ſuppeditant materiam; ac proinde paullo diligentius a nobis explicanda ſunt: de quibus quæ occurrunt dicenda, quibuſdam poſitionibus complectemur.*

Prima poſitio, circumſtantiæ, ſiue attributiones ſunt, quæ ita perſonæ, uel rei adhærent, vt ab ea vel re, vel cogitatione ſeparari poſſint: vel vt philoſophi morales dicerent, ſunt humanarum actionum accidentia, quę licet nõ pertineant ad rei naturam, illam tamen aliquo D. Tho. p. 2. q. 7. art. 1.

modo afficiunt. Quo ſit, ut a numero circumſtā-
Boet. lib. 4. top. *tiarum illæ reijciendæ ſint attributiones, quę nullam in partem rem ipſam attingunt: vt gratia exempli eſt hæc, quod quis furatus ſit manu dextera, vel ſiniſtra, quidquid aliqui contra*
Duran. *dicant.*

Secunda poſitio, circumſtantiæ ſunt numero ſeptem, quæ hoc uerſiculo continentur.

Quid, quis, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Tot numerauit Cicero; alij addunt, circa quid, quam circunſtantiam Tullius ſub, Quid, complexus eſt: Quis deſignat attributionem perſonæ, non perſonam ipſam ſimpliciter, ſed illud attributum, quod eſt cum perſona coniunctum: ut, homo furatur, quod is, gratia exempli, ſit diues, ſapiens, iuſtitiæ miniſter, hæ ſunt perſonæ attributiones. Quid, rei ipſius circumſtantiam ſignificat; ut factum, dictum, cogitatumue non ſimpliciter, ſed quod eſt cum facto annexum: Quod furatus fuerit, eſt factum, quod pecuniam auream, aut argenteam acceperit, eſt circumſtantia: ſimiliter, ſi accipiendo, aliquid etiam detrimenti ei, a quo accepiſſet, in corpus attuliſſet. Circa quid, deſignat perſonæ ſeu obiecti attributionē, ut quod furatus ſit ei, qui parum habebat. Vbi, circumſtantiā loci, in quo res eſt, aut facta eſt; ut in loco ſacro,

ero, publico, priuato. Quibus auxilijs, his verbis, vires, potentia, perſonæ, occaſio, opportunitas, cauſſæ iuuantes, & inſtrumenta continentur: quæ argumentum a facili & difficili ſuppeditant. Cur, factæ aut faciendę rei finem deſignat, non eum qui per ſe & neceſſario cum re coniunctus eſt; ſed eum quem qui agit, propoſitum habet; ut ſi furatus eſſet, ad inferendã ignominiam, ad iram commouendam, uel ad fornicandum. Quomodo, demonſtrat modum, quo res facta fuit; vt, clam, per uim: quæ attributio explicari ſolet per auferendi caſum, vel per comparationes & ſimilitudines; ut palam occidit, cum fraude necauit, ueluti leo dilaniauit. Quãdo, tempus in quo res facta fuit; vt noctu, die, mane, veſperi. Additur a quibuſdam, Quoties, quę ſignificat numerum & iterationem: quæ attributio ad augendum & extenuandum magnam uim habet. Huc reuocares, quantum, ni ad, quid, uel circa quid referre uis. Quę omnes circumſtantiæ maximam varietatem habent, ut ſtatim dicam.

Tertia poſitio, circumſtantiarum, alię ſunt perſonarum, aliæ rerum: quæ ſunt perſonarũ, alię ſumuntur ab ijs rebus, quæ inſunt a natura, aliæ ab ijs, quæ extrinſecus accedunt, ut ſtatim explicabimus. Rurſus, naturales partim in corpore, partim in animo ſpectantur.

Item

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Greg. Nyſ. *Item, attributionum aliæ ſunt magis pręcipuæ, vt finis, & quis, aliæ vero minus præcipuæ, ut reliquæ. Sed de circumſtiarum natura, ac diuiſione diligentius conſiderent Theologi, & ij philoſophi qui mores tractant: nos ea proſequamur, quæ ad dilatandam orationem conferunt.*

Damaſc. Sco.quol. 18.

Quarta poſitio, Circumſtantiæ naturales alicuius perſonæ ex partæ corporis, ſunt fere iſtę: natio, patria, ſexus, nomen, ſub quo cognomē & prænomen continentur, genus, ętas, forma, valetudo, vires, agilitas, & proceritas. De quibus nulla affero exempla, quæ repetere poteris ex ſecundo de Inuentione libro, ubi late de omnibus attributionibus diſſeruimus: Et cum per ſe quiſque eas facile animaduertere queat, nihil eſt, cur in re manifeſta ſine neceſſitate diutius immoremur.

Quincta poſitio, attributiones naturales ex parte animi ſunt fere iſtæ: ingenij perſpicacia, memorię tenacitas docilitas, & ſtudium: quo etiam referres animi affectus, cupiditatem, metum, lętitiam, & dolorem.

Sexta poſitio, attributiones perſonæ, quæ extrinſecus per ſtudium accedunt, continent omnes artes, & ſcientias, ut eloquentiam, poeticam, philoſophiam, cęteraſque, & omnes virtutes morum; ut iuſtitiam, fortitudinem,

pruden-

prudentiam & temperantiam, & eas, quæ his ſubijciuntur ſpecies. Huc referri poſſunt quę ad bonas artes perdiſcendas conferunt, educatio, inſtitutio, conuictus, & quę ex his quodam modo proficiſcuntur: profeſſio, officium, res geſtæ, conſilia, & quæ ad bona fortunæ pertinent, diuitię, opes, clientelæ, & amici, & denique ea quæ in morte & poſt mortē ſpectantur: quæ accuratius loco citato numerantur, exponuntur, & exemplis illuſtrantur.

Septima poſitio, rei circumſtātiæ ſunt feræ iſtæ, cauſſa, locus, tēpus, occaſio, facultas, inſtrumentū, modus, adiuncta, antecedentia, coniuncta, & conſequentia. Per cauſſam intelligo excogitatam rationem aliquid faciendi, vel non faciendi, quæ ex eis rebus ſumitur, ex quibus homines ad aliquid agēdum commoueri ſolent; vt ſunt utilitas, & commodum. Vnde L. Caſſius uir eloquentiſſimus in cauſſis dubijs ſemper quærere ſolebat, Cui bono fuiſſet. Cic. pro Mil.

Octaua poſitio, locorum differentię, quarū notitia rē aliquam amplificare volenti eſt ualde neceſſaria, ſunt fere iſtę. Montanus, planus, propinquus, remotus, frequens, deſertus, maritimus, mediterraneus, conſitus, incultus, opportunus, importunus, & aliæ harum ſimiles communes attributiones. Aliæ ſunt propriæ quarundam cauſſarum; vt locus ſacer,

pro-

profanus, turpis honeſtus, publicus, priuatus, domeſticus, externus, & aliæ generis eiuſdem.

Nona poſitio, temporis partes, ſiue differentiæ, ſunt prçteritum, præſens, & futurū. Item, uer, æſtas, autumnus, hyems. Item qualitates multæ, dies, nox, meridies, ueſper. Item, tempus belli, pacis, lætitię, luctus, dies feſtus, profeſtus, &c. Ad tempus M. Tullius reuocauit Occaſionem, *quæ nihil aliud eſt, quam oportunitas faciendi, aut non faciendi aliquid: quā quidam per metaphoram hoc pacto eleganter deſcripſit,* Occaſio *eſt flos temporis.*

Decima poſitio, quamuis circunſtantiarū vſus potiſſimum ualeat in genere iudiciali, vbi per coniecturas de facto quæritur: tamen in omni cauſſa, ſi diligenter perpendantur, mirum in modum ad amplificandum conferunt, dum uel aliquid laudamus, uel ſuademus. Cæterum, illæ ſunt in omni cauſſa ſpectandę circumſtantiæ, quæ maxime rem attingunt, & vim augendæ orationis habent. Egregium de rerum attributionibus eſt hoc apud Maronem exemplum, in quo facile quiſque multas circunſtantias notaret.

Aen. lib. 1

—— Ille Sichæum,
Impius ante aras, atq; auri coecus amore
Clam ferro incautum Superat, ſecurus amorum

Ger-

Germanæ, factumque diu coelauit, & ægram
Multa malus ſimulans, vana ſpe luſit amantem.

Vndecima poſitio, bonus circunſtantiarum vſus has ſecum vtilitátes affert: Valet ad laudandum & vituperandum, ad amplificandum & extenuandum, ad energiam & euidentiam in deſcribendo, ac denique ad confirmandum et refellendum. Quædam alia huc pertinentia legere poteris libro quincto de Inuentione, capite quincto. Hæc igitur de hac amplificationis forma dixiſſe ſufficiat. Placet tamen hoc loco pulcherrimã adſcribere amplificationẽ ex circumſtantiarum conglobatione factam, qua is, qui ob ſingularem eloquentiam Chryſoſtomus eſt appellatus, Iacobi Patriarchæ luctum de Ioſephi renunciata morte, his uerbis expreſſit, Neque enim ſolum lugebat mortem, ſed etiam ipſum quoque mortis genus: plurimaq; erant, quæ illius animum confunderent; quod amatę illius coniugis filius, quod melior reliquis, quod maxime dilectus, quod in ipſo ætatis flore, quod ab eo miſſus, quod nec in domo, neque in lecto, nec patre coram aſſiſtente, nec dicens aliquid, & audiens: quod non communi morte omnium, quod viuens a ferarum immanitate diſcerptus fuerat, quod ne reliquias quidẽ illius

repe-

reperire poterat, & humo condere: iſta illi non in iuuẽtute cõtigiſſent, quando melius ferre po tuiſset, ſed in ſenectute ultima. Erat miſerandum omnino ſpectaculum, uidere canos verendos puluere fœdatos, ſenileque pectus diſciſſa tunica nudatum, lamentaq; admittentia conſolationem nullam. Scidit enim inquit, Iacob ueſtimenta ſua, & circumpoſuit cilicium lumbis ſuis, lugebatque filium diebus plurimis. Hactenus Chryſoſtomus, qui in hoc amplificationis genere, ut et in alijs fuit locupletiſſimus.

De amplificatione ab epithetis ſumpta, deque epithetorum natura. Diſput. XI.

N*VNC quoniam epitheta ſunt veluti quædam rerum circũſtantiæ, & a circumſtantijs præcipue ſumuntur; propterea de eis cum multum ad orationem dilatandã conferant, hoc loco ſcribere uolumus: quamuis alij in tractatione de Tropis, de eis agere, ſed nõ ſuo loco, ſoleant. Quæ autem nobis dicenda occurrunt, quibuſdam poſitionibus explanabimus.*

Fab. Part. *Prima poſitio, quod grẹce communi uſu dicitur epitheton, latine, adiunctum & oppoſitũ*

dici

dici poteſt: aliqui, ſequens, Cicero Additum ad nomen, Grammatici adiectiuum uocant: quãuis re vera non ſemper ſit nomen adiectiuum. Siquidem non raro nomina ſubſtantiua pro epithetis uſurpantur; ut cum dicitur, Maria virgo, Laurentius martyr, Clodius reip. peſtis, Fama malum. Et ut id quod ad rem ſiue perſonam ornandam aſſumitur, epithetum vocatur, ita epithetorum uſus, epitheſis uocari poßet.

Secunda poſitio, epithetum eſt adiectum, ſiue adiectio quædam, quæ uel nominibus, vel aduerbijs appoſita certam aliquam proprietatem eis attribuit: Vel eſt veluti quidam color, & quaſi ſplendor, quo pingitur & illuminatur oratio. Etenim, non ſecus ſe habet epithetum ad orationem, atque accidentia ad ſubſtãtiam, & veſtes ad humanum corpus, quod pro illarum varietate, uel ornatum, uel ſordidum, uel triſte, uel lætum apparet. Nec tamen exiſtimes epithetum ſolum ſingula uerba afficere, dum ea ornat, eiſque pondus tribuit, ſed etiam totam illuſtrat, & corroborat ſententiam, uimque breuis deſcriptionis habet. Vt ſi dicas, uir religione illuſtris, hiſtoria humanæ uitæ magiſtra, eſca malorum uoluptas, expultrix uitiorum philoſophia. Neque in ſola elocutione ſpectatur, ut ſi pro uiro forti, circum loquendo, uir magnę fortitudinis dicas, ſed etiam in

re

re ipſa ; ut cum dicitur Deus æternus , præpotens .

Tertia poſitio, epitheta in duabus orationis partibus ſpectantur , in nominibus, tum adiectiuis, tum ſubſtantiuis, et in aduerbÿs: illa rebus et perſonis adÿciuntur, hęc uerbis: ut, lux, lumen eloquentię : eximia , & egregia laus : affabre , celeriter fecit : neruoſe , lente, frigide diſputat .

Quarta poſitio , epitheta duabus orationis partibus adduntur, ut ex ÿs, quæ diximus colligere licet , nominibus rem perſonamue ſignificantibus , & uerbis : ut , Chriſtus Redemptor , uerboſa ſenectus , adoleſcentia pręceps, eximia uirtus , aurea ętas : eleganter dicit, copioſe ſcribit , ſcienter neſcit, & docte errat.

Iac. Omph. de elo. imit. c. de epith.

Quinta poſitio, epitheta a uarÿs omnino rebus ſumuntur, modo rem cui attribuuntur aliquo pacto attingant: ut a differentÿs, a proprietatibus, & ab attributionibus ſiue circumſtãtÿs, tum animi, tum corporis, ſi de homine loquamur, tum bonis, tum malis : ut, uir doctiſſimus, uelociſſimus : a bonis externis ; ut , a patria, Romanus; a gente , illuſtris , nobilis, generoſus : ab opibus, diues, pauper: ab actione , ut Carthaginis euerſor, humani generis Aſſertor : ab euentu , non ſolum præterito , & præſenti , ſed etiam futuro ; bis capti Phryges , miſer-

miſerrima Dido, & a ſpe: denique a quacunq; re, quæ perſonę rei ve adiacet: vt muſcoſi fontes, vir ocreatus, frondoſæ ſiluæ, & ab abſentia eorum quæ conuenire debent, aut poßunt; vt, vir inermis.

Sexta poſitio, epithetorum vis, ſiue vſus varius eſt. Etenim, modo ornant id cui adijciũtur; vt ſingularis virtus, aurea mediocritas: modo laudant, cum a rebus honeſtis ſumũtur; vt, princeps virtutum caritas, iuriſperitorum eloquentiſſimus, patriæ liberator: modo exprobrant, vel vituperant, cum a re turpi & indecora ſumuntur; vt, reip. peſtis, lues, flamma, incautus adoleſcens, hominum genus varium, atque incertum: modo augent & amplificant; vt, lumen & decus patriæ, inauditum ſcelus, depeculatorem ærarij, vexatorem Aſiæ atque Pamphiliæ, prædonem iuris urbani, labem atque perniciem reip. ſingularis & prope diuina virtus: modo minuunt; vt, o plumbeũ pugionem, id eſt rationem minime acutam, & neruoſam, homo aura mobilior, frigida bello dextera: modo terrorem incutiunt; vt, ſentiãt improbi ciues in hac vrbe eße vigilantes conſules, eſſe victricia arma, imminet atrociſſimũ bellum, & poſt hominum memoriam maximũ: modo uim & emphaſim habent ad ſententiam explanãdam; vt, erunt qui illum, ſi hoc fecerit,

Ariſt. lib. 3. Rhet.

Ver. 2.

Cat.

Cat.2. *non improbum ſed timidum, me non diligentiſ ſimum conſulem, ſed crudeliſſimum tyrannum exiſtimabunt: modo diſtinguunt; vt, nigra hirundo, ad differentiam Ripariarum, quæ ſunt hirundines non nigræ, neque ædibus aßuetę. Denique, epitheta congruenter apteque vſurpata non ſolum illuminant, ornant, & amplificāt orationem, ſed etiam mirifice delectant, & auditorem quo volunt inducunt, dum, vel ad odiū, vel ad indignationem, vel ad alios animi motus commouent; ita vt non minimam eloquentiæ partem, ſibi vendicent. Nec mirum videri debet ſi, vel perſuadent, vel delectant, cum ſæpe argumentationis uim obtineant; vt, cum dicitur, crudeliſſimum bellum imminet; deſperata ſalus, non impetrabis veniam a ſeueriſſimo iudice, & deſcriptionis, ſi multiplicentur;*

Io.Clym. *quo modo quidam ſuperbiam deſcribens dixit, Superbia eſt Dei abnegatio, aſpernatio hominum, laudum progenies, ſterilitatis argumentum, diuini adiutorij expulſio, ſtuporis præcurſor, lapſus miniſtra, caſus materia, iracundiæ fons, ſimulationis ianua, firmamentum dæmonum, delictorum cuſtos, duritiæ & crudelitatis artifex, compaſſionis & miſericordiæ ignoratio, amarus exactor, immitis iudex, Dei aduerſatrix, blaſphemiæ radix. Eodem modo elegantiſſime & veriſſime ex diuinis literis falſos*

Apo-

Apoſtolos, & hæreticos deſcriberes, Hi ſunt pecora rationis expertia, maculæ coinquinantes, fontes ſine aqua, arbores ſine fructibus, nebulę turbinibus agittatæ: qui delicijs affluũt in conuiuijs luxuriantur, inſtabiles in errores inducunt, & vana loquuntur: hi ſunt delictis infecti, voluptatum cupidi, filij maledicti, & ad aliorum perniciem nati, qui cum ſint ſerui corruptionis, vanam libertatem pollicentur, quibus merito caligo tenebrarum reſeruatur. Et betus Iudas in ſua canonica, Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua quæ auẽtis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia: quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in ęternum. Eadem ratione diuus Iacobus veram ſapientiam his verbis deſcripſit, Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt: deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, non iudicans, ſiue ſimulatione. Vbi illud admonuerim, epitheta, ea pręſertim quę ab effectis ſumuntur, etiam per verba explicari: & interdum ita eſſe alicui rei propria, vt in aliam rem transferri non queant, quæ potiſſimum rem deſcribunt. Vnde alia 2. Pet. 2.

ſunt communia, alia propria: aliquando ſimpliciter adduntur, aliquando per appoſitionẽ, & aliquando recta, aliquando obliqua oratione; vt, Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus, hoc eſt, primus.

Septima poſitio, epitheta quibuſdam figuris illuſtriora redduntur: vt ſunt hyperbole, metaphora, metonymia, quæ vim efficientis cauſſæ exprimit, diminutio, & in ſumma quæ affectum aliquem deſignant; vt, prope diuina virtus, eloquentia fluens, florida oratio, palli-
Aen.li. 6. *da mors, læta victoria, triſte bellum,*

Luctus & vultrices poſuere cubilia Curæ,
Pallenteſque habitant Morbi, triſtiſque Senectus,
Et Metus, & maleſuada Fames, & turpis Egeſtas,
Terribiles uiſu formæ, &c.

Octaua poſitio, in empithetorum uſu hæc animaduertenda ſunt. Vt ſint accomodata rebus & perſonis, earumque affectionibus, ſiue proprietatibus; ut hæc apud Virgilium, qui in hoc
Aen. li.4. *genere, vt & in alijs omnibus excelluit.*

——Hinc
Numidę infręni cingunt, & inhoſpita ſyrtis,
Hinc deſerta ſiti regio, lateque furentes Barcæi.

Ne otioſe & frigide adhibeantur, quaſi complementa quædam uerborum; quia tunc non ornant, ſed onerant orationem; cuiuſmodi ſunt illa quæ nulla energiam, habent, quæ nec augent nec minuunt, nec diſcernunt. Ne pluribus epithetis vtamur, quam par eſt; ſicut enim eorum delectus habendus eſt, ita & modus in vſu: cũ nimia frequentia orationem impediat, & plane affectatam reddat, qualis eſt Apuleiana dictio. Vt autem apta Epitheta inueniri queant, ea poterit adhiberi ratio, & proportio, vt videamus quæ Epitheta rei contrariæ tribuantur; quare, ſi apte pax tranquilla dicitur, recte bellum turbulentum dicitur: ſi lęta iuuentus, triſtis ſenectus. Vnde, ſi quis uidere uoluerit, an recte pauperem appellare poſſit humilem, uideat, an diues recte arrogans, & ſuperbus nominetur. Quod ſi contraria non occurrant, uidendum erit, an appoſitum contrarium ei, quod attribuere uis quadret: quia, ſi illud quadrat, hoc non conueniet: quare, ſi Monſtrum, apte dicitur turpe, non poterit uocari pulchrum. Verum, aliquando eidem rei ob uarias rationes, uel ob mutata accidentia, contraria Epitheta tribuere liceret: Vt mala mens, malus animus, bona mens, bonus animus: Lati & anguſti humeri: In ſumma, qui uolet apte rebus epitheta tribuere, earum proprietates, & effectus noſcat.

Ariſ. lib. 3

Ariſ. lib. 3 Rhe.

Quod de multitudine Epithetorum diximus, in rebus grauibus exprimendis uitio dandum non erit, ſi quis frequentet Epitheta, ut Cicero ſummus in hac re artifex facere cõſueuit; ſine artis oſtentatione, quaſi naturæ ductu: ut cum in Miloniana oratione exclamauit, Vos o Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor; voſque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ & æquales quas ille præceps amentia, cæcis proſtratiſque ſanctiſſimis lucis ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat, & que ſequuntur: vbi plura & pene poetica obſeruares Epitheta.

Nona poſitio, frequentior & liberior Epithetorum uſus conceditur Poetis, quam Oratoribus, modo rei conſentiant, cui adijciuntur. Quo fit, ut poetę pluribus adiunctis ſua carmina ornent, & ijs etiam utantur, quorum vſus Oratoribus eſt interdictus; ut ſunt illa, quibus rerum proprietates explicantur. Quare licet Poetę apte dicant, candidi dentes, humida uina, ueliuolum mare, lac niueum, niger coruus, durus adamas: tamen in oratione ſoluta iſta redundarent. Et ne quis in afferendis bonis Epithetis erret, eos conſulat qui bonorum auctorum Epitheta collegerunt, aut legendo ea obſeruet.

Ariſt.

Quinct.

Rauiſ.

Decima poſitio, tunc licebit Oratori Epithetis

tis uti, quando emphaſim quandam, orationi afferent, & ſpeciatim, cum uim argumentationis habebunt; ut, ſi diceres, Dixerit hoc vir veraciſſimus, a uiro iniuſtiſſimo factam fuiſſe iniuriam: uir prudentiſſimus poterit tibi proſpicere: quam ob cauſſam in citandis auctoribus adhiberi ſolent: atque etiam cum rerum proprietates quaſdam & hominum officia, parteſque deſignant: Vt, Pontifex Max. Cardinalis illuſtriſſime, Sacra maieſtas, uir clariſſime; quæ attributiones, ſi remoueantur, oratio nuda & turpis redderetur: quo fit, ut interdum omnino uſurpanda ſint. Præterea, cum adhibendus eſt motus, aduerſariuſque vrgendus: tunc enim et pluribus, & maioribus, & pene poeticis epithetis, iunctiſque ſiue compoſitis nominibus uti licebit: ut fecit Tullius cum dixit, Et cum iſto ore fœcido teterrimam nobis popinam inhalaſſes. In Piſ. *Item, Tu ex tenebricoſa popina Conſul extractus, cum illa Saltatrice tonſa. Item, Illud funeſtum animal ex nefarijs ſtupris, ex ciuili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum. Denique irriſionis, ſiue ioci cauſſa; ut, Cicero, hoc in loco, Nobilitate ipſa blanda conciliatricula commendatus:* Ariſt. *Item, Nam nunquam hera errans hanc moleſtiam nobis exhiberet, Medæa animo ægra, amore ſæuo ſaucia.* Pro P. Seſ. *Ratio autem cur ma-*

gis Poetis, quam oratoribus epithetorũ uſus ſit conceſsus, ea eſſe poteſt, quod poeſis res eſt quędam diuina, & a quodam furore proficiſcitur, ac proinde in verborum uſu liberior.

Duodecima poſitio, hæc dilatandæ orationis ratio præcipue ortum habet a locis attributorum, propriorum, & effectorum. Atque de epithetorum natura & vſu hęc dixiſſe uolui: de quibus ideo paullo fuſius egi, quod eorũ cognitio ſit ad ornate, copioſe, apteque dicendum maxime neceſſaria.

De ratione augendę orationis per exempla, & ſimilitudines. Diſp. XII.

CVM exemplorum uſus in omni dicendi genere, tum ad fidem faciendam, tum ad orationem amplificandam ſit maximus: propterea de hoc ampliandæ orationis loco nobis priuatim diſputandum eſſe exiſtimauimus: De quo quæ occurrunt dicenda ſequentibus poſitionibus complectemur.

Suſ. *Prima poſitio, exẽplum, græce paradigma hoc pacto deſcribi ſolet, Paradigma eſt enarratio exempli hortantis, aut dehortantis.* Fab. *Fabius hoc modo, Padigma eſt rei geſtę, aut ut geſtę utilis ad perſuadendum idquod intenderis*

comme-

commemoratio. Alij hac ratione, exemplum eſt alicuius facti aut dicti præteriti, cum certi auctoris nomine propoſitio. Exemplum itaque eſt, cum ex hiſtoria aliquid affertur, uel faciendi, uel vitandi, vel illuſtrandi, amplificandique cauſſa. Lud.Grā.

Secunda poſitio, exemplorum triplex eſt ratio: alia enim ſunt ſimilia, alia diſſimilia, alia contraria: item, alia paria, alia maiora, alia minora. Diſſimilitudo & inæqualitas conſtat, genere, modo, tempore, loco, cęteriſque ferme circumſtantijs, de quibus ſupra ſcripſimus.

Tertia poſitio, exempla præcipue ſumenda ſunt ex hiſtorijs & experimentis, ac etiam ex poetis. Dixi præcipue, quoniam, vt quibuſdam placet, etiam ex effectis rerum ratione ſenſuq; carentium ſumi poſſunt: ut, ſi diceres, Si quod arbor genuit alet, mater ſuos liberos non alet? Si formica congregat in æſtate, quod comedat in hyeme, idem homo intelligentia præditus non efficiet? Nec propterea idem erit quod ſimilitudo; quia ſimilitudo rem obſcuram per magis claram dilucidat, hoc modo: vt arbor exciſa repullulat; ſic malum, ſi peritus tollas non renaſcitur: quod non facit exemplum. Cęterum, exempli nomen priuatim illud meretur argumentum, Quod ex aliquo humano facto ſumitur;

Lib. 9. epiſt. 14. *ſumitur; vt eſt hoc apud Ciceronem; Eſt autem non alienum a dignitate tua, quod ipſi Agamemnoni Regum regi fuit honeſtum, habere aliquem in conſilijs capiundis Neſtorem: mihi vero glorioſum te iuuenẽ Conſulem florere laudibus, quaſi alumnum diſciplinæ meæ.*

Quarta poſitio, illa potiſſimum exempla ad amplificandum aſſumere oportet, quæ antiquiora, & illuſtriora ſunt: noua etiam uim ſuam habent. Tunc autem plus neruorum continent, ſiue noua, ſiue vetera ſint, ſi domeſtica fuerint, hoc eſt, ſi ex ſua natione, genere, profeſſione, familiaue deprompta fuerint: ſi tamen cętera erunt paria.

Quincta poſitio, exempla has præcipue virtutes habent. Rem ornatiorem faciunt, cum nullius rei, niſi dignitatis cauſſa ſumuntur: apertiorem reddunt, ob eam, quam habent cũ re cui applicantur ſimilitudinem: probabilitatem afferunt, cum vim argumenti continent: animos priuata quadam ratione commouent, præſertim cum de uita inſtituenda, de moribus, de virtutibus, de religione in Deum, de caritate in parentes, de officio in amicos, de rebus aduerſis tollerandis, de laboribus ſuſcipiendis agitur. In his itaque rebus magis exempla, quam documenta mouent.

Sexta poſitio, exempla duobus modis tractari poſ-

ri poſſunt: aliquando quidem breuiter, cum res notior eſt, quam ut longiorem orationem deſiderет, & cum potius probandi, quam amplificandi ornandiue cauſsa adducuntur: aliquando vero fuſius ac uberius cum orationem dilatare uolumu; ut ſequenti poſitione docebo.

Septima poſitio, exempla his præcipue modis dilatanda ſunt. Primo, a commendatione perſonæ, vel gentis, uel auctoris, vnde ſummuntur: Vt ſi ex Romanorum geſtis ex Plutarchi ſcriptis ſumantur, illius populi ſingularis virtus, atque prudentia, & huius ſcriptoris grauiſſima auctoritas commendanda eſſet. Ea autem quæ adhibebitur commendatio, rei ad quam confirmandam ſumitur exemplum, accommodanda erit. Vt ſi in exemplo fides deſiderabitur, auctor a fide laudandus erit: ſi religio, a pietate: ſi vetuſtas, a vetuſtate, & ſic de cęteris. Tunc autem priuatim commēdatione opus erit, cum exemplum a fabulis fuerit depromptū, demonſtrando a primis illis ſapientibus nō fuiſſe temere quicquam fictum, & quid allato exemplo ſignificare voluerint. Vt ſi Gigantum fabulam afferres ad deterrendum hominem, ne quid contra Dei præſcriptum aggredi vellet, quaſi cum Deo pugnaturus. Deinde, per exaggerationem, adhibita contentione collationeue imparium ac diſſimilium; in qua contentione

confi-

conficienda hæc animaduertenda ſunt. Primum, laudaturus perſonam, aut rem aliquam, confer illam cum alia; vt Ciceronem cum Demoſthene, Pompeium cum Cæſare, & Conſulatum Ciceronis, cum conſulatu L. Piſonis, vt ornatiſſime ipſe Tullius fecit. Deinde iſta contentio fieri poteſt cum multis rebus eiuſdem ordinis; ut ſi Theologiam laudaturus, eam cum cæteris ſcientijs comparares: quo etiam modo latinus Orator Cæſaris in M. Marcellum clementiam mirifice commendauit, eam cum cæteris illius præclare geſtis conferendo. Præterea, lepidiſsima eſt illa contentio, cum aliquid prius copioſe laudamus, vt poſtea id, quo cum conferre volumus, adhuc magis efferamus, æquando, aut certe præferendo: vt ſi bonum principem cum Traiano, aut improbum cum Nerone conferres. Ad hæc, maximam habet dignitatem illa exempli comparatio, cum multa in aliquo laudaturi, plures ſumimus perſonas aliqua priuata virtute illuſtres, & a ſingulis quod in illis eſt præcipuum ſumimus, & huic tribuimus: Vt ex Abrahamo fidem, ex Ioſepho conſtantiam, ex Iobo patientiam, ex Moyſe manſuetudinē, ex Sanſone fortitudinem; & ex Salomone ſapientiam. Atque hæc perſonarum contentio cum laudamus & vituperamus ad genus pertinet demonſtratiuum: vbi illud animaduertendum

In Piſ.

Ari. lib. 1. Met.

dum

dum erit, vt quæ adhibentur ad comparationem ſint manifeſta atque inſignia. Iam vero, cum duo inter ſe per contentionem amplificare volumus, ſpectandæ erunt vtriuſque rei, ſiue perſonę attributiones, & circumſtantiæ, quæ poſtea copioſe & ornate explicandæ, atque cōferendæ erunt. Vt ſi quiſpiam exemplo Chriſti ad huius vitæ cruciatus præferendos hortandus eſſet, in vnriuſque perſona hæ poſſent circumſtantiæ ſpectari: Ille innocens, hic nocens: ille ab amicis, hic ab inimicis: ille pro alijs, hic pro ſe: ille in omni bonorum genere, hic in bonis fortunæ tantum: ille maximos, hic leuiſſimos: ille publice, hic priuate: ille toto vitæ tempore, hic breui temporis ſpatio: ille denique pro inimicis orauit, hic Deo maledicit. Vt autem hæ contentiones magis illuſtrentur, adhiberi poterunt ſententiæ, & acclamationes; vt in allato exemplo iſtæ, Virtus in infirmitate perficitur: Antidotum vitæ patientia: Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit, vel aliæ ſimiles. Item, ſi quem ad animi pulchritudinem conſeruandam hortari uelles ab ea cura qua vanæ mulieres corporis venuſtatem augere conantur, per rerum contentionem ad hunc modum hoc exemplum dilatare poſſes, vt nos libro de Viro iuſto fecimus. Illa pulchritudo eſt in carne, hęc in anima: illa a natura

natu-

naturaliter, hæc ab auctore naturæ ſupernatu raliter : illa ſine virtute habetur, hæc ſine virtute non acquiritur : illa corruptibilis & momentaneâ, hæc ex ſe incorruptibilis & perpetua : illa ſępe peccandi occaſionem prębet, hæc a peccato præſeruat, & ad bene agendũ iuuat, illa eſt quædam pulchritudinis umbra, hæc pulchritudo vera : illa homines delectat, hæc Deum ad amorem rapit. Quod attinet ad ſententias, hæ vel harum ſimiles interſeri poſſent. Nil virtute pulchrius : Tanta eſt honeſti forma, ut ſi oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret.

Faſtus eſt in pulchris, ſequitur ſuperbia formam.

Quo loco illud obiter admonuerim, vbi per contentionem aliquid ad ſummum deductum fuerit, opera danda eſt, vt aliquarum circumſtantiarum adiectione, res adhuc maior fiat; quam conſuetudinem in bonis auctoribus facile obſeruares. Denique, illud de exemplorum tractandorum ratione dixerim, elegantiſſime Socratico more exempla per inductionem tractari, hoc modo, Quid emolumenti ſumma eloquentia attulit Demoſtheni? Quid vtilitatis T. & C. Gracchis? quid præmij Antonio? quid denique facundiæ Romanæ parenti, niſi acerbam & miſerandam mortem? I nunc, & ſummis vi-

vigilijs tibi eam facultatem compara, quæ præſtantiſſimis quibuſque viris ſemper exitio fuit. Huc pertinet amplificatio illa ab exemplorum inductione, enumerationeve apud Horatium, qua virtute præditum virum nihil extimeſcere confirmat.

Hac arte Pollux, & vagus Hercules Lib. 3. Ode 3.
Innixus, arces attigit igneas:
Quos inter Auguſtus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuę
Vexere tigres, indocili iugum
Collo trahentes. Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,
Gratum elocuta conſiliantibus
Iunone diuis.

Et quoniam eadem fere eſt exemplorum & ſimilium amplificandi ratio, nunc de ſimilibus ſubijciemus aliquid.

Octaua poſitio, ſimilitudo eſt oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile: vel eſt rerum diuerſarum inter ſe collatarum ſimilis quædam affectio: quæ quattuor de cauſſis potiſſimum adhibetur; nimirum ornandi, probandi, apertius aliquid dicendi, aut ante oculos ponendi cauſſa. Auctor Her. li. 4.

Nona poſitio, ſimilitudo quattuor modis ducitur: per contrarium, ſeu diſſimile ad ornandum,

dum,

dum, per negationem ad probandum, per breuitatem ad aliquid apertius dicendum, & per collationem ad aliquam rem ab oculos ponendum: quos modos nunc ſingulis exemplis illuſtrabo. De primo, Non omne vinum, ſic omnis ętas vetuſtate coaceſcit. Item, Non enim vt domus noua, aut nauis, aut etiam veſtis melior eſt, uetuſtate vel ſenio confecta; ita melior nouus amicus, quam antiquus. Dicitur hoc ſimile ductum a contrario, quod negemus rem adductam ei ſimilem eſſe, quam probamus.

Cic. in Cat.

Auct.Her.

De ſecundo, Neque equus indomitus quamuis natura bene compoſitus ſit, idoneus poteſt eſſe ad eas vtilitates, quæ deſiderantur ab equo; neque homo indoctus, quamuis ſit ingenioſus ad virtutem peruenire poteſt. Hoc poſtremum ſit probabile propter illud primum ſimile: & ideo probationis cauſſa ſumptum eſſe dicitur, De tertio, In amicitia gerenda, ſicut in certamine currendi, non ita conuenit exerceri, vt quoad neceſſe ſit, peruenire poſſis: ſed vt productus ſtudio & viribus vltra facile procurras. Adducitur hoc ſimile, vt planius intelligatur errare eos, qui nihil amici cauſſa poſt eius obitum faciendum putant: & hoc breuiter, cum vtręque res coniunctę enuncientur. De quarto, vti citharoedus, cum prodierit optime veſtitus, palla inaurata indutus,

cum clamyde purpurea, coloribus varijs intexta, & cum corona aurea magnis ſulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam, auro & colore diſtinctam, ipſe præterea forma & ſpecie ſui, & ſtatura appoſita ad dignitatem; ſi, cum magnam populo commouerit his rebus expectationem, repente ſilentio facto, uocem emittat acerbiſſimam, cum turpiſſimo corporis motu, quo melius ornatus, & magis fuerit expectatus, eo magis deriſus, & contemptus eijcitur: ita ſi quis in excelſo loco, & in magnis, ac locupletibus copijs collocatus, fortunę muneribus & naturę commodis omnibus abundabit, ſi virtutis, & artium, quæ virtutis magiſtræ ſunt, egebit; quo magis cæteris rebus erit copioſus, & illuſtris & expectatus, eo vehementius deriſus & contemptus ex omni conuentu bonorum eijcietur. Hoc ſimili, rebus vtriuſque perſonæ inter ſe collatis, quod volumus, facile ob oculos ponitur.

Decima poſitio, vt ſimilitudo debet eſſe accommodata rei, ad quam transfertur, ita etiam verba, quibus ipſa ſimilitudo explicatur, vt in ſequenti patebit exemplo. Vt hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt: ita falſi amici ſereno vitæ tempore prompti adſunt; qui tamen ſtatim atq; aduer-

Quod de multitudine Epithetorum diximus, in rebus grauibus exprimendis uitio dandum non erit, ſi quis frequentet Epitheta, ut Cicero ſummus in hac re artifex facere cōſueuit; ſine artis oſtentatione, quaſi naturæ ductu: ut cum in Miloniana oratione exclamauit, Vos o Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor; voſque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ & æquales quas ille præceps amentia, cæcis proſtratiſque ſanctiſſimis lucis ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat, & que ſequuntur: vbi plura & pene poetica obſeruares Epitheta.

Nona poſitio, frequentior & liberior Epithetorum uſus conceditur Poetis, quam Oratoribus, modo rei conſentiant, cui adijciuntur. Quo fit, ut poetę pluribus adiunctis ſua carmina ornent, & ijs etiam utantur, quorum vſus Oratoribus eſt interdictus; ut ſunt illa, quibus rerum proprietates explicantur. Quare licet Poete apte dicant, candidi dentes, humida uina, ueliuolum mare, lac niueum, niger coruus, durus adamas: tamen in oratione ſoluta iſta redundarent. Et ne quis in afferendis bonis Epithetis erret, eos conſulat qui bonorum auctorum Epitheta collegerunt, aut legendo ea obſeruet.

Ariſt.

Quinct.

Rauiſ.

Decima poſitio, tunc licebit Oratori Epithe-

tis

tis uti, quando emphaſim quandam, orationi af ferent, & ſpeciatim, cum uim argumentationis habebunt; ut, ſi diceres, Dixerit hoc vir veracissimus, a uiro iniuſtiſſimo factam fuiſſe iniuriam: uir prudentiſſimus poterit tibi proſpicere: quam ob cauſsam in citandis auctoribus adhiberi ſolent: atque etiam cum rerum proprietates quaſdam & hominum officia, parteſque deſignant: Vt, Pontifex Max. Cardinalis illuſtriſſime, Sacra maieſtas, uir clariſſime; quæ attributiones, ſi remoueantur, oratio nuda & turpis redderetur: quo fit, ut interdum omnino uſurpanda ſint. Præterea, cum adhibendus eſt motus, aduerſariuſque vrgendus: tunc enim et pluribus, & maioribus, & pene poeticis epithetis, iunctiſque ſiue compoſitis nominibus uti licebit: ut fecit Tullius cum dixit, Et cum iſto ore fecido teterrimam nobis popinam inhalaſſes. In Piſ. *Item, Tu ex tenebricoſa popina Conſul extractus, cum illa Saltatrice tonſa. Item, Illud funeſtum animal ex nefarijs ſtupris, ex ciuili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum. Denique irriſionis, ſiue ioci cauſſa; ut, Cicero, hoc in loco, Nobilitate ipſa blanda conciliatricula commendatus:* Ariſt. *Item, Nam nunquam hera errans hanc moleſtiam nobis exhiberet, Medæa animo ægra, amore ſæuo ſaucia. Ratio autem cur ma-* Pro P. Seſ.

gis Poetis, quam oratoribus epithetorũ uſus ſit conceſsus, ea eſſe poteſt, quod poeſis res eſt quędam diuina, & a quodam furore proficiſcitur, ac proinde in verborum uſu liberior.

Duodecima poſitio, hæc dilatandæ orationis ratio præcipue ortum habet a locis attributorum, propriorum, & effectorum. Atque de epithetorum natura & vſu hęc dixiſſe uolui: de quibus ideo paullo fuſius egi, quod eorũ cognitio ſit ad ornate, copioſe, apteque dicendum maxime neceſsaria.

De ratione augendę orationis per exempla, & ſimilitudines. Diſp. XII.

CVM exemplorum uſus in omni dicendi genere, tum ad fidem faciendam, tum ad orationem amplificandam ſit maximus: propterea de hoc ampliandæ orationis loco nobis priuatim diſputandum eſse exiſtimauimus: De quo quæ occurrunt dicenda ſequentibus poſitionibus complectemur.

Prima poſitio, exẽplum, græce paradigma Suſ. *hoc pacto deſcribi ſolet, Paradigma eſt enarratio exempli hortantis, aut dehortantis. Fa*Fab.*bius hoc modo; Padigma eſt rei geſtę, aut ut geſtę utilis ad perſuadendum idquod intenderis*

comme-

commemoratio. Alij hac ratione, exemplum eſt alicuius facti aut dicti præteriti, cum certi auctoris nomine propoſitio. Exemplum itaque eſt, cum ex hiſtoria aliquid affertur, uel faciendi, uel vitandi, vel illuſtrandi, amplificandique cauſſa. Lud.Graſ.

Secunda poſitio, exemplorum triplex eſt ratio: alia enim ſunt ſimilia, alia diſſimilia, alia contraria: item, alia paria, alia maiora, alia minora. Diſſimilitudo & inæqualitas conſtat, genere, modo, tempore, loco, cęteriſque ferme circumſtantijs, de quibus ſupra ſcripſimus.

Tertia poſitio, exempla præcipue ſumenda ſunt ex hiſtorijs & experimentis, ac etiam ex poetis. Dixi præcipue, quoniam, vt quibuſdam placet, etiam ex effectis rerum ratione ſenſuq; carentium ſumi poſſunt: ut, ſi diceres, Si quod arbor genuit alet, mater ſuos liberos non alet? Si formica congregat in æſtate, quod comedat in hyeme, idem homo intelligentia præditus non efficiet? Nec propterea idem erit quod ſimilitudo; quia ſimilitudo rem obſcuram per magis claram dilucidat, hoc modo: vt arbor exciſa repullulat; ſic malum, ſi peritus tollas non renaſcitur: quod non facit exemplum. Cęterum, exempli nomen priuatim illud meretur argumentum, Quod ex aliquo humano facto

ſumitur;

Lib. 9. epiſt. 14. *ſumitur; vt eſt hoc apud Ciceronem; Eſt autem non alienum a dignitate tua, quod ipſi Agamemnoni Regum regi fuit honeſtum, habere aliquem in conſilijs capiundis Neſtorem: mihi vero glorioſum te iuuenē Conſulem florere laudibus, quaſi alumnum diſciplinæ meæ.*

Quarta poſitio, illa potiſſimum exempla ad amplificandum aſſumere oportet, quæ antiquiora, & illuſtriora ſunt: noua etiam uim ſuam habent. Tunc autem plus neruorum continent, ſiue noua, ſiue vetera ſint, ſi domeſtica fuerint, hoc eſt, ſi ex ſua natione, genere, profeſſione, familiaue deprompta fuerint: ſi tamen cętera erunt paria.

Quincta poſitio, exempla has præcipue virtutes habent. Rem ornatiorem faciunt, cum nullius rei, niſi dignitatis cauſſa ſumuntur: apertiorem reddunt, ob eam, quam habent cū re cui applicantur ſimilitudinem: probabilitatem afferunt, cum vim argumenti continent: animos priuata quadam ratione commouent, præſertim cum de uita inſtituenda, de moribus, de virtutibus, de religione in Deum, de caritate in parentes, de officio in amicos, de rebus aduerſis tollerandis, de laboribus ſuſcipiendis agitur. In his itaque rebus magis exempla, quam documenta mouent.

Sexta poſitio, exempla duobus modis tractari poſ-

ri poſſunt: aliquando quidem breuiter, cum res notior eſt, quam ut longiorem orationem deſideret, & cum potius probandi, quam amplificandi ornandiue cauſſa adducuntur: aliquando vero fuſius ac uberius cum orationem dilatare uolumu; ut ſequenti poſitione docebo.

Septima poſitio, exempla his præcipue modis dilatanda ſunt. Primo, a commendatione perſonæ, vel gentis, uel auctoris, vnde ſummuntur: Vt ſi ex Romanorum geſtis ex Plutarchi ſcriptis ſumantur, illius populi ſingularis virtus, atque prudentia, & huius ſcriptoris grauiſſima auctoritas commendanda eſſet. Ea autem quæ adhibebitur commendatio, rei ad quam confirmandam ſumitur exemplum, accommodanda erit. Vt ſi in exemplo fides deſiderabitur, auctor a fide laudandus erit: ſi religio, a pietate: ſi vetuſtas, a vetuſtate, & ſic de cęteris. Tunc autem priuatim commēdatione opus erit, cum exemplum a fabulis fuerit depromptū, demonſtrando a primis illis ſapientibus nō fuiſſe temere quicquam fictum, & quid allato exemplo ſignificare voluerint. Vt ſi Gigantum fabulam afferres ad deterrendum hominem, ne quid contra Dei præſcriptum aggredi vellet, quaſi cum Deo pugnaturus. Deinde, per exaggerationem, adhibita contentione collationeue imparium ac diſſimilium; in qua contentione

conſi-

conficienda hæc animaduertenda ſunt. **Primum**, *laudaturus perſonam, aut rem aliquam, confer illam cum alia; vt Ciceronem cum Demoſthene, Pompeium cum Cæſare, & Conſulatum Ciceronis, cum conſulatu L. Piſonis, vt ornatiſſime ipſe Tullius fecit.* **Deinde** *iſta contentio fieri poteſt cum multis rebus eiuſdem ordinis; ut ſi Theologiam laudaturus, eam cum cæteris ſcientijs comparares: quo etiam modo latinus Orator Cæſaris in M. Marcellum clementiam mirifice commendauit, eam cum cæteris illius præclare geſtis conferendo.* **Præterea**, *lepidiſsima eſt illa contentio, cum aliquid prius copioſe laudamus, vt poſtea id, quo cum conferre volumus, adhuc magis efferamus, æquando, aut certe præferendo: vt ſi bonum principem cum Traiano, aut improbum cum Nerone conferres.* **Ad hæc**, *maximam habet dignitatem illa exempli comparatio, cum multa in aliquo laudaturi, plures ſumimus perſonas aliqua priuata virtute illuſtres, & a ſingulis quod in illis eſt præcipuum ſumimus, & huic tribuimus: Vt ex Abrahamo fidem, ex Ioſepho conſtantiam, ex Iobo patientiam, ex Moyſe manſuetudinē, ex Sanſone fortitudinem, & ex Salomone ſapientiam. Atque hæc perſonarum contentio cum laudamus & vituperemus ad genus pertinet demonſtratiuum: vbi illud animaduertendum*

In Piſ.

Ari. lib. 1. Met.

dum

dum erit, vt quæ adhibentur ad comparationem ſint manifeſta atque inſignia. Iam vero, cum duo inter ſe per contentionem amplificare volumus, ſpectandæ erunt vtriuſque rei, ſiue perſonę attributiones, & circumſtantiæ, quæ poſtea copioſe & ornate explicandæ, atque cõferendæ erunt. Vt ſi quiſpiam exemplo Chriſti ad huius vitæ cruciatus præferendos hortandus eſſet, in vnriuſque perſona hæ poſſent circumſtantiæ ſpectari: Ille innocens, hic nocens: ille ab amicis, hic ab inimicis: ille pro alijs, hic pro ſe: ille in omni bonorum genere, hic in bonis fortunæ tantum: ille maximos, hic leuiſſimos: ille publice, hic priuate: ille toto vitæ tempore, hic breui temporis ſpatio: ille denique pro inimicis orauit, hic Deo maledicit. Vt autem hæ contentiones magis illuſtrentur, adhiberi poterunt ſententiæ, & acclamationes; vt in allato exemplo iſtæ, Virtus in infirmitate perficitur: Antidotum vitæ patientia: Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit, vel aliæ ſimiles. Item, ſi quem ad animi pulchritudinem conſeruandam hortari uelles ab ea cura qua vanæ mulieres corporis venuſtatem augere conantur, per rerum contentionem ad hunc modum hoc exemplum dilatare poſſes, vt nos libro de Viro iuſto fecimus. Illa pulchritudo eſt in carne, hęc in anima: illa a natura

natu-

naturaliter, hæc ab auctore naturæ ſupernatu raliter: illa ſine virtute habetur, hæc ſine virtute non acquiritur: illa corruptibilis & momentanea, hæc ex ſe incorruptibilis & perpetua: illa ſępe peccandi occaſionem prębet, hæc à peccato præſeruat, & ad bene agendū iuuat, illa eſt quædam pulchritudinis umbra, hæc pulchritudo vera: illa homines delectat, hæc Deum ad amorem rapit. Quod attinet ad ſententias, hæ vel harum ſimiles interſeri poſſent. Nil virtute pulchrius: Tanta eſt honeſti forma, ut ſi oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret.

Faſtus eſt in pulchris, ſequitur ſuperbia formam.

Quo loco illud obiter admonuerim, vbi per contentionem aliquid ad ſummum deductum fuerit, opera danda eſt, vt aliquarum circumſtantiarum adiectione, res adhuc maior fiat; quam conſuetudinem in bonis auctoribus facile obſeruares. Denique, illud de exemplorum tractandorum ratione dixerim, elegantiſſime Socratico more exempla per inductionem tractari, hoc modo, Quid emolumenti ſumma eloquentia attulit Demoſtheni? Quid vtilitatis T. & C. Gracchis? quid præmij Antonio? quid denique facundiæ Romanæ parenti, niſi acerbam & miſerandam mortem? I nunc, & ſummis

vi-

vigilijs tibi eam facultatem compara, quæ præſtantiſſimis quibuſque viris ſemper exitio fuit. Huc pertinet amplificatio illa ab exemplorum inductione, enumerationeve apud Horatium, qua virtute præditum virum nihil extimeſcere confirmat.

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
 Innixus, arces attigit igneas:
 Quos inter Auguſtus recumbens
 Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuę
 Vexere tigres, indocili iugum
 Collo trahentes. Hac Quirinus
 Martis equis Acheronta fugit,
Gratum elocuta conſiliantibus
 Iunone diuis. Lib. 3. Ode 3.

Et quoniam eadem fere eſt exemplorum & ſimilium amplificandi ratio, nunc de ſimilibus ſubijciemus aliquid.

Octaua poſitio, ſimilitudo eſt oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile: vel eſt rerum diuerſarum inter ſe collatarum ſimilis quædam affectio: quæ quattuor de cauſſis potiſſimum adhibetur; nimirum ornandi, probandi, apertius aliquid dicendi, aut ante oculos ponendi cauſſa. Auctor Her. li. 4.

Nona poſitio, ſimilitudo quattuor modis ducitur: per contrarium, ſeu diſſimile ad ornandum,

cum clamyde purpurea, coloribus varijs intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam, auro & colore diſtinctam, ipſe prǽterea forma & ſpecie ſui, & ſtatura apposita ad dignitatem; ſi, cum magnam populo commouerit his rebus expectationem, repente ſilentio facto, uocem emittat acerbiſſimam, cum turpiſſimo corporis motu, quo melius ornatus, & magis fuerit expectatus, eo magis deriſus, & contemptus eijcitur: ita ſi quis in excelſo loco, & in magnis, ac locupletibus copijs collocatus, fortunę muneribus & naturę commodis omnibus abundabit, ſi virtutis, & artium, quæ virtutis magiſtræ ſunt, egebit; quo magis cæteris rebus erit copioſus, & illuſtris, & expectatus, eo vehementius deriſus & contemptus ex omni conuentu bonorum eijcietur. Hoc ſimili, rebus vtriuſque perſonæ inter ſe collatis, quod volumus, facile ob oculos ponitur.

Decima poſitio, vt ſimilitudo debet eſſe accommodata rei, ad quam transfertur, ita etiam verba, quibus ipſa ſimilitudo explicatur, vt in ſequenti patebit exemplo. Vt hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedunt: ita falſi amici ſereno vitæ tempore prompti adſunt; qui tamen ſtatim atq; aduer-

ſæ fortunæ hyemem præſenſerint, deuolant.

Vndecima poſitio, ſimilitudines, ſicuti & exempla dupliciter tractari poſſunt; vno modo breuiter etiam vno vel altero verbo; vt Laua me ab iniquitate mea: deſine lapidem lauare; vbi ſola allegoria, uel metaphora cernitur: aliquando oratione; cum explicatur, & applicatur ſimilitudo: vt ecce, quod ſi e portu ſoluentibus, qui iam in portum ex alto inuehuntur, prædicere ſummo ſtudio ſolent tempeſtatum rationem, & prędonum, & locorum: quod natura fert, vt faueamus qui eadem pericula quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur; quo me tandem animo eſſe oportet prope iam ex magna iactatione terram uidentem, in hunc, cui video maximas tempeſtates eſſe ſubeūdas. Hanc Ciceronianam ſimilitudinem, vt aliud ſubijciamus exemplū his verbis egregie diuus Hieronymus aliquando imitatus eſt. Et ego non integris rate & mercibus moneo: ſed quaſi nuper naufragio eiectus in litus timida nauigaturis uoce denuntio, In illo ęſtu charybdis luxurię ſalutem vorat: ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia, ſcyllęum renidens libido blanditur: hic barbarum litus: hic diabolus pyrata cum ſocijs portat vincula capiendis: nolite credere, & quæ apud ipſum ſequuntur. In hoc & ſimilibus exemplis, ſi quis

Pro Mur.

Epiſt. ad Heliod.

peri-

pericula quæ ab improbis, uel a vitijs, vel aliũ de bonis moribus imminent, conferre vellet, cũ ijs quæ in nautica vita contingunt, vt inde aliquid maius, aut minus, diſſimile, contrarium ve colligeret, ſumptum ſimile latiſſime explicaret: Quædam præclara exempla, ſi quis volet, Françonis Abbatis in ſuos libros de gratia, elegantes præfationes legat. Tractantur etiam eleganter, ſimilia per inductionem, hoc modo. Vt a ſolis luce radius ſeiunctus extinguitur, & palmes a vite abſciſsus ſiccatur, & riuulus a fonte ſeparatus areſcit, ita humana mens a Dei luce, a Chriſto vera vite, & a fonte diuinæ gratiæ remota, areſcit, ac deficit. Quod tamen exemplum pluribus poßet tractari uerbis, ſicuti & hoc alterum. Vt nauta melius de nauigio diſputabit, quam medicus, & medicus de pharmacis, quam pictor; & pictor, de coloribus, quam ſutor, & hic de ueſtibus longe melius quam auriga, profecto quiſque ea de re melius dicet, quam melius nouit.

Duodecima poſitio, ad hunc amplificationis locum reuocare licet, amplificationem ſumptam a parabola, quam Cicero collationem vocat, ab analogia, ſiue proportione, & conuenientia, & ab imagine: de quibus, quod attinet ad dilatandi rationem, nihil ſpeciatim dicendum occurit. Nam parabola idem eſſe

videtur quod exemplū, ſiue ſimilitudo ſumpta ab ijs quæ fiunt, natura, uel caſu rebus adiunctis: quæ tamen nunquam eſt ſine metaphora. Exempli gratia, ut nauta pro uentorum ratione, modo uela tollit, modo contrahit: ita uir ſapiens tempori cedere debet. Quare huc referre poſſes exemplum illud ſupra allatum ex oratione pro L. Murena. In parabola itaque tractanda orationem dilatare poſſumus per ſimile, diſſimile, contrarium, maius, atque minus. Quod attinet ad Analogiam, quæ eſt affectionis unius rei ad alteram collatio, tale ſit exemplum. Et quemadmodum diſciplina militaris poſtulat, ut homines fortitudine conſpicui & uiribus ualidi in militiam allegentur, molles & timidi exautorentur, & a caſtris propellantur: ita adminiſtrationis ciuilis leges iubent magiſtratus, honores mandari uiris, qui ualent ingenio, & pollent ſana iuris prudentiæ ſcientia, rudes uero & ignaros excludi, omnique publico honore priuari. Et a diſſimili proportione, Non eſt animus in homine ſicuti gubernator in naui: eſt enim ille pars quædam intima atque neceſſaria: hic uero moderator externus. De imagine, quæ eſt ueluti quædam breuis ſimilitudo, huiuſmodi eſt exemplum, Rudis rerum politicarum, ut imperitus nauta reip. nauim peruertit: quod ſi uberius per contentionem idem

explices, erit collatio, hoc modo. Quemadmodum inſcius rei naualis gubernator trepidabit, & quo ſe uertat, tempeſtate ſeueriore oborta, neſciet, ſeque & uectores una cum naui euertet: ita rerum politicarum rudis, quando ad difficiliores conſultationes ueniet, ſeque & remp. in grauiſſima pericula præcipitabit. Item, ſicut unda undam pellit, ita dies diem trudit, hæc imago eſt: quam amplificando ſic una cum Ouidio, in collationem conuerteres.

——Vt unda pellitur unda,
Vrgeturque eadem ueniens, urgetque priorem, Lib. 15. Met.
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterque ſequuntur.
Et noua ſunt ſemper: nam quod fuit ante relictum eſt.
Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta nouantur.

Et quoniam exempla & ſimilitudines per ſententiarum acclamationumque ad rem accommodatarum interpoſitiones amplificari poſſe diximus, de hac re tale ſubijcio exemplum. Vt quo pretioſior eſt res, hoc & diligentius ſolet adſeruari, & impendi circumſpectius; ita temporis, qno nihil eſt pretioſius, ſumma habenda eſt ratio; ne quid effluat ſine fructu. Etenim ſicut curatores dari ſolent ijs, qui gemmas &

aurum temere profundunt; quæ tandem erit inſania tempus pulcherrimũ immortalis Dei munus, aut otio, aut inhoneſtis ſtudijs turpiter conſumere? Quid enim perdis, cum tempus perdis niſi uitam? At uita quid eſſe poteſt carius? Et cum una gemmula perit, iacturam uocas: cum totus perit dies, hoc eſt, bona uitæ portio, iacturam non uocas? Præſertim cum illa perdita aliunde poſſit recuperari, temporis irreparabilis ſit iactura. Præterea illa cum tibi pereunt, alijs plerunque lucro ſunt: at temporis diſpendium in nullius tranſit compendium. Nullum eſt damnum, ex quo non aliquis emolumentum aliquod ſentiat, præter damnum temporis. Ad de his, illarum opum iactura ſæpe ſaluti fuit. Nam diuitiæ plerunque uitiorum materiam miniſtrant, ita, ut præſtet temere profudiſſe, quam attente adſeruaſſe. Quanto cuiuſque rei uſus honeſtior, tanto turpior profuſio. At nihil pulchrius, nihil præclarius, quam bonas horas bene collocare. Illas ut quam maxime ſerues, ſæpenumero tamen uel caſus eripit, uel homo tollit, ut iactura te calamitoſum dumtaxat, non etiam turpem reddat. At temporis amiſſio, quoniam non niſi noſtro uitio contingit, non miſeros ſolum, uerum & infames reddit. Peſſimum infamiæ genus, quoties culpa in nullum conferri poteſt, præterquam in eum qui patitur malum.

lum. Illis fundos aut ædes mercari poteras, hoc ptæter alia animi ornamenta, parare poteras immortalitatem. Nulla eſt tam breuis uitæ portio, in qua non magnus aliquis ad felicitatem gradus fieri poſſit. Poſtremo de illis male inſumptis patri fortaſſe rationem redditurus eras, de horis male tranſactis Deo. Ex qua amplificatione intelligeres, quam ſit pernicioſa temporis iactura, quam tamen pauci ſunt qui perpendant.

De rerum copia, ex rerum contrariarum conflictione. Diſp. XIII.

QVONIAM uero nulla eſſe uidetur amplificandi ratio, quæ magis orationem illuſtrem ac lacertoſam reddat; atque ea, quæ a contrariorum conflictione ſumitur, cuius non uno in loco ſupra facta eſt mentio; propterea non nihil de ea priuatim nobis dicendum eſſe exiſtimauimus. Antea uero quam poſitiones affero, animaduertendum eſt omnem contentionem fieri debere inter ea quæ aliquo modo ſunt diuerſa, atque diſsentanea: quare qui uoluerit contentionis uim cognoſcere, quæ ſint diſsentaneorum genera cognoſcat oportet: quæ nos priore loco breuiter explicabimus, et poſtea

amplificandi rationem ex illis ſumptam aperiemus.

Prima poſitio, eorum quæ diuerſa ſunt, tria ſunt genera: alia quæ diſſentanea & diſparata uocantur; ut ſcribere & docere, eſſe doctum, & eſſe probum; alia quæ repugnantia, ut amare, & uituperare, ſeu percutere: uigilare & ſtertere: dare operam literis, & genio indulgere: alia quæ inter ſe opponũtur, quæ aduerſa & oppoſita vocantur; quorum, vnum non poteſt eſſe in alio; vt amare & odiſſe: legere & non legere, videre & cæcum eſſe. Oppoſita itaque ea dicuntur, quæ eadem in re ſimul eſſe non poſſunt.

Lib.4.de Inu.c.7. Hie. Reg.

Secunda poſitio, oppoſitorum quattuor ſunt genera: vnum eorum, quæ contraria ſiue aduerſa dicuntur; vt calidum & frigidum, timiditas & audacia, candidum & nigrum. Alterum eorum quæ priuantia nominantur, quorum vnum dicit habitum, alterum deſtitutionem; ut aſpectus & cæcitas, ſcientia & ignorantia, facundia & infantia. Tertium eorum quæ relata & affecta vocantur; ut dominus & ſeruus, maritus, & uxor, vendere & emere, docere, & diſcere. Poſtremum eorum, quorum alterum ait, alterum negat, quę aientia & negantia, vulgo, contradictoria, nuncupantur; vt hoc fieri poteſt, hoc fieri non po-

teſt

teſt. Atque ex his omnibus diſsentaneorum, ſiue diſſidentium generibus contentio fieri poteſt. Quare contentio, ſiue contrapoſitum, grece Antitheton & Anthiteſis, erit oratio ex diſſentaneis conflata: qua diſſidentes, & contrarias partes inter ſe conflictantur, & pugnant.

Tertia poſitio, oppoſita, quo nomine intelligo omnia, iam enumerata diſſidentium genenera, his modis tractari poſsunt: Primo cum ſingula ſingulis opponuntur; vt, cedat, Sulpici, forum caſtris; otium militiæ, ſtylus gladio, vmbra ſoli. Secundo, cum bina binis: vt, Ille ampliſſimam pecuniam poſſidet, iſte ſumma mendicitate laborat. Tertio, cum ſententiæ ſententijs: vt, Ego meis maioribus virtute præluxi; vt ſi prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriæ ſuæ: Tu tuis vitæ quam turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras; vt etiam ſi fuerint egregij ciues, certe venerint in obliuionem. Quarto, cum membra membris: vt, Nolite, Iudices, aut hunc iam natura ipſa occidentem velle maturius extingui vulnere veſtro, quam ſuo fato: aut hunc nunc primum floreſcentem, firmata iam ſtirpe uirtutis, tanquam turbine aliquo, aut ſubita tempeſtate peruertere: ne, aut ſenectutem iam prope deſperatam, non modo non

Ariſt. li.3. c.11. Fab.lib.9. c.3. Pro L. Mur. Pro Sex. Roſ. In Saluſt. Pro M. Cœl.

ſu-

ſuſtentaſſe ſed etiam contempſiſſe, aut adoleſcentiam plenam ſpei maximę, non modo non aluiſſe, ſed etiam perculſiſſe, atque afflixiſſe uideamini. Verum, aliquando vnum dumtaxat aduerſum contraponitur, cætera vero non opponuntur; ut in ſubiecto patet exemplo.

In Vat. *Ego carus fui ſenatui populoque Romano, non tam mea cauſſa, quam reip. Tu odio ciuitati fuiſti, non tam tuo, quam reip. nomine.*

Ariſt. *At vero contraria, vt ſunt illa quæ omnino inter ſe pugnant, his tribus modis tractari ſolẽt. Primo, cum contraria contrarijs ſimpliciter*

Catil. 2. *opponuntur, vt hoc in loco. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc ſuror: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignauia, cum temeritate, cum vitijs omnibus poſtremo copia cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia; bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit*

Catil. 2. *Secundo, cum contraria contrarijs conferuntur: vt, Hoc vero quis ferre poteſt, inertes homines fortiſſimis inſidiari, ſtultiſſimos prudentiſſimis, ebrios ſobrijs, dormientes uigilantibus?*

bus? Cohærere, inquit Cyprianus, & coiungi non poteſt, amaritudo cum dulcedine, & caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum foecunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, & cum tranquillitate tempeſtas. Tertio, cum propoſitis pluribus contrarijs, eorum alterum volumus exiſtimari uerum, hoc modo, *Hæc per Deos immortales, utrum eſſe uobis conſilia ſiccorum, an uinolentorum ſomnia? & utrum cogitata ſapientũ, an optata furioſorum videntur?* Quarto, ſolent interdum ita vſurpari contraria, ut oſtendatur non eſſe ſatis tutum de altero diudicare; ut ecce, *Quo in iudicio perſpici non poteſt, utrum ſeueritas acerbior, an benignitas fructuoſior ſit futura.* Poſtremo illa eſt omnium luculentiſſima contrariorum contentio, qua expreſſius in eadem perſona contraria reperiri demonſtratur, vt patet in illa ornatiſſima apud Ciceronem de Catilinæ moribus loquẽtem contentione. *Vtebatur, inquit, hominibus improbis multis, & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat. Erant apud illum illecebræ libidinum multæ, erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli, ac laboris: flagrabant uitia libidinis apud illum, vigebant etiam ſtudia rei militaris. Quis claris uiris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ci-*

Cypr.

De lege Agr.

Ibidem.

Pro M. Cęl.

uis

uis melior partium? quis tetrior hoſtis huic ci uiitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effuſior? cum triſtibus ſeuere, cum remiſſis iucunde, cum ſenibus grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſe viuere conſueuerat. Hic adſcribere placet cuiuſdam pij viri canticum, verborũ ſed non ſententiarum ſimplicitate confectum; in quo pulcherrimam & ſingularem cernes, ex contrarijs ſumptam amplificationem. Fingit ergo bonus ille vir diuino ſpiritu repletus, eos qui ſe bonos eſſe ſimulant, accedere ad Beatam Virginem, ab eaq; de ſuo filio iam cruci cõmendato quęre re: Illa ad crucem accedens, conqueritur, quod iniuſte filium innocentem teneat: Crux artificioſiſſime ſuam cauſſam agens, Chriſti falſos ęmulatores damnat. Quo cantico, nihil artificioſus, quod ad rem ipſam attinet, nihil magis decorum fieri poſſe arbitror. Hunc itaque in modum Beata Virgo crucem alloquitur.

Frat. Iacoboni.

Crux de te uolo conqueri:
Quid eſt, quod in te reperi
Fructum non tibi debitũ.
Fructũ quem Virgo peperi,
Nil debet Adã veteri,
Fructum guſtanti vetitũ;
Intacti fructus uteri,
Tuus non debet fieri,
Culpa non habens meritũ.
Cur pendet qui nõ meruit?
Quid, qđ te nõ abhorruit,
Cum ſis reis patibulum!
Cur ſoluit quæ non rapuit?
Cur ei qui non nocuit.

Et

Es pœnale piaculum ?
Ei, qui vitam tribuit,
Mortiq; nihil debuit,
Mortis propinas poculum?
Te reorum flagitijs,
Te culparum ſupplicijs,
Ordinauit iuſtitia.
Cur ergò iuſtum impijs,
Cur virtutem cum uitijs,
Sociauit nequitia?
Redditur pœna præmijs
Offenſa beneficijs,
Honori contumelia.
Reis in te pendentibus,
Homicidis, latronibus,
Inflicta maledictio.
Iuſto pleno virtutibus,
Ornato Chariſmatibus,
Debetur benedictio.
Ergo quid ad te pertinet?
Cur vita mortẽ ſuſtinet?
Habitus ſit priuatio?
Crux. *Virgo tibi reſpondeo,*
Tibi cui totum debeo,
Meorum decus palmitũ.
De tuo flore fulgeo,
De tuo fructu gaudeo,
Redditura depoſitum.
Dulce pondus ſuſtineo,
Dulcem fructum poſſideo,
Mundo non tibi genitum.
Chriſtus mortẽ nõ meruit:
Quod ſi mori diſpoſuit,
Vt morte mortem tolleret.
Ligno lignum oppoſuit;
Et ſoluit quæ non meruit,
Vt debitores liberet.
In Adam vita corruit,
Quã ſecundus reſtituit,
Vt vita mortem ſuperet.
Vlmus vuam non peperit:
Quid tamen viti deperit,
Quod vlm⁹ uuã ſuſtinet?
Fructum tuum non genui,
Et oblatum non reſpui;
Vt pœna culpã terminet.
A te mortalem habui,
Immortalem reſtitui,
Vt mors in vitã germinet.
Tu vitis, vua Filius,
Quid uua competentius,
Quã torcular, quo p̃mĩt?
Cur preſſura ſit purius,
Niſi quia iucundius
Vinum ſincerum bibitur?
Quid uua paſſa dulcius?
Quid Chriſto paſſo grati⁹
In cuius morte viuitur?
Multi ſe iuſtos ſimulant:
Filium a te poſtulant,
Et ad me non reſpiciunt.
Sed poſtquã mihi creditus,
Et apud me depoſitus,
Extra me non inueniunt.
Quærant in meo ſtipite
Sugant de meo palmite
Fructum tuũ, quẽ ſitiũt.
Reſpondeas hypocritis,
Filium meum quæritis,
Quem cruci dudũ credidi.
Iam non pendet ad vbera,
Pendens in cruce vulnera

Cor-

Corporis monſtrat liuidi. Guttas cruentas bibite,
Eum in cruce quærite, Aemulatores perfidi.

His adde pulcherrimam ex eodem loco ſumptã diui Ephræn amplificationem in eos, qui non ita viuunt, vt ſe uiuere profitentur. Mundo ſpecie dumtaxat renunciauimus; nunc autem ea quæ mundi ſunt amplectimur: faceſſat mendax excuſatio. Habitu monachi ſumus, moribus peſtilentes: habitu religioſi, moribus pernicioſi: habitu dilecti, moribus inimici: habitu cari, moribus inuiſi: habitu ſtudioſi, moribus ignaui: habitu ſobrij, animo piratę: habitu pudici, corde adulteri: habitu modeſti, corde gnathones: habitu mites, moribus arrogantes: habitu conſolatores, moribus contumelioſi: habitu conſiliarij, moribus detractores: habitu ſimplices, moribus improbi: habitu innocentes, moribus homicidæ: habitu defenſores, moribus proditores. Cur autem tales ſumus, niſi quia mutuam caritatem non habemus? Ephrẹn.

Quarta poſitio, ad hunc amplificationis locum pertinent hæ aliæ exornationes, a ſequentibus figuris ſumptæ. A contrarijs ſententijs, cuiuſmodi ſunt enthymemata rhetorica, hoc modo. Quem in amicitia perfidioſum eſſe cognoueris, eum exiſtimabis inimicitias cum fide habere poſſe? A ſynecoeoſi, id eſt, a cohabitatione

bitatione, qua contraria in eadem re uel perſona ſimul coniunguntur: Huc facit illud Lactantij de phoenice poſt mortem exurgente: Ipſa quidem, ſed non eadem: quia ipſa nec ipſa eſt: ęternam uitam mortis adepta bono. A diſcriminatione, quę eſt ſuperiori contraria; ibi enim oppoſita coniunguntur, hic quæ uidentur coniuncta & ſimilia diſcernuntur, hoc modo. In omnibus tribulationem patimur, inquit Apoſtolus, ſed non anguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed nō relinquimur: humiliamur, ſed non confundimur: deijcimur, ſed non perimus Pergimus, inquit Seneca, non quo eundum eſt, ſed quo itur: nec ād rationem, ſed ad ſimilitudinem viuimus. A compenſatione, hoc modo, apud beatum Ephręn, Mundum reliquimus, ſed quæ mundi ſunt ſequimur: poſſeſſiones reiecimus, a contentione non deſiſtimus: domos deſeruimus, & earum ſolicitudine quotidie contabeſcimus. Non ſunt diuitiæ, ſed adeſt ſuperbia: nuptias contempſimus, ſed a ſtulta dilectione non diſcedimus: humilitatem ſimulamus, ſed animo honores concupiſcimus: inopiam ſeu Antimetabole, qua iiſdem verbis permutatis eadem redditur ſententia præ nobis ferimus, ſed abundantia laboramus. A commutatione, ut, Non uiuimus, ut edamus; ſed edimus Cato.

Auct. Her.

Senec.

ut

ut uiuamus: Ea re poemata non facio, quia cuiuſmodi uolo non poßum; cuiuſmodi poſſum, non uolo; Quia ſtultus es, ea re taces; non tamen quia taces, ea re ſtultus es. Huc referres uerborum declinatorum commutationem: ut, conſeruate parenti filium, parentem filio. Item craſſus diſertorum conſultiſſimus, Scæuola conſultorum diſertiſſimus: Craſſus elegantium parciſſimus, Scæuola parcorum elegantiſſimus: Craßus in ſumma comitate habebat etiam ſeueritatis ſatis; Scæuolæ multa in ſeueritate, non deerat tamen comitas. Denique, illa quæ ſumitur a circumſtantiarum, & comparatorum, maiorum, uidelicet, minorum, et parium contentione. Siquidem Contentio priuatim in harum rerum quas diximus collatione ſpectatur. Et quoniam in dilatando, & conferendo ſæpenumero, minora, maiora & paria interſeruntur, propterea, eorum uim breuiter exponere non erit inutile.

Pro. M. Cœl. In Bru.

Quincta poſitio, maius id eſſe cenſetur, quod in toto orationis complexu maioris eſt ponderis, minus uero, quod minoris; ut in hac oratione, ſi diuitiæ ſunt expetendæ, multo magis uirtus: ita nonnulli Rhetores explicant: at uero ex Dialecticorum ſententia, id dicitur maius, quod magis eſt credibile, minus uero; quod minus: ut, quos ex collibus deiecimus, cum ijs in campo

Fab.

metui-

metuimus dimicare? Qui cum plures erant paucis nobis exæquari non poterant; hos poſtquam pauciores ſunt, metuimus ne ſint ſuperiores? At uero paria ſunt ea, quæ æqualem habent, dignitatis momẽtiue, uel aſſenſionis rationem. Atque in omni contentione, imparium ſeu maiorum & minorum, pariumque interceditratio: quorum cum magna ſit, ad docendum mouendumque & amplificãdum poteſtas, ideo diligenter quærenda & exprimenda erit. In omni itaque contentione, quæ priuatim ex imparium circumſtantiarum comparatione conſtat, exemplo, ſimilitudineue propoſita, qua aliquid aut probare, aut amplificare uolumus, circumſtantias excutimus, ut id quod intendimus, aut par, aut minus, aut maius eſſe oſtendamus. Illuſtre apud Ciceronem hoc habes exemplum. *Maiores noſtri ſæpe pro mercatoribus, aut nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella geſſerũt: uos tot ciuium Romanorum millibus uno nuncio, atq; uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?* & quæ apud eum ſequuntur. Pro Leg. Man.

Sexta poſitio, cum contentio, ſiue contrapoſitum, & antitheton plurimum habeat acrimonię, & ornamenti, tum ad docendum, tum ad delectandum, curandum erit, ne has uirtutes tractandi ratio tollat: ac proinde cauere oportebit, ne quid frigide, ſuperuacanee aut minus a-

ſpte dicamus. Accurate igitur ac ſubtiliter illa diuerſarum partium oppoſitio, & contrarietas inquiratur, uerbiſque idoneis & aptis explicetur; quare ne ex tempore illa contrariorũ turba, ſine ullo ordine in aciem ueniat, præmeditatione uti oportebit.

Septima poſitio, in contrariorum, ſiue contentionis uſu, cauendum erit ab apparenti contentione, hoc eſt, a collatione eorum, quæ non ſunt uere contraria; hoc præter alios monuit Ariſtoteles. In quod uitium facile labi poterit
Ariſt. li. 3. is, qui contrariorum naturam non habet perſpectam; propterea nos priore loco, eorum uim atque uarietatem explicuimus. Qui ueris antithetis non utuntur, præterquam quod ignorantiæ ſignificationem præbent, frigidius etiam
In paneg. pugnant: quo uitio non laborat hæc Pliniana contentio, Non enim periculum eſt, ne cum loquar de humanitate, exprobrari ſibi ſuperbiã credat, cum de frugalitate luxuriam, cum de clementia crudelitatem, cum de liberalitate auaritiam, cum de benignitate liuorem, cum de continentia libidinem, cum de labore inertiam, cum de fortitudine timorem.

Ariſt. li. 3. c. 11. Octaua poſitio, tunc multo illuſtrior erit contentio, ſi adſit iſocolia, hoc eſt membrorum paritas, ac etiam ſimilis eorundem deſinentia: at-
Paromœoſis. que uocum aſſimilatio: quibus rebus concinna

&

& numeroſa oratio efficitur. Talis eſt hæc antitheſis apud Ciceronem, de qua ipſemet aliquando gloriatur. Eſt enim hæc, iudices, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Et in Piſonem, Vt mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi ſempiternã turpitudinem inflixerint. Pro Mil.

Nona poſitio, dilatatio per contentionem has ſecum utilitates affert. Primum, ualet ad ornate & numeroſe loquendum. Deinde, affert quandam iucunditatem, quæ ex eo naſcitur, quod contraria per ſe nota ſunt, & adhuc multo notiora fiunt per collationem: perſpicua autem & illuſtri oratione nihil poteſt eſſe iucundius: & ut libenter homines perſonas inter ſe pugnantes ſpectant, ita rerum conflictionem cum iucunditate percipiunt. Talis eſt hæc in Verrem contentio, Conferte hanc pacem cum illo bello: huius Prætoris aduentum cum illius Imperatoris uictoria: huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto: huius libidines cum illius continentia: ab illo qui cępit conditas, ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. Præterea uim habet argumentationis & enthymematis ex repugnantibus, quod in probationibus præcipuum locum obti- Ariſt. loc. cit.

net. Huc facit pronuntiatum illud, quod Iuriſconſulti iactant, Ferro uiam aperit, qui per contraria currit. Et quoniam quæ ſupra de exemplorum & ſimilium tractatione diximus, huc etiam pertinent; huic diſputationi finem faciã, ſi illud addiderim, contentionem adhiberi poſſe, ut libro de Diſpoſitione docui, in peroratione, cum eorum quæ dicta ſunt, fit repetitio: exempla repete ex Cicerone, oratione de lege Agraria, & pro Roſcio Amerino.

De gnomarum ſiue ſententiarum natura, cauſsis, partibus, & effectis, Diſput. XIIII.

QVONIAM non ſolum in oratione, ſed etiam in omni uita maximus eſt ſententiarum vſus, propterea paullo diligentius, ac fuſius, de earum ui atque natura diſputaturi ſumus. Et quamuis longe lateque in hoc campo excurrere poſſet oratio: tamen omnia quæ de re propoſita dicenda occurrunt, nihil quod ſcitu dignum ſit omittentes, quibuſdã poſitionibus complectemur.

Prima poſitio, Enunciatio illa, qua breuiter ſapienterque aliquid dicitur, latine, ſententia, græce gnome nuncupatur; ſic dicta ab interna cogi-

cogitatione; cum prolatæ ſententiæ, ſint earum notionum quas mente concepimus notæ quædam. Dicta igitur eſt a Latinis ſententia, quod humanæ mentis ſenſa breui oratione explicet: & a Græcis gnome, quaſi τοῦ νοῦ γόνος hoc eſt mẽtis proles, ſiue partus: Quem ratio in lucem edit obſtetricante oratione: At vero Fabius ſic dictã eſſe exiſtimat, quod decretis, & conſilijs ſimilis ſit. Appellantur etiam humanæ mentis breuiter explicatæ notitiæ, Præceptiones, quod ſint ueluti leges quædam præſcribentes qua ratione quippiam cognoſcendum, agendumue ſit; Paræneſes, hoc eſt admonitiones, quod nos commone faciant; ſubiectiones, quaſi placita quædam ut certiſſima ſuppoſita; Cephalea catholica, hoc eſt, capita uniuerſa, quod ex eis tanquam ex capitibus omnes qui in aliqua arte ſunt ſententiarum nerui, deriuent, et denique prouerbia parabolę, & adagia. Quare, hoc nomen uniuerſe ſumptum ſignificare poterit illas primas propoſitiones & notiones, quæ in vnaquaque reperiuntur ſcientia: quæ etiam proprias ſortiuntur appellationes. Logici prima principia, propoſitiones immediatas, ſuppoſitiones & maximas vocant: Mathematici, theoremata, & data, Medici aphoriſmos, Politici, ſapientum, quos Ariſtoteles Eugnomones vocat, placita & gnomas. Ethici pareneſes, Rethores chrias, catho

Ariſt. lib. 1. Periher.

Li. 6. Eth. c.11.

licas. Cæterum ſententia, apud Latinos, & gnome apud Græcos pro ea ſumitur enunciatione, explicataue notione, qua breuiter ſapienterque aliquid exprimitur, quod ad uitam recte agendam pertineat, quaſi regula quædam uitæ. Sed de nomine hactenus: nunc de cauſſis dicamus.

Secunda poſitio, cauſſa efficiens gnomarum uarie aſſignanda eſt. Princeps gnomarum auctor, eſt Deus optimus max. qui humanis mentibus quaſdam primas notiones & igniculos indidit, & omnium quæ recte dicuntur ſemina ingenerauit: Illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum, non docendo, ſed creando, vt Alexandrinus Cyrillus ait. Eſt etiam Deus gnomarum auctor per reuelationem, cum diuinæ literæ ſint innumeris illuſtratę ſententijs. Huc referres etiam ſententias a Sybillis prolatas: & eas quas ſtulta gentilitas a ſuis Dijs pronuntiatas fuiſſe exiſtimauit. Effectrix itaque prima gnomarum cauſſa eſt Deus: Secunda eſt homo, non quiuis, ſed homo ſapientia ornatus, cum ſoli ſapientes ſint Eugnomologi. Nec tamen ſapiētes ita ſunt gnomarum artifices, ut hominum vulgus & idiotæ ſententiam aliquam pronuntiare nequeant: cum multæ vulgares circumferantur gnomæ. Quod ſi de cauſſa ſecundaria, ſiue de inſtrumentis quibus efficiuntur, loquamur, tum ratio practica, tum

Cic. Tuſc. 3.

Ioan. 1.

tum theorica, & ſenſus etiam ipſi, & ſermo ſiue oratio ad gnomas conficiendas iuuant. Occaſio quoque pro loci & temporis opportunitate multas ſentētias procreat. Quo pacto, Philoſophus in ſchola, Dux in caſtris, Senator in curia, Iudex in foro, Maritus domi, vel enunciando, vel reſpondendo aliquam ſententiam profert. Denique, quod ad hanc cauſſam attinet, ad gnomas formandas Grammaticus verba propria, Dialecticus veritatem & acumen rectam ue enunciationem, Rhetor ornatum, & Poeta numerum confert. Ad cauſſam efficientem reuocares gnomarum collectores, qui quaſi ſpicilegio & racematione, quæ ſparſim ſcripta & tradita fuere, in certos locos, certa quadam methodo congeſſere; hinc Anthologiæ, Polyantheæ, Flores doctorum, & poetarum dicta notabilia, loci communes, & ſententiæ. Sapientes itaque homines ſententias ipſas ſeminarunt, hi uero eaſdem demetentes in horrea conuexerunt. Qui autem ſcribendo priuatim ſua ſcripta gnomis aſperſerint, & qui eas collegerint, non eſt noſtrum hoc loco recenſere. Et hæc de cauſſa efficienti: nunc de materia.

Io. Dadr. Andr. Eboric. Polyant. Lud. Grā. Stob. Theod. Zuin.

Tertia poſitio, gnomarum materia ſunt omnia quæ ſub humanam intelligentiam cadunt: res omnes, tum humanæ, tum diuinæ, ſiue ad contemplationem, ſiue ad actionem pertineant:

ſiue per ſe conſiderẽtur,ſiue relate;res inquam, tum præſentes,tum præteritæ,tum futuræ:ideò ſententiæ eße poſſunt in omnibus artibus, & ſcientijs. Quatenus nero ſententia eſt enunciatio quædam,ex ſubiecto & attributo conficitur tanquàm ex materia.

Quarta poſitio, ſententiarum formá ſita eſſe videtur in veritate, & breuitate. Quare, ſi quæ enunciatio a veritate,aut breuitate receſſerit,ſententiæ formam amittet. Veritas in eo conſiſtit, vt enunciatio ſit conſentanea rebus de quibus eſt,& rectę rationi congrua: quę enim diſſentiunt,in falſis ponuntur, & ſententiarum nomine dignandæ non ſunt.

Quincta poſitio, gnomarum finis eſt veritatis bonique poſſeſſio,& mendacij,malique vitatio. Nanque theorica ſententia propoſitum habet verum ipſum: practica vero humanum bonum. Quare,cum gnomę omnes ad vitæ vſum, qui partim in actione,partim in cognitione ſpectatur,referantur,earum finis,erit cognitio, et actio. Et quoniam vſus earum rerum quæ ad aliquem finem referũtur,perſpectus eße debet, propterea de gnomarum vſu aliquid præci pien dum eſt.

Sexta poſitio, Gnomarum uſus in vita cognitionis,is erit,ut per eas veritatem inueniamus: in uita actiua, ut recte uiuamus: in arti-

bus

bus uero, ut recte aliquid efficiamus. Ex parte eius qui ſentẽtia utitur, uſus poteſt eſſe duplex, alter rectus, cum eo ſenſu gnome vſurpatur, quo ab inuentore pronuntiata fuit: alter inuerſus, cum aliter ea utimur; & ad aliquem alium finem, ad quem non eſt inſtituta detorquemus. Vſus autem magis conuenit idiotis, quam ſapiẽtibus, ſicut ſapientibus, magis gnomarum inuentio. Decet enim: ut ſcribit Seneca, eum qui rerum naturas perſpectas habet, non tam aliorum uoces recenſere, quam ſuas proferre: Verum & gnomologi ſuis utuntur, & idiotæ etiã interdum ſententias pronuntiant. De ſententiarum uſu in oratione, poſterius dicetur: nunc nõnullas diuiſiones a cauſſis ſuperius allatis ſumptas ſubijciemus. Senec. epiſt. 33.

Septima poſitio, ex cauſſa conficiente, gnomarum, aliæ ſunt diuinæ, ut illa, Beatius eſt dare, quam accipere, & illa, Noſce teipſum: & hæc, Miles Romane, Aegyptum caue: aliæ humanæ, ut illæ, quas humana ratio formauit: quarum aliæ a ſapientibus inuentæ ſunt, aliȩ a vulgo. A cauſſa inſtrumentali, aliæ ſunt a recta ratione, ut ſunt illæ, quæ cum ratione conueniunt: aliæ a ratione corrupta, quæ cum recta ratione pugnant; illas bonas, has malas vocares. Ab oratione, aliæ eſt propria, quæ proprijs conſtat verbis; ut Pares cum paribus Act. apoſt. Syb.

facil-

facillime congregantur: alia translata, quæ verbis conſtat translatis; ut Homo bulla, ſol mundi oculus. Rurſus alia recta, qua aliquid de aliquo recte enunciatur; ut, Ne quid nimis alia figurata, ut illa quæ aliquam orationis figuram aßumit: nunc exclamationem; ut,

Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu.

nunc interrogationem, quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica. Quæ nam ſumma boni? Mens, quæ ſibi conſcia recti: Quis diues? qui nihil cupiat: Quis pauper? Auarus: Biaſ. Diog. *nunc membrorum paritatem, eruditio iuuenibus ſobrietas, ſenibus ſolatium, pauperibus diuitiæ, diuitibus ornamentum: nunc Ironiam, nunc admirationem, & alias harum ſimiles figuras, quæ vim energiamque addunt, non ſecus ac pinnæ ſagittis additæ. Rurſus, aliæ ſunt numero poetico conſtrictæ, ut illæ quas pronuntiare ſolent poetæ; vt,*

Res eſt ſoliciti plena timoris amor.
Dat ueniam coruis, uexat cēſura colūbas.

aliæ a numero liberæ, quæ etſi numeroſe cadāt; tamen non ſunt certis numerorum legibus ligatæ: hæ ſimpliciores & liberiores, illæ iucundiores & neruoſiores ſunt. Ab uſu, alia recta, alia deflexa, atque inuerſa. Ab occaſione, alia caſtrenſis, alia forenſis, alia Vrbana, alia ruſtica,

ſtica, alia ſcholaſtica, & denique uarie ex hoc capite numerari poßunt pro diuerſitate humanæ uitæ.

Octaua poſitio, Ex parte materiæ, ſi ſpectemus verba ex quibus conficiuntur, his modis gnomas diuideres. Primum, gnomarum aliæ breues, aliæ longæ: breues ſunt, quæ pauciſſimis verbis, & interdum vno continentur; ut, Matura, Expende, Feſtina lente: Gloria crocodilus: longæ, quę pluribus ornantur uerbis, cuiuſmodi eſſe ſolent figuratæ, & connexæ ſententiæ: illæ auctoritate & acrimonia præſtant, hæ vero perſpicuitate. Deinde aliæ ſunt ſimplices, quæ una ſimplici conſtant enunciatione; ut Honores onera, Faſces faſces, Oculus in metam, Amicum inimicum fugito: aliæ multiplices, ſiue coniunctæ, quæ ex pluribus ſimplicibus componuntur, vel illæ quibus aut declaratio, aut probatio ſubijcitur, quam probationem epilogum, hoc eſt adiectam rationem appellat Ariſtoteles, Rhetores enthymema, & ſubiectam rationem: quæ a uarijs locis deſumi poteſt: ab adiuncto.

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis. Antiſthé.

Ab effectis, Satius in coruos, quam in adulatores incidere: cum hi etiam uiuos, illi ſolum mortuos deuorent: A contrario, Obſequium amicos,

Digitized by Google

amicos, ueritas odium parit. Hęc vero eſt multiplex illuſtratione, Deus circulus eſt, cuius cẽtrum eſt ubique, circumferentia nuſquam. Rurſus compoſitæ, alię conſtant ex partibus contrarijs; ut, Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur: Turpe eſt alijs notum eſſe, ignotum ſibi: aliæ ex partibus ſimilibus, Quod in mundo eſt ſol, in corpore eſt oculus: aliæ ex diuerſis, Spiritus promptus, caro autẽ infirma. Bonus bonis & malis. Malus nec malis, nec bonis: aliæ ex cõtrapoſitione; ut, Voluptas uolat, eius hęret turpe: honeſti labor abit, ipſum manet; Nocere promptum, ut peſſimum, Prodeſſe abſtruſum, ut optimum: alię comparatione, Bono probari malo, quam multis malis: Quanto plus liceat, tanto libeat minus. Rurſus in materia ſpectatur enunciationis ſubiectum, & tunc hęc alia oritur gnomarum diſtinctio, quod alię ſint, catholicæ, ſiue uniuerſales, aliæ ſingulares, & aliæ indefinitæ. Vniuerſales ſunt, quæ uniuerſis conueniunt; vt, Diarij omnes, Nemo ſine crimine viuit: ſingulares, quæ ſingularem reſpiciunt perſonã, quæ, vt ſingulares ſunt, potius ad exempla, quam ad gnomas pertinent; ſed tamen fieri poßunt vniuerſales, & tunc ſententiæ nomen merentur: Hæ ſunt ſingulares, omnia bona mecum porto: Sero ſapiunt Phryges, ſed fiunt vniuerſales,

Muſon.

Biaſ.

Cleob.

uerſales, cum ad uniuerſos traducuntur incautos: & hæc itidem. Biaſ.

Tantalus a labris ſitiens fugientia captat Horat.
Flumina, &c.

Sic etiam uniuerſales fiunt particulares, cū quod de genere dicitur, alicui priuatę perſonæ accommodatur. Indefinita, quæ uniuerſali, & particulari ęquipollet: ut Homo homini Deus, Homo homini lupus. At uero ſi ſpectemus materiam de qua pronuntiantur, uel in qua uerſantur gnomę, eas pro ſcientiarum et artiū varietate diuidere poßumus, ut aliæ ſint Logicæ, aliæ Rhetoricę, aliæ, Poeticæ, aliæ Theologicæ, aliæ Phiſicæ, aliæ Ethicę, aliæ Politicæ, alię Oeconomicæ, & denique, alię Mechanicæ: Vt ecce, Ars imitatur naturam, Magnum vectigal parſimonia: Pareto legi, quiſquis legem ſanxeris: Multis terribilis, caueto multos: Amicum eſſe licet, ſed uſque ad aras: Natura nihil agit temere: Omnes homines natura ſcire deſiderant: Poeſis eſt pictura loquens: In dicendo dominatur actio: Contrariorum eadem eſt ſciētia. Huc referres diuiſionem illam, qua alia dicitur referri ad rem; ut Nihil tam populare, quam bonitas, alia ad perſonam; ut, Princeps, qui vult omnia cognoſcere, neceſſe habet multa ignoſcere. Pitac. Perian. Pe icles.

Nona poſitio: Ex parte formæ hoc eſt ſignificationis

ſicationis uerborum, hæ naſcuntur gnomarum diuiſiones: Sententiarum, aliæ ſunt ueræ, ut illę, quę cum rebus, & cum ratione congruunt; vt Difficillimum eſt omnium noſcere ſeipſum: Thales. *Quę in aliis damnes, ipſe nefeceris:* Chilon. *Si dixeris, quę uis, audies quę non uis:* Cleob. *lapis auri index, aurum hominis:* Diog. *Vir bonus Dei ſimulachrum eſt: Oratio blanda melleus eſt laqueus. Aliæ falſę, ut hę, Virtus poſt numos:* Epic. *Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla uoluptas:* Solon. *Dico tunc uitam beatam, fata cum peracta ſunt, & hęc.*

Nulla fides pietaſque viris, qui caſtra ſequunrur.

Item, aliæ bonæ & honeſtæ, Perian. *Cum erraris, muta conſilium:* Pyth. *Ne ferrum igni, hoc eſt, iræ arma: Fortuna nimium quem fouet ſtultum facit:* Iphicr. *Quieſce nihil acturus. Aliæ non bonę, non honeſtæ: ut, Non putaram: Non expectarã, indecora ſapienti uox. Mortalia cogitato. Multas ab Homero malas ſententias prolatas fuiſſe, viri docti memoriæ prodiderunt.* Plutar. Plat. *Verum, tum falſę, tum malæ ſententię à ſentẽtiarũ numero eiiciendæ ſunt; ne in lapillorum cumulũ carbones ueniant. Denique, aliæ ſunt affirmantes, ut, Magnes amoris amor:* Euch. *Diuitiæ iniuriæ pignora:* Lugd. *Officium eſt imperare, non regnũ:* Apul. *Vbi uber, ibi tuber. i. ubi mel, ibi fel: Fideli nullæ feræ. Aliæ negantes; ut, Quod tibi non uis, alteri*

alteri ne feceris: Amicus, ut non alius.i. ut nō poſſis fieri inimicus: Inimicus, ut non idem .i. ut poſſis fieri amicus.

Decima poſitio, ex parte finis, alia eſt practica; ut, Antidotum uitæ patientia: Suſpicionibus ſecuris; In uirtute oculi & manus, hoc eſt cognoſcendum agendumque eſt: alia theorica; ut, Omnis doctrina ex præexiſtenti fit cognitione. Sed de diuiſione hęc ſatis: Nunc quoniam ſententiæ cauſſas & genera ſpeciesque hactenus expoſuimus, eam deſcribere facilius poterimus. Verum cum ſententia, ut ex dictis patet, dupliciter ſumi poſſit, uel ut deſignat quodcunque uniuerſale effatum, ſiue ad agendum, ſiue ad cognoſcendum referatur, uel ut ſolum eam includit enunciationem, quæ ad uitę uſum pertinet; ideo utroque modo definiri poteſt. Hor. Ariſt.

Vndecima poſitio, Gnomen iuxta priorem ſignificationem hoc pacto definires: Gnome, eſt commune breueque de ijs quæ cognoſci fieriue poſſunt enunciatum. Quę deſcriptio manifeſtior eſt, quam ut ulla explicatione egeat. At uero iuxta alteram ſignificationem in qua fere ab omnibus ſumitur, uarie a uarijs auctoribus definitur. Herennianus auctor hoc pacto finiuit, ſententia eſt oratio ſumpta de uita; quę, aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in uita, breuiter Lib. 4.

uiter oſtendit: Ariſtoteles hunc in modum, eſt enunciatum uniuerſale, quid in uita expetendum ſit, uel fugiendum oſtendens: Aphthonius eadem fere ratione, eſt ſermo compendioſus in enunciationibus, qui ad aliquam rẽ nos exhortatur, uel dehortatur: A qua deſcriptione, non diſcreptat illa, quam tradidit Hermagoras: Alij hoc modo, ſententia eſt, quę commoda breuitate demonſtrat quid in uita ſit agendum, aut quid fieri ſoleat: Alij hac ratione, Sententia eſt præceptum de moribus, aut dictũ de aliquo vitæ caſu: Denique cum alijs ſic definires, Gnome eſt breue enunciatum ad mores pertinens, Vel ſi mauis, dicas, eſſe commune & breue enunciatum ad mores pertinens. Dicitur gnome enunciatum, in quo tanquam in genere cum omni enunciatione conuenit. Qua uoce comprehenduntur etiam gnomæ, quæ unico conſtant verbo. Nam etſi gnomica ſententia interdum unicam tantum uocem habeat: tamen poteſtate ſemper integram enunciationem continet. Dicitur commune, ut diſtinguatur a ſingulari pronunciato; nam enunciatum ad certam perſonam translatum, ſententiæ uim amittit, vt illud Ciceronis dictũ, Nihil habet, Cęſar, tua fortuna maius, quam ut poſſis, nec natura melius, quam ut uelis ſeruare quam plurimos. Dicitur breue, ut diſtinguatur a longiore

Suſemb.

M. Lo. Mer.

giore oratione, quæ licet aliquid ſapienter dicat: tamen, ob nimiam longitudinem ſententiæ uim quodammodo amittit. Eſt enim ſententia ueluti breuis ſagitta, non prælonga quædam haſta: Quoddam contractum fulmen, non ignea trabes. Debet itaque ueluti lex quædam eſſe breuis, quo facilius penetret, & retineatur, cum non tam doceat, quam iubeat. Propterea olim philoſophia morum breuibus ſententijs fuit explicata. Cum ergo ſententia fulminis inſtar, mole exigui, ſed potentia maximi hominum mentes ferire debeat, breuitatem requirit. Dicitur ad mores pertinens, ut diſtinguatur a gnomis uniuerſe ſumptis, quæ ad ſolam cognitionem, uel ad actionem non moralem referuntur; cum re uera Enũciatum quod ad mores refertur, ſententiæ nomen præcipue mereatur, ac etiam ſub hac ratione definiri ſoleat. Deſignatur itaque hac particula gnomarum, tum materia, tum finis. Sit itaque ſententia, Ethica paucis uerbis comprehenſa enunciatio. Omnes autem morales ſententiæ ad tria reuocantur capita: nam aliæ ſpeciatim dicuntur Ethicæ quæ ad ſingulorum referuntur mores: aliæ politicæ, quæ eos docent, qui reip. gubernacula tenent: aliæ œconomicæ, quæ ad familiæ gubernationem conferunt. Quarum rurſus, aliæ ſunt enunciatiuæ tanquam aſſeuerationes quædam,

de ijs quæ inter homines fieri ſolent, etiamſi minus recte fiant: Vt, res ſecundas decet ſuperbia, Reges qua iuuat, eant.

Hor. Virtus eſt uitiũ fugere, & ſapiẽtia prima, Stultitia caruiſſe.

Aliæ admonitoriæ, quæ admonent de re facienda, aut non facienda: unde alia eſt hortatoria, ut iſta, Da cœcus, accipe oculatus: alia dehortatoria; ut, Phyt. *Noli guſtare ea, quorum cauda eſt nigra ideſt uoluptates. Denique aliæ ſunt, de his quæ fieri debent; ut Pugna pro patria: aliæ de his, quæ fiunt; ut,* Cat. *Omnes cum ualemus, recta conſilia ægrotis damus: aliæ de his quæ facta ſunt; ut Lerna malorum.*

Duodecima poſitio, ſi gnomarum uariæ inter ſe ſpecies comparentur, ut uniuerſe dicam, morales non moralibus, practicæ theoricis, uniuerſales particularibus, breues longis, rectę deflexis, affirmantes negantibus, uerę falſis, & bonæ malis, præferendę ſunt.

Decimatertia poſitio, gnomarum utilitas, ſiue uſus maximus eſt. Valent enim primo ad ea cognoſcenda, quę homini honeſte uiuere uolenti neceſſario cognoſcenda ſunt. Deinde, inſtituunt in omni uitæ genere; in uita priuata, in ciuili, in politica, & in domeſtica. Prętereа, in omni uitæ actione, quocunque in loco, tempore, negocio, ſiue tecum agas, ſiue cum alijs contrahas,

has, ſententiarum notitia tibi uſui eſſe poteſt. Ad hęc, ſententię ſunt ueluti quidam loci communes quibus ad noſtra defendenda, ad aliena refellenda uti poſſumus: quo fit, ut ſępe in argumentatione primum locum teneant. Iam uero, cum ſint pręcepta quędam, ac breues regulę, conferunt mirum in modum ad rudem populum docendum. Propterea ſapienter Alexander Seuerus in omnibus publicis operibus hãc ſententiam, quę eſt ueluti omnium Ethicarum gnomarum ſeminarium, Quod tibi non uis, alteri ne feceris, in omnibus publicis operibus perſcribi iuſſit: & Hipparchus Piſiſtrati filius, ut Athenienſem populum facilius inſtitueret, ſtatuas Mercuriales, quas Hermas, uocant, religionis & ornatus cauſſa, in triuijs atque compitis erectas, gnomis ethicis exornauit; ut in his uitę pręcepta quotidie ciues legerent. Et olim boni puerorum inſtitutores, ſelectas gnomas pueris diſcendas tradebant. Denique, ne plures gnomarum utilitates percenſeam, in arte oratoria maximus eſt earum uſus; ut ſtatim dicemus. Quare, ſi quis aliquam ſententiam ſibi ad ſuæ uitæ rationes recte inſtituendas eligeret, & eam tanquam perpetuo pręceptore uteretur, quanta ſit gnomarum utilitas, is plane cognoſceret; Ut merito M. Agrippa uir ingentis animi dicere ſolitus fuerit, multum ſe huic debere ſententię,

Lampr. in eius uita.

Sallus. *Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximę dilabuntur: qua aiebat ſe & fratrem, & amicum optimum factum. Ego quoque huic a diuo Hieronymo prolatę gnomæ, me plurimum debere confiteor, Omne, quod aliquo fine clauditur, uanum puto: & huic alteri a Socrate pronuntiatæ, quæ, rebus aduerſis uenientibus, uſurpanda eſt, Hoc uolo.*

Decimaquarta poſitio, ſententiæ, quod attinet ad uſum oratorium, conferunt ad docendum ad delectandum, ad mouendum, & amplificandum. Quid enim magis doceat, quam breuis, perſpicua, faciliſque, & ſucci plena ſententia? Quæ ſua ui, abſque ulla præceptoris explicatione, quaſi lumen quoddam hominum mentes illuſtrat. Honeſtarum enim rerum humanę mentes igniculos quoſdam inſitos habent, qui facile creſcunt, & omnem in partem lumen effundūt, cum alicuius ſententiæ flamma fuerint excitati. Quid magis deinde delectet, quam breuibus, ſelectiſque uerbis numeroſe, ſapienterque enuntiata ſententia? Quid magis moueat, quam pronuntiatum illud, quod ratio humana docet, communis conſenſus approbat, & ueluti ſagitta in intimas animi partes penetrat, & quaſi fulmen humanos ſenſus commouet? Et denique, quid magis orationem amplificet, quam ſuo loco poſita gnome, ex qua, tanquam ex uberrimo

berrimo fonte innumeros riuulos deducere licet. Sententiæ igitur quaſi fontes fœcundant, quaſi lumina rem demonſtrant, quaſi fulmina mouent, & quaſi flores, lapilli, & ſtellæ exornant. Docent itaque ſententiæ, delectant, & mouent, dum hortantur, dehortantur, confirmant, refellunt, atque impellunt: & in ſumma; nihil eſt quod ab oratore fieri aut dici debeat, quod adiuncta ſententia non augeat, non perficiat.

Decimaquincta poſitio, ſententiæ ſumi ſolent ab aliquo loco communi; ut, a uero, a bono uel honeſto, uel utili, uel delectabili, & ab horum contrarijs: de quibus locis libro ſecundo de Inuentione fuſe egimus. Atque hæc ſunt, quæ de ſententiarum natura cauſis & partibus, ſummatim dicere habuimus? ſub quibus parabole, adagia & prouerbia continentur, de quibus late nonnulli ſcripſerunt.

Alex. ab Alex. Polyd. Verg.

De ſententiarum uſu; quid Chria, & quomodo tractanda ſit. Diſp. XV.

QVANTA ſit ſentẽtiarũ præſtantia ac dignitas, facile ex ijs quę de earũ natura diſputauimus, intelligi poteſt: quæ adhuc magis eluceſcet ex ijs, quæ de earum utilitate atq; uſu

breuiter ſubijciemus. Quæ duo ideo nobis explicanda duximus, & ut adoleſcentes ad eas ſibi comparandas excitemus, & ut, ubi eas compa rauerint, nunquam tam præſtanti ſupellectile abutantur. Quibus non nihil de Chriarum tractatione, adijciemus.

Prima poſitio, ſententiarum uſus in oratione debet eſſe moderatus. Hanc doctrinam tradidit Fabius, & ante ipſum Ariſtoteles. Raras ergo eſſe oportet, in oratione ſententias; ut gẽmarum inſtar radient, non tamen fulgore nimio intuentium oculos perſtringant; ne oratio nimis affectata, & nimio artificio confecta uideatur. Adhibeantur igitur cum ratione hi flores, hę ſtellæ, hæc lumina, ſuiſque locis idonee & ad rem accommodate collocentur. Quæ ad docendum conferunt, ubi docere eſt opus, ut in exordio & narratione; quæ uim permouendi habent in peroratione, & ſimiliter quæ delectant, ſuis ſpargantur locis. In genere iudiciali doceant: in deliberatiuo moueant: in demonſtratiuo delectent.

Secunda poſitio, in communi uita maior poteſt eſſe ſententiarum uſus; ſed tamen ſuo loco & tempore. Nec enim ubiq; & apud quoſcunque, & in omni re gerenda gnomicus probatur ſermo: immo interdum magis obeſſe, quam prodeſſe ſolet; non in caſtris ſed in ſcholis philoſophandum

phandum eſt. Harum itaque gnomarum meminiſſe oportet. Omnia tempus habent, Ne quid nimis. Aliter enim cum populo in foro, in theatro, in templo, aliter cum prudentibus in ſenatu, aliter in priuato colloquio cum amicis, aliter denique cum familia domi agendum eſt.

Tertia poſitio, ut gnome auctoritatem atque uim habeat, plurimum refert animaduertere pronuntiantis perſonam, & occaſionem ob quam pronuntiauit, pronuntiandique modum. Siquidem multum intereſſe uidetur, quo animi habitu ſit affectus is, qui ſententiam dicit; an ſit prudens, an imprudens, an doctus, an ignorans: & quo etiam corporis habitu utatur, quibuſue affectibus ſit commotus: an ſit ſanus, an ęger, an ſedato, an ira incenſo animo: & denique in qua fortuna, & quo in genere uitæ uerſetur: ſit ne diues, an pauper, dominus, an ſeruus, arator, an miles. Nam etſi ſtulti, indocti, & obſcuri homines gnomen non malam pronuntiare poſſint: tamen de horum hominum ore egreſſa ſententia, uel pro ſordida, uel pro ſuſpecta haberi poteſt. Solent autem, ut illud priuatim adnotauerim, morientium ſententiæ plurimum fieri, cum tunc, ut cum maxime, homines ſapere uideantur: & nulla amplius ſubſit cauſſa, cur non libere ueritatem fateri debeant; ut his annis uir quidam illuſtriſſimus improuiſo, Ariſt. lib. Eth.

morbo correptus, e uita abiturus, cum hanc pronuntiauit ſententiam, Nunc agnoſco mundum eſſe uanum, ſed tarde, & fortaſſe uane id nouit, quod cum ſapere incipimus, cognoſcendum, & perpetua memoria retinendum eſſet. Illud igitur omnes ſapiant, & ſentiant, fore aliquando, ut uſurpare debeamus, gręcum hoc prouerbium, χαίρε ο φιλον φῶς, Salue, o amica lux. Et quod dicebamus, etiam pronunciationis ratio animaduertenda eſt: an aliquis ex ſua ſententia, ſciens & uolens gnomen proferat, an ſua, an aliena gnome utatur, & quem in finem. Atquæ hæc breuiter de ſententiarum uſu admonuiſſe ſufficiat: nunc de Chrijs, de quibus aliquando mentio facta eſt, & dicendi magiſtri nonnihil præcipere ſolent, nos etiam hoc loco aliquid dicamus; cum Chria ſit ſententia quædam, uel ſententiarum uſus.

Quarta poſitio, Chria Latine, Vſus, ſic dicta a frequenti ipſius in oratione, uel in arte dicendi uſu, nihil aliud eſt quam breuis commemoratio orationis, uel facti, uel utriuſque, quæ ad humanæ uitæ commoditatem, inſtitutionemque pertinet: hunc enim fere in modum definiuit Hermagoras. Theon ſophiſta in ſuis progymnaſmatis, capite de Chria, hoc pacto, Chria eſt dictum breuiter aliquid oſtendens, aut factum, ſcite in perſonam certam, quodue pro perſona ſit,

Hermag.

Aphthon.

ſit, collocatum. Alij hac ratione, Chria eſt commemoratio breuis ad aliquam perſonam appoſite relationem habens.

Quincta poſitio, Chria differt a ſentẽtia. Nã Chria non ſolum in ſententia & oratione conſiſtit, ſed etiam in factis: ſententia uero in ſola oratione: Chria indiget perſona, uel contracta eſt ad perſonam, ſententia eſt a perſona ſeiuncta; Vt ecce, Socrates monebat, edendum ut uiueretur; non uiuendum ut ederetur: hinc fit gnome, edendum ut uiuamus, non uiuendum ut edamus. Cato aiebat, Emas non quod opus eſt, ſed quod neceſſe eſt: Quod non opus eſt, aſſe carum eſt: fit gnome, Quod non opus eſt, aſſe carum eſt. Has itaque & quaſdam alias differentias inter Chriam, & ſententiam aſſignant. Theon. M.Ioan. Mer.

Sexta poſitio, Chria triplex eſt, orationalis, ſiue ſermocinalis, actiua, & miſta. Orationalis eſt, quæ in ſola oratione conſiſtit, & uerbis aliquid utile demonſtrat; ut, Plato dicebat, Virtutis ramos a laboribus & ſudoribus produci, Socrates aliquando dixit, Tunc oculus mentis acute cernere incipit, cum corporis oculus incipit hebeſcere. Epaminondas Thebanorum dux, moribundus, amicis multum lugentibus, cum ob alias cauſas, tum quod ſine liberis e uita diſcederet, arridens dixit, Satis amici lacrymarum eſt, Ego enim uobis immortales fi-

lias

lias duas relinquo, nempe patriæ uictorias duas. Alexander Dario pacem petenti, reſpondit, Mundum duobus ſolibus regi non poſſe. Ita fortaſſe edoctus a ſuo præceptore, qui illud Homericum aliquando citauit,

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔσω,
Εἷς βασιλεύς.

Pier. *Quam ſententiam, ſic quidam latinam fecit.*

Multos eſſe duces, haud quaquam prode rit, eſto
Rex unus, princeps unus, qui publica tra ctet.

Et Ouidius,

Non bene cum ſocijs regna, uenuſque manent.

Actiua ea dicitur, quæ factis aliquid indicat: ut, Pythagoras interrogatus, quanta nam eſſet hominum uita, cum per breue temporis ſpatiũ ſe conſpiciendum præbuiſſet, latuit: quo facto uitam breuem eſſe indicauit. Alexander interrogatus ubi haberet theſauros, indicauit amicos. Tarquinius cognomento, ſuperbus, per hortos inambulans, nullo reſponſo dato, ei nuntio, quem Sextus filius, quid ſibi agendum in Gabios eſſet, ſciſcitatum miſerat, eminentiora papauerum capita baculo tãtum decutiebat: ex quo Sextus intellexit, populi proceres paulatim ſummouendos Anacharſis Scytha conuiuio

uio exceptus apud Solonem, ita decubuit compoſitus, ut una manu pudenda, altera uero os obſignaret: ut ſcilicet continentiæ & ſilentij nos commoneret. Et in eius ſtatuis inſcriptum erat, Linguam, uentrem, mentulamque compeſce. Mista Chria dicitur, quando facto & oratione aliquid utile ſignificatur; ut, fecit Diogenes, qui cum uidiſſet puerum quendam male agentem, pedagogum percuſſit, dixitque, quare ſic inſtituiſti? Afferuntur nonnullæ aliæ chiarum diuiſiones, ſed cum ſint minus neceſſariæ, propterea eas miſſas facio.

Septima poſitio, Chria his capitibus tractari ſolet. Primo, laudatur perſona illa aqua uel prolata, uel re deſignata fuit. Deinde tractandæ chriæ ſubijcitur propoſitio. Poſtea, eam exornare & explicare oportet: nec enim nude ieiuneque enuncianda eſt: Præterea, ſubijcienda eſt cauſſa. Iam uero illud idem, quod Chria docet, demonſtrandum eſt ex contrario. Poſt hæc, amplificanda eſt per comparationem & ſimilia. Adhæc, aliquo exemplo corroboranda erit. Denique, aliorum ſapientium teſtimonio eam illuſtrare & munire oportebit. Quibus omnibus expoſitis breuis ſubijcietur epilogus per hortationem, quæ ad id faciendum, quod in chria continetur, auditores excitandi ſunt. At uero Theon, hunc tractandæ chriæ Hermag. Aph.

ordi-

ordinem proponit. Adhibendum eſt exordium Chriæ proprium: deinde proponenda eſt Chria: poſtea afferendæ ſunt probationes: ad quas egreſſiones, & aſſectuum permotiones accedent. Ex eodem deſtruuntur chriæ, his fere capitibus; ut obſcuræ, ut abundantes, ut deficientes, ut improbabiles, ut falſæ, ut inutiles uel nullius momenti, ut turpes, & denique, ut quę quod fieri non poteſt, affirment. Tractandæ Chriæ exemplum apud Ciceronem, eſt in principio tertij officiorum libri, ubi a Chria ita exorditur. Publium Scipionē Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato, qui fuit eius fere æqualis, Nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus: nec minus ſolus, quam cum ſolus eſſet. Magnifica uero uox, & quæ ibi ſequuntur. Quod uero attinet ad uariationem uerborum, quibus chria proponitur, omnibus caſibus uti licebit: ut ſi dicas, Plato dixit, Platonis dictum fertur, Platoni dicere placuit, Platonem dixiſſe ferunt, O Plato quā ſapienter pronuntiaſti, a Platone dictum fuiſſe accepimus. Atque hæc ſunt, quæ de Chrijs dixiſse uolui.

Hier. Caph.

De rerum copia, quę a partibus orationis ſumitur. Diſputatio XVI.

IN TEGRO *libro, triginta diſputationibus iam de partibus orationis, earum numerum; vim, membra, formas, & munera expoſuimus: vnde multa quæ ad hanc propoſitam diſputationem dilatandam faciunt peti poßunt: quibus prætermiſſis, nos ſolum ea dicemus, quæ ad hunc locum proxime ſpectare videbuntur. Cum ergo oratio, vt citato libro late docuimus, certo partium numero neceſſario conſtare non debeat, ſed pro perſonarum, rerum, aliarumque attributionum ratione plures, & pauciores partes habere poſſit; hinc eſt, vt etiam ex eius partium multitudine, & ex earundem maiore aut minore amplificatione dilatari queat. Quo igitur pacto, ratione partium extendere, aut contrahere orationem liceat, hac diſputatione his ſequentibus poſitionibus docebimus.* De Diſp. orat.

Prima poſitio, Orationis partes *ſunt numero quinque, exordium, narratio, propoſitio, quo etiam nomine partitionem diuiſionemue complectimur, contentio, ſiue probatio,*

quæ

quæ confirmationem refutationemque continet, & peroratio. Quarum partium hæc tria ſunt munera, Docere, mouere, ac delectare, licet non pari ratione in omnibus adhibenda ſint. Quod hac poſitione breuiter docemus, integra diſputatione citato libro tractatum in uenies. Quidam confutationem a probatione ſecernens, & partes & partium munera hoc diſticho, complexus eſt.

Lege Pet. Saiu. c. 19

Frus.

Orſus, narro, ſeco, confirmo, refuto, peroro:
Vt doceam, flectam, permoueamque forum.

Secunda poſitio, qui orationem dilatare voluerit, vel omnes vel plures partes, prout res ipſa feret, adhibebit; & quas adhibuerit, eas pluribus verbis & ornamentis amplificabit: is vero qui breuior eſſe volet, aliquam omittet, & quas adhibet, paucis perſtringet. Maiore partium numero, earumque ampliore dilatatione utuntur Oratores in cauſis agendis: earundem paucitate & breuitate Hiſtorici, & Poetæ, & qui Epiſtolas familiares ſcribunt. Quo fit, vt interdum ſola poſitione, & confirmatione; immo, cum res de qua dicunt, nota eſt, confirmatione tantum vtantur.

Tertia poſitio, prima orationis pars, hoc eſt exordium, hac ratione dilatari poterit: ſi ea

pluribus

pluribus conficiatur partibus quas alibi explanauimus: ſi plura officia, hoc eſt docilitas, beneuolentia, & attentio adhibebuntur: ſi hæc eadem ex varijs locis repetentur: ſeruatis tamen ſemper exordiorum uirtutibus atque præceptis. Dilatari etiam poterit, ſi in ipſo orationis curſu, modo cauſſa id ipſa patiatur, docilitas, attentio, & beneuolentia innouabuntur; vt in tranſitionibus fieri conſueuit: vt ecce, Audiſtis quo impetu fuerit oppreſſus; nunc oſtendam quanta vigilantia, quantoque ingenio eius vtilitati conſultum fuerit: De moribus dixi; nunc eius doctrinam paucis accipite: In his fortaſſe longior fui, cætera paucis expediam: Audiſtis grauiſſima, ſed longe grauiora audietis. Peto a vobis nobiliſſimi auditores, vt tantiſper, me patienter, audiatis: Nollem, optimi auditores veſtras benignas aures longius detinere: ſed quoniam video, quam humaniter attenteque me audiatis, breuiter quæ ſuperſunt proſequar.

Quarta poſitio, Narrationem his modis dilatare licet. Repetitione, cum res, quæ ſimpliciter fuit expoſita, iterum fuſius, pleniuſque narratur: idque vel inuidiæ, vel miſericordiæ cauſſa: quæ repetitio per ſermocinationem fieri conſueuit: cum vni, pluribusue perſonis congruus accommodatur ſermo. Digreſſione, Fab.

cum

cum extra cauſſam, ſed non ſine cauſſa aliquantulum oratio diuagatur, de qua re paullo poſt aliquid præcipietur. Ficta narratione quæ ornandi et dilatandi gratia interdum vſurpatur. Poſtremo præparatione, de qua nos integra diſputatione libro de Diſpoſitione diſſeruimus, qui locus erit omnino legendus: vbi multa obſeruare poteris, quæ ad narrationem dilatandam vim habent.

Fab. li. 4. c. 2.

Quincta poſitio, Propoſitionem his modis dilatare licet. Primo, ſi cum fuerit ſimplex, eam in partes ſecabimus, hoc pacto: Res eſt huiuſmodi, quæ nullam honeſtatem, nullum emolumentum affert, & eſto vtilis atque honeſta eſſet; tamen cum nulla ratione fieri queat, nihil eſt, quamobrem de ea aliquid ſtatuatis. Deinde, cum ſit argumentoſa, hoc eſt, cum argumentorum ſemina proponendo ſparguntur, aut etiam aliqui affectus intermiſcentur. Exemplum illuſtre amplificatæ propoſitionis habes apud M. Tullium in Miloniana oratione his verbis, Hæc ſicuti expoſui geſta ſunt, Iudices inſidiator ſuperatus, vi victa vis, vel potius oppreſſa virtute audacia eſt. Nihil dico quid reſp. conſecuta ſit: nihil quid vos, nihil quid omnes boni, nihil ſane id proſit Miloni, qui hoc fato natus eſt, ut ne ſe quidem ſeruare potuerit, quin vna remp. voſque ſeruaret: ſi id iure

non

non poſſet, nihil habeo, quod defendam. Deinde, argumentis adhibitis propoſitionem confirmat. *Sin hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunque ope poßent, a corpore, a capite, a uita ſua propulſarent, non poteſtis hoc facinus improbum iudicare, quin ſimul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut veſtris ſententijs eſſe pereundum.* Mox propoſitionem ab effectis amplificat, *Quod ſi ita putaſſet, certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non ſemel ab illo, nec tum primum petitum, quam iugulari a vobis, quia ſe illi non iugulandum tradidißet.* In hac luculentiſſima propoſitione illud diuinum Ciceronis ingenium admirari profecto licet.

Sexta poſitio, probatio, ſeu contentio, his modis amplificari poteſt. Primo propoſitionibus, ſiue concluſionibus, quæ in principio argumentationum ponuntur, & in fine per epilogum cum affectu repetuntur: Deinde, ſi eas adhibeamus argumentationis formas, quas pluribus verbis explicare neceſſe eſt: vt ſunt ſyllogiſmi, inductiones, ſubiectiones, ſorites, & aliæ, de quibus iam vno & altero loco egimus, exemplisque illuſtrauimus. Præterea, cum ita adhibetur argumentationis propoſitio,

Li. 5. de Inuent.
Lib. de diſpoſ.

tio, vt in ea abrogetur, aut concilietur fides. Poſt hæc, aſſeueratione, cum quæ vim ponduſque argumentorum habent, probationibus admiſcentur, licet argumenta non ſit. Vt, quis eſt tam ineptus, qui hoc non animaduertat? qui tam imprudens, qui neget? Iam vero, ſingulæ argumentorum collectiones, ſiue concluſiones ſingulis priuatis epilogis, quibus breuiter rationis ſumma in memoriam auditorum reuocatur, adiectę probationem dilatant. Poſtremo, digreſſiones in locos communes, expolitiones, immorationes, & circumſtantiarum tractationes ad probationem dilatandam uim habent non paruam: de quibus libro de Diſpoſitione multa huc pertinentia diſputauimus.

Septima poſitio, perorationem his modis amplificare licebit. Primo, ſi quæ dicta ſunt paulo fuſius cum quadam verborum copia repetantur. Deinde, ſi plures partes adhibeantur: quæ autem illæ ſint, libro de Diſpoſitione docuimus. Poſtremo, ſi loci ad amplificandum huic parti proprij tractentur: quos eodem libro numeratos & explicatos habes. Multo itaque plura, quæ in præſentia, breuitatis cauſſa, prætermittimus, inde repetenda erunt, quibus omiſſis, ſit huic diſputationi finis.

De

De rerum copia quæ a digreſsionibus apologis, fabulis, expolitionibuſque ſumitur. Diſp. XVII.

DE digreſſione expolitioneque, ideo aliquid priuatim hoc loco dicendum duximus, quod de eis proxima diſputatione mentio facta fuerit, & ad orationem dilatandam vim habeant non exiguã. De quibus noluimus pluribus diſputationibus in prçſentiarum differere, cum de eis alibi fuſe ſcripſerimus, ne omnino acta agere velle videamur: ea igitur ſolum attingam, quæ orationem dilatare volenti ſunt pernecesſaria cognitu: reliqua qui volet ex libro de Diſpoſitione repetet. Atque de Digreſſione ita ſtatuo.

Prima poſitio, Digreſſio, quæ excurſus & egreſſio vocatur, eſt qua delectationis, ornatus, & amplificationis gratia in aliquem communem locum ad vtilitatem cauſsæ pertinentem excurrimus. Tres igitur ſunt præcipuæ rationes, ob quas excurſione vtimur: quæ tunc cauſſæ pars cenſenda erit, cum amplificandi cauſsa vſurpatur.

Secunda poſitio, digreſſiones ſumuntur ab expoſitione rerum geſtarum, a locorum &

perſonarum deſcriptione, a fabularum, apologorum, & locorum communium tractatione: vt, cum dicitur pro virtutibus contra vitia, pro labore contra otium, & pro religione contra ſuperſtitionem. Digreſſionum exempla in multis orationibus apud M. Tullium habes, ut in oratione pro Archia, pro M. Cælio, pro Roſcio Amerino, & alijs in locis: & apud Poetas excurſiones frequentiſſime occurrunt.

Tertia poſitio, Digreſſiones interdum in principio, interdum in medio, vt poſt narrationem, ſæpius in fine orationis ponuntur; vt per eas auditoris animus recreetur, & ad ea quæ reſtant, attentior reddatur, aut commoueatur.

Quarta poſitio, in digreſſionibus conficiendis, hæc ſeruanda ſunt. Primum, cauendum eſt, ne ſint omnino ab inſtituto alienæ: Deinde, ne reditus ad cauſſam ſit durior, finis cum re de qua agitur, copulandus erit: quod per aliquam clauſulam, digreſſione iam abſoluta, fiet. Poſtea, digreſſiones non ſint nimis frequentes, ne oſtentationis ſuſpicio auditorem offendat: Poſtremo, ſint breues: quod ſi longiorem excurſionem adhibere ſit neceſſe, præmunitione opus erit, ne longius ac latius a propoſito euagari videamur. Et hæc breuiter de digreſſione dixiſſe volui: quæ quoniam interdum Apologis, ſomnijs, fictis narrationibus, & Allegorijs

gorijs ſit, de his quoque ſubijciemus aliquid.

Quincta poſitio, Apologus eſt, cum fictus ſermo ijs rebus tribuitur, quæ ratione, uel ui ſentiendi carent. Qui, etſi commentitij ſint, tamen ſi idonee fingantur & vſurpentur, propter facetam morum imitationem recreant, & propter commenti cum re propoſita conuenientiam fidem conciliant.

Sexta poſitio, Apologo hac ratione vti debemus. Primum proponi debet, & propoſitio ab auctoris perſona, vel a natura rei vnde apologus ſumitur, dilatari poterit; idque fuſius, breuiusue pro dicentis iudicio, tædio tamen remoto. Poſtea, apte ſubijcienda erit affabulatio, vel rei narratæ ad rem ſubiectam accommodatio. Poſtremo, interdum hunc ordinem inuertere licebit, ita ut ipſa præcedat interpretatio, quam poſtea breuiter explicatus ſequetur apologus, hoc modo, Neminem deſpiciendum eſſe quantumuis humilem, atque imbecillum quis non videat, poſteaquam nec aquila Aeſopica ſcarabæum impune contempſit? Vt autem quæ de Apologorũ uſu docemus, melius intelligas, vnum vel alterum ſubijciam exemplum. Ab Apologo ita Flaccus ſuam orationem, qua populi ſenſum ſequi ſe nolle aiebat, amplificauit.

Epiſt.1. lib.1. Quod ſi me populus Romanus forte roget, cur
Nõ, ut porticibus, ſic iudicijs fruar ijſdẽ,
Nec ſequar, aut fugiam, quæ diligit ipſe, uel odit:
Olim quod uulpes ægroto cauta leoni
Reſpõdit, referã, Quia me ueſtigia terrẽt
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum:
Bellua multorum es capitum. &c.

Et alio loco,

Eod. lib. epiſt.7. Forte per anguſtã tenuis uulpecula rimã
Repſerat in cameram frumenti: paſtaque rurſus
Ire foras pleno tendebat corpore fruſtra.
Cui muſtella ꝓcul, ſi uis ait, fugere iſtinc:
Macra cauum repetes arctum, quem macra ſubiſti.

Subijcit deinde, affabulationem:

Hac ego ſi compellar imagine: cuncta reſigno,
Nec ſomnum plebis laudo, &c.

Septima poſitio, quamuis præſtet uti apologis a uiris doctis excogitatis; tamen noſtris etiam uti licebit. Verum, qui apologum fingere uoluerit, debet eſſe ingenio acuto, & perſpicaci; & rerum naturas proprietateſque habere perſpectas. Inter apologorum ſcriptores princeps,

ceps, & merito quidem, cenſetur Aeſopus: cuius apologis, qui eos præ manibus haberet, ſæpiſſime uti poſſet: cum ſint ad quotidianũ uſum ualde accommodati.

Octaua poſitio, ſomnia, hoc eſt nocturnę quietis imagines, ſi ad ueri ſimilitudinem fingantur, in oratione adhibere licet, hortandi & dehortandi gratia. Exemplum habes apud Ouidium libro tertio de Ponto, quod cum ſit longum, adſcribere nolo. Eleg. 3.

Nona poſitio, fictæ ſeu fabuloſæ narrationes, ſi ad ueri ſimilitudinem proxime acceſſerint, ad dilatandum & perſuadendum uſurpari poterunt, præſertim ſi ex poetis fuerint depromptæ. Fabula poetica uſus eſt Tullius in C. Verrem cum ait, Proditum, inquit, memoriæ ac literis eſt, Latonam ex longo errore, et fuga grauidam, & iam ad pariendum uicinam temporibus exactis fugiße Delum, atque ibi Apollinem, Dianamque peperiſſe. Et pro Roſcio Amerino, Et quid tamen, inquit, tibi uidetur, ut ad fabulas ueniam, ſenex ille Cæcilianus, & quæ ibi ſequuntur. Et Horatius, Actio. 5.

Nos numerum ſumus, fruges conſumere nati Epiſt. ad Lol. lib. 1.
Sponſi Penelopes, nebulones, Alcinoique
In cute curãda plus ęquo operata iuuẽtus.

Adhibentur fabulæ interdum, ueluti ſimilitu-

dines quædam ad rem de qua agimus, declarandam: & tunc uel uno uerbo attinguntur, vt fecit Tullius cum dixit, Vt Helena Troianis, ſic iſte huic reip. cauſſa belli, cauſſa peſtis, atque exitij fuit. Item, In huius me conſilij ſocietatem, tanquam in equum Troianum includi cum principibus non recuſo. Item, Ex ſuo regno ſic Mythridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur. Quod ſi ad rem confirmandam accerſantur, aliqua commendatione præmuniendæ erunt, qua demonſtretur, Fabulam non tam delectandi, quam docendi iuuandique gratia inuentam fuiße. At uero ſi animorum recreandorum cauſſa adductæ fuerint, quanto magis a uero abeſſe uidebũtur; tanto magis delectabunt, dummodo quodam cum lepore pronuntientur.

Phil. 2.

Decima poſitio, Allegoria, de qua late primo libro diſſeruimus, cum ad docendum, delectandum, permouendumque ualeat, profecto uim non paruam ad orationem amplificãdam, & dilatandam habebit: qua tunc maxime utimur, cum quempiam ad honeſte uiuendum, ad uirtutem amplexandam hortamur. Capiendus eſt itaque interdum audientis animus allegorica oratione, qui alias proprijs, & rectis uerbis ſe capi minime pateretur. Sed iam de expolitione, de qua alibi late ſcripſimus, paucis agamus.

Lib. de Diſpoſ. orat.

Vn-

Vndecima poſitio, expolitio, ſiue tractatio, quam Græci ergaſiam uocant, eſt, cum in eadem oratione polienda & exornanda diutius immoramur: quæ duplex eſt, altera quæ uerborum commutatione & ſynonymia fit, ut ſupra de uerborum copia agentes, demonſtrauimus: altera quæ commutatione tractationis, cum unam & eandem ſententiam uarijs capitibus exponimus & dilatamus: de qua hoc loco ſpeciatim loquimur: quæ duplex eſt; una perfecta & abſoluta, altera imperfecta.

Duodecima poſitio, perfecta expolitio, ſiue tractatio, aliter ab Hermogene, aliter ab alijs dicendi Magiſtris explicari ac diſtribui ſolet. Communis enim Rhetorum conſenſus eam in octo partes diſtribuit, quæ ſunt, Propoſitio, qua ipſa ſententia dilatanda proponitur: Ratio propoſitionis: Sententia, uel aliquid aliud, quod ſententiæ locum teneat, ut acclamatio; cui etiam ſua ſubijcitur ratio: Contrarium, hoc eſt, explicatio a contrario ſumpta: ſimilitudo; qua adhuc perpolitur & exornatur: Exemplum, quo augetur, & neruoſior redditur: Poſtremo concluſio. Expolitionis abſolutę exemplum habes in Paradoxo illo, quo ex ſententia Stoicorum falſiſſima, eloquens Orator peccata paria eſſe demonſtrare conatur: cuius partes hæ ſunt. Propoſitio, Parua, inquit, res eſt, atqui

magna

magnæ culpa. Ratio, Neque enim peccata rerum euentu, ſed uitijs hominum metienda ſunt. Huic rationi ſubijcitur exemplum, Auri nauem euertat gubernator, an paleæ, in re aliquantum, in gubernatoris inſcitia nihil eſt, &c. Subditur ſimile, ſiquidem eſt peccare, tanquam tranſilire lineam. Additur probatio a contrario, Quod ſi uirtutes inter ſe pares ſunt, inter ſe paria eſſe uitia neceſſe eſt. Additur acclamatio, quæ ſententiæ loco ponitur. Vna virtus eſt conſentiens cum ratione, & quæ ſequuntur. Poſtremo loco ponitur concluſio, Sequitur igitur ut uitia paria ſint. Aliud expolitionis exemplum habes apud Herennianum auctorem libro quarto non longe ab extremo. Neque eſt neceſſe ut expolitionis partes eodem ordine collocentur, quo enumeratæ ſunt, ſed immutari aliquando poterunt, ut in allato exemplo patet: quod ſi quæ omittatur, tunc imperfecta erit.

At uero de Hermogenis ſententia hæc ſunt expolitionis capita, Epicherema, ſeu propoſitio ergaſia, enthymema, aggreſſio, exereſis, circumſtantia, eperguſia, violatio, diuiſio negotij, ficta diuiſio, & concluſio; quorum explicationẽ libro de Diſpoſitione inuenies. Eſt etiam quædam alia expolitio ſimplicior, qua eadem ſententia ita explicatur, ut propter interpretationes, ſeu enunciationes a rebus uicinis & cognatis,

gnatis, quæ quodammodo idem efficiunt, aliud atq; aliud dicere videamur; vt in hoc exēplo, At huius gloriæ C. Cæſar, quam es paullo ante adeptus, ſociū habes neminem: totum hoc, quā tuncunque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt inquam, tuum: nihil tibi ex iſta laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpſit. Quin etiam illa ipſa rerum humanarum domina fortuna in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert: tibi cedit, tuam eſſe totam & propriam fatetur. Patere tua conſilia non ſentis? conſtrictam iam omnium horum conſcientia teneri coniurationem tuam nō vides? Quid proxima, quid ſuperiore nocte geſſeris, ubi fueris, quos conuocaueris, quid conſilij cæperis, quem noſtrum ignorare arbitraris? Item, incenſi omnes rapimur ad libertatem recuperandam: non poteſt ullius auctoritate tantus ardor extingui: extorqueri de manibus arma non poſſunt: receptus ſignum, aut reuocationē a bello audire non poſſumus: ſperamus optima, pati vel difficillima malumus, quā ſeruire. Cic. pro Marc. Catil. 1. Phil. 13.

Decimatertia poſitio, expolitiones, ſeu amplificationes ſumuntur ex ijſdem locis, unde argumenta, ſed ſpeciatim a definitionibus conglobatis, a cauſſis conglobatis, ab effectorum enumeratione, a conſequentium ab actuum, ſiue ſignorum frequentatione, a cō-

trariarum

trariarum rerum conflictione, a pugnantium concertatione, a diſſimilium pugna, & deniq; ab exemplorum contentione: vt ex ijs, quæ hactenus diximus, et ex libro de Diſpoſitione oratoria cognoſci licet: Ex quo quędam quæ hic deſiderari poſſent, repetēda erunt. Atq; hoc loco huic libro finis fieri poſſet, niſi ad eum qui de dilatanda oratione agit, de eiuſdem breuitate, tanquam de contrario, ſcribere pertineret. De qua ideo paucis agemus, quod qui vnum contrarium bene cognoſcit, facile alterius contrarij vim intelligit, & vt ſcripſit Tullius, non eſt magna in breuitate dicendo laus.

A diſ. 22. ad 27. Lib. 5. de Inue. c. 7. & 8.

Decimaquarta poſitio, ſermonis breuitas duplex eſt: altera qua fit, ut nihil rerum, aut verborum, in oratione etiam copioſa redūdet: altera cum res tota breuiter perſtringitur, verbiſque prorſus neceſſarijs ſtrictim comprehenditur: & de hac breuitate nobis agendum eſt cuius tale eſt in Maniliana oratione exemplū, Hyeme bellum apparauit, ineunte uere ſuſcepit, æſtate media confecit.

Decimaquincta poſitio, Breuitatis duæ ſunt partes: altera verborum, altera rerum; et ambæ uarijs rationibus comparantur, quas ſequentibus poſitionibus explanabo.

Decimaſexta poſitio, ad verborum breuitatem conciliandam, hæc potiſſimum conferunt:

ſi

ſi alterum orationis verbum, coniunctione, aliave particula reiecta, in participium, vel gerundium mutetur oratio; vt, ille ambulabat, & canebat, ambulans, vel ambulando canebat: literas ſcribam, & mittam, ſcriptas literas mittam: ſi duo verba in vnum contrahantur; parua precatio, præcatiuncula: aliquantum ruſticus, ſubruſticus: parum bonus philoſophus, philoſophaſter: ſi contraria & priuantia contrahantur; non eſt probus, eſt improbus: non ſunt tenebrę, diluxit: dixit non eſſe, negauit eſſe: poſtremo, ſi quæ vim augendi habent particulæ, eę reſtringantur: puer maxime bellus, perbellus: uir ualde bonus, optimus. His itaq; pręcipue modis verborum breuitas comparari poteſt: quæ ſæpe ad aliquid aptius, atque ornatius dicendum inſeruit; vt ſi diceres, ſi vacabit, pro, ſi tempus erit: negauit eſſe, pro dixit non eſſe. At uero rerum breuitas his potiſſimum comparatur rationibus. Si multa paucis comprehendantur; vt

——Claſsique immittit habenas,
Et tādē Euboicis Cumarū allabitur oris. Li.6.Aen.

Eſt & hoc illuſtre breuitatis exēplū, quod Euſebius apud Macrobiū ex Virgilio adnotauit;

———Et campos ubi Troia fuit.

Vbi pauciſſimis verbis maximam ciuitatem abſorſit. Et ut breuitati opponatur copia, ecce

ce

ce quam copioſe idem alibi dixit.

Venit ſumma dies, & ineluctabile tẽpus
Dardaniæ:fuimus Troes, fuit Ilion & ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Iuppiter Argos
Tranſtulit: incenſa Danai dominãtur in urbe
O patria,o diuum domus Ilium,&c.

Acquiritur deinde rerum breuitas, vt ad rem redeamus, ſi leuioribus & minus utilibus rebus reiectis, quæ rem continent, & quæ ſunt prȩcipua, ſumantur: ſi amplificationis figuræ remoueantur, vt deſcriptiones, deſignationes, tranſitiones, & aliæ: ſi exemplorum & auctoritatũ multiplicatio tollatur: & deniq; ſi membra ꝑductiora, et prælõgȩ periodi cõtrahãtur.

Decima ſeptima poſitio, breuitate his præcipue tẽporibus, ſeu hiſce in rebus vti debemus. Cũ de re tenui & familiari agimus; vt cũ epiſtolas exaramus: cum ad Magnates, & graues ſapienteſq; viros aliis in rebus occupatos ſcribimus; uel ad eos qui ſunt parum noti, uel moroſi, uel certe breuitate gaudent: cum in ſenatu & apud doctos verba facimus: cum dialectico more definimus, diuidimus, diſſerimus: denique cum aliquam ſententiam, aut axioma pronuntiamus.

Vltima

Vltima poſitio, copia his ſpeciatim temporibus vtemur: Cũ verſabimur in rebus maioris momenti, ut ſunt conciones, & orationes: cum de re aliqua graui, ut de hiſtoria, de re ad religionem & remp. pertinente agendum eſt: ne, ſi in hoc genere breuitate vſi fuerimus, in vitiũ Brachylogiæ incidamus. Deniq; , vt tandẽ huic operi finem imponamus, illud admonuerim, orationis breuitatem et copiam rebus, et perſonis, & locis accommodatam eſſe debere. His itaq; de Elocutione oratoria præceptis, ex optimis quibuſq; ſcriptoribus, a nobis in tuam, amice Lector, utilitatem, non ſine magno labore collectis, ſi vteris, & ornate dicere, & Orator numerari poteris: cum ab hac vna Rhetoricæ parte, quę ornandæ orationis doctrinam exponit, qui in dicendo verſantur, tam magnifico nomine digni cenſeantur. Quod Homerus haud obſcure indicauit, qui Troianos oratores, vt qui diſertiſſimi erant, iridis flores comediſſe finxit: Cœl.Aug. *qui colorum uarietate, Iridi coeleſti, quę Deæ eloquentiæ habebatur, ſimiles ſunt: quod oratio figurarum uarieta te diſtincta eſſe debeat. Habes ergo, ea omnia explicata, quæ nobis tractanda propoſuimus: doctrinam de proprietate & ornatu uerborum, tum ſingulorum, tum coniunctorum: de orationis ſtructura, numeroque oratorio: de orationis ideis, ac de rerum, & verborum*

borum copia: Quarũ rerũ cognitionem, ad perfectam eloquendi facultatem obtinendam neceſſariam eſſe exiſtimauimus. Habes hæc omnia non ornate, non ſplendide, non oratorio, ſed potius didactico modo expoſita: cum non tã delectare dicendo, quam plane perſpicueq; docendo iuuare nobis propoſitum fuerit: quod inita a nobis tractandæ eloquentiæ ratio efflagitabat. Habes, inquam, omnia non ad tenue limata, non ad amuſſim perpenſa, nec in quadri redacta; quod facere ſi uoluiſſem multum laboris, ſine multa utilitate, ſuſcepiſſem, & tẽpus in grauioribus rebus collocandum contriuiſſem. Quare hæc politiora, purgatiora, & dilucidiora habuiſſes, niſi quæ de arte dicendi ſcribimus quaſi per tranſennã, in alienam meſſem ingreſsi, a nobis ſcriberentur: dum ad maiora & grauiora properamus; ad quę iſta, ad maiorem Dei gloriam ſacræque doctrinæ ſplendorem referre uolumus.

Libri quarti finis.

Laus Deo Opt. Max. & beatæ Virgini Annuntiatæ.

Digitized by Google

[illegible]

Elocutionis finis.

Laus Deo Opt. Max. B. [illegible]



Digitized by Google